


EPITOME

INSTITUTIONUM

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

QUAM

JOANNES NEP. ALBER

E SCHOLIS PIIS

THEOL. DOCTOR LING. HEBR. ARCHAEOL. BIBL.
ODUCT. IN LIBR. CAN. VET. TEST. APOLOG.
MDEM, ET EXEGES. IN REG. SCIENT. UNIVERS.
IENS. PROFESSOR PUBL. ORD. LIBROR. HEBR.
IN HUNG. REVISOR REG. NEC NON FACULT.
THEOL. SENIOR.

FECIT, ET IISDEM INSTITUTIONIBUS

ADDIDIT.

Cum Censura, et Facultate Superiorum.

Agriae, 1826.

Lycei Archi-Episcopalis

Praefatio.

In ea, quam ad initium Tomuli I. Institutionum mearum Historiae Ecclesiasticae hujus editionis secundae feceram praefationem, dixi, me ad finem cujuslibet partis illarum adjecturum Synopsim ejusdem partis, ut uno quasi obtutu videri possent omnia. Istud vero omisi facere; sed elegi potius, omnibus quinque partibus, in quas divisae Institutiones sunt, finitis, et absolutis, addere Epitomen totius istius Opusculi Historiae Ecclesiasticae: quae vel post partem quintam in eodem volumine, vel separatim in alio poneretur, si eidem volumini, habenti quintam partem commode adjungi non posset. Hoc mihi consi-

lium svasit illud. Jam meas Institutiones Historiae Ecclesiasticae primae editionis videram pluribus in locis esse adhibitas etiam in praelectionum usum: atque istae quoque nunc secundis curis editae, sunt eumdem in finem jam expetitae etiam in Germaniam, Italiam, Poloniam, pluresque alias exteras provincias, imo anno abhinc altero in Polonia, cum Viris delectis id negotii datum esset, ut libros proponerent, quos censerent in usum praelectionum Theologicarum maxime idoneos; horum judicio omnes Theologici libelli a me elucubrati, digni habiti sunt (iisdem verbis utor, quibus mihi res significata est) qui per omnia Seminaria, et Scholas Theologicas praelegerentur. Atque istud non potui non memorare ea de causa, ut quam me propterea obstrictum agnoscerem, profiterer, et quae hinc animi mei sensa exstiterint, sane jucundissima, gratus proferrem.

Sunt hae Institutiones meae omni-bus iis partibus instructae, quas Hist

ria habere debet velut quoddam lumen, ut quae in ea exponuntur, plene intelligi possint, atque etiam oculo critico considerari. Quam ob causam etiam notitiam Criticae, Chronologiae, Geographiae, nec non Patrum etiam Ecclesiae, et Scriptorum Ecclesiasticorum sibi adjunctam habent, prout tractatio Historiae Ecclesiasticae semper sibi hanc legem positam habuit. In scribenda Historia hac mea nolui me includere limitibus iis, ut praecise tantum admensa esset praelectionibus, ne brevitatis habendo rationem, plena rerum expositio in ea deficeret. Hinc itaque fieri fusior debuit, quam ut adcommodata possit videri praelectionibus. Sed neque compendia Historiae sunt his apta, nisi apud eum solum, qui compendium fecit. Nunquam enim alter, docens Historiam, volet se subjicere compendio, ab altero confecto, in quo vix superabili labore cogatur semper sarcire, et addere, quae praetermissa in alieno compendio sunt, et sine quorum expositione Historia plenitudinem non habet. Hoc igitur

est,

est, quod Institutionibus meis historicis etiam hanc Epitomen addiderim, ut et Auditoribus Historiae praeberetur compendium, et etiam eam docentibus praesto posset esse, unde cum plenitudine illam exponerent. Neque vero tantum in hoc compendio est solummodo rerum aliquis index, sed ejusmodi brevior expositio; ut subsidium latura sit memoriae ad ea etiam facile retinenda, quae in Institutionibus sunt exposita plenius. Quodsi alumnis Theologiae in Seminariis unum, vel alterum etiam Institutionum exemplar suppeditatum fuerit, quod habere ad manum possint; eo magis institutio procedet in hocce studio Historiae Ecclesiasticae. In domo Domini, quod possumus, laboramus. *S. Hieronymus* Praefat. in Pentateuch.

Epitome.

Prolegomena.

Cap. I. *De Critica, et Scriptorib. Hist. Eccl.* §. 1. Historia Ecclesiastica initium ducit a Christo, qui auctor est Ecclesiæ. In hac ea, quæ libris Canonicis continentur, auctoritate nituntur Divina; cetera humana. §. 2. Scriptor rem quam narrat, vel ipse oculis suis spectavit, vel auditione percepit; Est ejusdem cum re, quam refert, vel posterioris ætatis; Est domesticus, vel extraneus; Est unus, vel sunt plures. §. 3. In Scriptore, ut fidem ejus narratio faciat, debet esse certa cognitio ejus rei, quam narrat, et voluntas rem sincere referendi. §. 4. Plenam fidem faciet res, quæ narratur, si Scriptores omnes de ea conveniant, vel si publicis monumentis comprobetur: in Scriptorum vero dissensione expendendum erit, cui parti potius fidendum sit. Unius etiam Scriptoris narratio potest certam facere fidem. §. 5. A silentio Scriptoris alterius, qui rem tacuit, adversus alterum, qui

eam

eam exposuit, non semper valet argumentatio. §. 6. Scriptoribus anonymis non semper deroganda fides est. §. 7. In monumentis videndum est, num vera sint, vel supposititia, et manserintne incorrupta. §. 8. Sub exemplo Eusebii Cæsareensis, qui historiam nec bene compertam, nec sincere semper scripserit, ostenditur, quis fide dignus Scriptor habendus sit. §. 9. Post Eusebium Scriptores Ecclesiastici, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Philostorgius, Theodorus, Evagrius, Sulpicius Severus, Rufinus, Paulus Orosius, Epiphanius, Scriptores historiæ Byzantinæ, Nicephorus Callistus, Liberatus, Basilius Cilix, Anastasius Sinaita, Ven. Beda, Photius, Haymo Floriacensis, Luithprandus, Sigebertus Gemblacensis, Otho Frisingensis, Platina, Cæsar Baronius, Spondanus, Odoricus Raynaldus, Jacobus Laderchius, Antonius, et Franciscus Pagius, Bòllandistæ, Pallavicinus, Serry, Ludov. Maria Lucini, Graveson Orsius, Mamachius, Fleury, et ejus Continuatores, Nat. Alexander, Berti, Saccarelli. E Protestantibus, Centuriatores Magdeburgenses, Basnagius, Mosheim, Walchius, Bingham, Schrök, Hottingerus, Spanheim. §. 10. Historiæ Ecclesiasticæ est ostendere, quæ Fidei dogmata, et Ecclesiæ instituta viguerint a principio ejusdem Ecclesiæ: proinde testis Traditionis est ad suffundendos pudore omnes devios ab Ecclesia Catholica.

Cap. II. *De Chronologia.* §. 1. Chronologia altera est mathematica, et Astrologica, altera historica. Annus, per quos supputatio temporum solet fieri, alter est *Civilis*, alter *Tropicus*. Annum Civilem, aberrantem a Tropico correxit Julius Cæsar opera Sosigenis: iterumque

que ejus correctionem fecit Gregorius XIII. R. P. Aloysii Lilii usus opera. Annum juxta hanc correctionem Gregorii non statim omnes receperunt, et ne nunc quidem adhuc. §. 2. Multæ nationes usæ sunt non cursu solis, verum lunæ ad supputandos annos: Mensis alter est *Synodicus*, alter *Civilis*, nec apud omnes nationes etiam annus constabat eodem numero mensium. Cyclus Lunaris eum in finem excogitatus est, ut anni lunares revocentur ad annos solares. §. 3. Post Cyclum lunarem annorum 19. Cyclus etiam adhibitus est Solaris annos habens 28, et Cyclus Indictionum, fixus in Anno 312. a Christi natali, qui annis constat 15. §. 4. Periodus Juliana e Cyclo solari annorum 28, Cyclo lunari annorum 19, et Cyclo Indictionum annorum 15, inter se multiplicatis dat Periodum Julianam, quæ constat annis 7980. In hujus Periodi Julianæ anno 710. Chronologi ponunt, mundum esse a Deo creatum, et ejus anno 4714. Christum esse natum, a quo anno Aera etiam incipit Christiana. Ista ratione anni ab initio mundi 4004. prodeuntes, non sunt tamen omnimode certi. §. 5. Aeræ nomen a Scriptoribus assumptum est pro numero, et computatione annorum a quodam certo initio, quæ etiam Epocha solet nominari. Aera mundi est omnium prima. §. 6. Post hanc vero est Aera Olympiadum, aera Urbis conditæ, æra Nabonassari. §. 7. Aera Cyri, æra Græcorum, æra Seleucidarum, Antiochena, Hispanica, Cæsaris Augusti; §. 8. Aera Christiana. §. 9. Aera Diocletiani, æra Arabum, et Saracenorum. §. 10. Modus annum juxta quamcumque æram supputatum revocandi ad nostram æram Christianam est, si sumatur annus illius æræ primus, et cernatur iste, in quem annum in-

incidat vel a creatione mundi, vel ante Christum natum, atque hinc deinde anni numerentur.

Cap. III. *De Geographia.* §. 1. Jerosolyma, et Palæstina, unde Evangelii per Apostolos incepit prædicatio, est prima etiam in mundo regio fundatæ a Christo Ecclesiæ, et unde ejus propagatio continuata est in omnes partes orbis terrarum. §. 2. A Palæstina autem sursum Septemtriones versus procedendo sequitur Syria: huic vero ad ortum adjacet Mesopotamia: supra hanc autem ad Septemtrionem est Armenia, ad ortum Assyria, habens ex latere boreali contiguam Mediam, ex australi Persiam, et Chaldæam, alio nomine Babyloniam. Mediæ ab ortu adjacebat Hyrcania, et Parthia. Supra Armeniam, qua spectat ad Septemtriones, sunt regiones, Colchis, Iberia, et Albania. Ultra Pontum Euxinum, et mare Caspium sita est Sarmatia Asiatica, siquidem etiam altera sit Europæa per fluvium Tanaim a priore divisa, ubi nunc Tartaria magna est, et Tartaria Russica. Est præterea etiam Tartaria minor, dicta antiquitus Taurica Chersonesus. §. 3. A Palæstina Orientem versus sita est Arabia Deserta, et Petræa, et ultra hanc utramque Arabia Felix. Hinc ulterius eundo venitur ad Indiam Orientalem, ultra quam jacent Sinæ, alio nomine China, divisa in tria imperia, Chinense, Japonicum, et Coream. §. 4. A Palæstina supra mare Mediterraneum est Asia, dicta minor, in plures provincias divisa. §. 5. Ab eadem vero Palæstina eundo deorsum ultra Arabiam Petræam est Aegyptus, Libya, Cyrenaica, Marmarica, Aethiopia, quæ Abyssinia quoque vocatur. Ultra vero eundo sequitur regio, pro-

prie

proprie dicta Africa. §. 6. Inter Africæ eam regionem quæ Mauritania Tingitana vocatur, nonnisi fretum intercedit, dictum Herculeum, in cujus altera jam est Hispania. Ex Hispania ultra per continentem eundo venitur in Galliam, et ex hujus superiore parte in Germaniam. §. 7. Ab hac autem in Orientem procedendo sequitur Scythia, et Sarmatia Europæa, ubi nunc sita est Borussia, Polonia, et Russiæ magna pars. Infra Germaniam ex ejus parte australi jacet Rhætia, et Noricum, ubi nunc Austria, Stiria, Carinthia, Carniolia, et Tyrolis est. Ab Rhætia vero, et Norico descendendo meridiem versus venitur ad Italiam. §. 8. Ab Norico Orientem versus jacet regio, quæ vetus erat Pannonia. Infra hanc meridiem versus est Illyricum. Huic vero contermina est Dacia. Unde ulterius versus Pontum Euxinum est Moesia, Thracia, et Græcia. §. 9. Ultra fretum Herculeum, quod intercedit inter Hispaniam, et Africam, est mare Atlanticum, quod funditur usque in Americam.

PARS I.

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICAE.

AB ANNO I. ÆR. CHRIST. USQUE AD FINEM SEC. IV.

§. 1. C*hristus* a. 1. Aer. Christ. natus est, adoratus deinde a Magis, præsentatus in templo, et in Aegyptum portatus, Herode vero mortuo reportatus, et in Nazareth educatus. Anno autem tricesimo ætatis suæ a Joanne baptizatus, postquam triennio Evangelium in Judæa prædicasset, sua nos morte redemit; a qua cum resurexisset, ab hinc die quadragesima in cælum ascendit. *pag.* 84.

§. 2. *Matthias* in locum Judæ proditoris Apostolus eligitur. *Spiritus S.* venit super Apostolos: eadem die Pentecostes convertuntur ad tria Judæorum millia, iterumque dum Petrus

trus cum Joanne pergens ad templum hominem a nativitate claudum sanasset, tot rursus conversi sunt, ut ad quinquies mille credentium numerus increverit. Apostolis Sacerdotes, et Seniores Judæorum pœnas comminantur, si pergerent ulterius prædicare Evangelium. Iidem his neglectis minis, cæduntur. *Diaconi* septem ab Apostolis ordinantur. Ad ministrandum mensis hi instituti sunt. Mensæ vero intelliguntur sacræ, ad quas Eucharistia consecrabatur, et fidelibus distribuebatur, dicente S. Ignatio M. Epist. ad Trallian. *Neque enim ciborum, et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores.* Penes eosdem Diaconos erat administratio facultatum Ecclesiæ. Erant etiam *Diaconissae* jam primævo tempore Ecclesiæ, constitutæ ad ministerium erga feminas, dum baptizarentur, et ad curam gerendam infirmorum. *pag.* 87.

§. 3. Judæi *persecutionem* excitant adversum Christi fideles. *S. Stephanus* Diaconus ab illis lapidatur. Alii præter Apostolos Jerosolyma diffugientes spargunt ubique locorum, ad quæ venerant, Evangelium usque Antiochiam. *Saulus*, dictus postea Paulus, convertitur. *Philippus* unus e Diaconis convertit Samaritanos. His Petrus, et Joannes Apostoli per manuum impositionem tribuunt Spiritum S. Iisdem *Simon magus* pecuniam offert, petitque, ut eamdem potestatem cum eo communicent. Idem Simon primus fit hæresiarcha, seipsum prædicans esse Sermonem Dei λογον Θεόυ, omnipotentem, et Helenam prostituti pudoris feminam suam primam intelligentiam, per quam omnia facta sint, etiam ipsi Angeli. Eodem fere tempore *Apol-*

lo-

lonius Tyaneus, orbem peragratus, mira ferebatur multa patrasse, quæ Philostratus sub Alexandro Severo in gratiam Juliæ uxoris ejusdem Severi conscripsit, et commenta, vel certe præstigias suis commentis auxit. *Hierocles* quoque in libro, quem Philalethen inscripsit, jactabat prodigia ab ethnicorum diis patrata quærens obfuscare vera Christianorum miracula. *pag.* 91.

§. 4. *S. Petrus* invisit loca, in quibus plantatæ erant Ecclesiæ. Liddæ Aeneam quemdam a paralysi liberat, in Joppe Tabitham a morte suscitat, et Cæsareæ Cornelium Centurionem cum tota domo baptizat. Idem Antiochiæ sedem Episcopalem sibi constituit, quam annis septem tenuit. *pag.* 94.

§. 5. *Apostoli* ex Judaea ad prædicandum Evangelium dividuntur in alias regiones, et orbis terrarum partes. Petrus anno secundo Claudii Antiochia Sedem suam transfert Romam. Non satis luculentum est de omnibus Apostolis, ubi prædicaverint Evangelium, nequidem de Jacobo, num Hispanorum Apostolus fuerit. *Symbolum*, quod Apostolorum dicitur, est vere confectum ab Apostolis non tantum Rufini, verum etiam testimonio SS. Irenæi, Ambrosii, Cælestini I. Papæ, pluriumque aliorum. Inde hoc dictum esse Apostolorum, quod doctrinam contineat Apostolorum, quemadmodum contra argumentantur Calvinus, Basnagius, et alii quidam, non sequitur. Hinc enim consequens esset, Nicænum, et omnia alia Symbola Fidei esse dicenda Symbola Apostolorum: quod tamen ita non fit. *pag.* 90.

§. 6.

§. 6. *Petrum Romae fuisse* dum Protestantes alii inficiarentur, Caveus, et Basnagius adversum hos ipsi etiam asseruerunt, rem hanc sic testimoniis certis esse compertam, ut si hæc in dubium vocetur, nulli historiæ fides mansura sit. Non eo minus tamen etiam hi nolunt concedere, Petrum Romæ sibi Cathedram posuisse Episcopalem. Aeque vero istud testibus constat, atque illud, quibus non possint derogare fidem. Quamvis vero Paulus quoque Romæ prædicaverit Evangelium, partemque habuerit Ecclesiæ, quæ illic fundabatur, tamen non hic, et Petrus *geminum* erant *Caput* Ecclesiæ, eo quod solus tantum Petrus, non etiam Paulus Romæ sibi constitutam habuerit Cathedram Episcopalem. Romæ sic *Cathedra Petri* fixa est, ut hinc transferri alio non possit, et una Primatus supra Ecclesiam, utpote qui Primatus ab ipso Christo in Petro collatus sit Romano Pontifici. *pag.* 101.

§. 7. *Paulus, et Barnabas* fiunt Apostoli, et Evangelium prædicant in Syria, et Asia. In insula Cypro Paulum Sergium Paulus Apostolus ad fidem convertit, Elyma mago percusso cæcitate. Apostoli Jerosolymæ *Concilium* celebrant, et definiunt, Gentiles, qui ad fidem converterentur, non debere stringi ad observandas Vet. Legis cærimonias. Hic error per *Cerinthum*, *Ebionem*, et *Carpocratem* latius deinde disseminatus est. *pag.* 103.

§. 8. *Marcus Alexandriae*, quo missus erat a Petro, Alexandrinam fundat Ecclesiam, quæ Romanam Ecclesiam sequebatur proxime in dignitate; tertium autem locum Antiochena Ecclesia adepta est, nec solummodo quoad

ho-

honorem, verum etiam potestatem, Episcopis harum Ecclesiarum jurisdictionem exercentibus supra integram diœcesim, quæ juxta divisionem Imperii Romani multas complectebatur provincias. Episcopi curam gerentes diœcesium dicebantur Metropolitæ, vel etiam Patriarchæ; uni provinciæ præsidentes, ejusque Episcopis, vocabantur Primates; uno vero nomine Archiepiscopi omnes, supra alios Episcopos auctoritate eminentes. Hæc eminentia Episcoporum aliorum supra alios non venit a dignitate urbium, in quibus Episcopi sedes habebant: neque etiam tantum postea discrimen hoc inductum est per statutum aliquod Ecclesiæ, cum ab initio omnium Episcoporum æqualis fuisset potestas: *Sed hujus muneris* (Apostolici) *sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaverit, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet* quemadmodum ait S. Leo M. Epist. 10. ad Episcopos provinciæ Viennens. *pag.* 105.

§. 9. *S. Paulus* ex Asia in Europam transiens, prædicat Evangelium in Græcia, et Macedonia. Athenis *Dionysium Areopagitam* ad fidem convertit. Hic Dionysius, factus deinde Episcopus Atheniensium diversus est a Dionysio, qui Parisiensis erat Episcopus. Libri, qui nomen gerunt a Dionysio Areopagita, non sunt vere illius libri. *Paulus* cum eleemosynis in Macedonia et Asia collectis cum ivisset Jerosolymam, et ab Judæis accusatus Præsidi esset, ad Cæsarem appellat, et mittitur Romam, ubi biennium tenetur in custodia. *pag.* 110.

§. 10.

§. 10. *Nero Imp.* cum sibi fecisset spectaculum succensa Roma ardentis Trojæ, ut odium, quod ideo incurrerat, a se averteret, causam incendii contulit in Christianos, atque sævam nimis in hos excitavit persecutionem, neque tantum Romæ, verum etiam in aliis provinciis Romani Imperii. In hac persecutione Petrus Romæ in crucem actus, Paulus capite plexus est a. Aer. Chr. 67. Ad commune odium Neronis in Christianos accesserat, quod Simon magus ei promiserit se volaturum in cælum, Apostolorum vero precibus, Deo factis, dejectus sit. Petrus, et Paulus eodem anno et die passi sunt. *pag.* 112.

§. 11. *Simonem magum* vere esse præcipitatum ex aere, perhibent, Eusebius, S. Cyrillus Jerosol. S. Hieronynimus, Sulpicius Sev. S. Epiphanius, S. Philastrius, S. Augustinus, dicens Romæ eo die etiam jejunium fuisse servatum, et postea etiam continuatum die videlicet Sabbati, quo res ista erat acta. Arnobius *lib.* 2. *adv. Gentes* ipsum locum etiam Brundam memorat, quo Simon post casum delatus sit, et ubi ex altiore loco domus se præcipitem dederit. Critici tamen præsertim e Protestantibus renuunt hanc Simonis præcipitationem vere factam esse, eo quod Justinus M. in sua apologia 1. quamvis mentionem fecisset Simonis, tamen tacuerit de ejus præcipitatione, et quod neque Scriptores gentiles eam meminerint. Est vero hoc argumentum a silentio ductum adversus tam multos testes rem illam asseverantes, quod proinde præponderare non debet, aliorum testificationi, nullam habenti suspicionem falsitatis. Justinus M. etsi præcipitationis Simonis nullam fecerit mentionem,

 ta-

tamen habet in eadem Apologia 1. eidem a Romanis statuam esse erectam, habentem inscriptionem *Simoni Deo Sancto:* qui vero deceptus sit, aliam statuam, habentem inscriptionem *Semoni Sanco Deo Fidio etc.* cujus basis eruta Romæ est a. 1574. tribuendo statuæ, quæ Simoni mago statuta ab Romanis sit. Hoc vero solummodo asseritur de Justino decepto, nullatenus probatur, idemque refellitur, S. Irenæi *lib.* 1. *cont. hæres. cap.* 23. et Tertulliani *Apologet. cap.* 13. testimonio, quo pariter perhibent, Simonem magum propter magicam Romæ statua honoratum esse. *pag.* 116.

§. 12. *Alteram* in Christianos *persecutionem* excitat Domitianus a. Aer. Chr. 93. ea de causa, quod intellexisset Christum ab Christianis coli, cujus regnum esset super omnia regna, et quos proinde huic Regi addictos haberet exitiabiles Romano Imperio. In hac S. Joannes Apost. in dolium ferventis olei missus Romæ, sed vegetior hinc exiens, quam fuerit ante, et deportatus in Patmon insulam, post Domitianum interfectum rediit Ephesum. An Beatissima Virgo S. Joannem abeuntem ex Judæa in alias orbis regiones ad prædicandum Evangelium secuta sit, et cum illo Ephesi habitaverit, nullum certum argumentum præsto est, imo certius contrarium est. Eamdem Jerosolymæ obdormivisse, ac deinde una cum corpore assumptam esse in cælum Juvenalis Jerosolymorum Episcopus affirmavit Marciano Imp. teste Euthymio apud S. Damascenum *Orat.* 2. *de Dormitione Deiparæ.* Rem eamdem refert idem Damascenus cum pleniore etiam rei, quomodo contigerit, expositione, nec non S. Andreas Cretens. et S. Gre-

go-

gorius Turonens. Idemque desumitur ex S. Epiphanio *Hær.* 78. *pag.* 121.

§. 13. Per rescriptum Trajani Imp. ad relationem de Christianis a Plinio Procos. Bithyniæ eidem factam *tertia* a. 98. fit *persecutio* eorumdem Christianorum. In hac *Simeon* Jerosolymorum Episcopus in crucem actus, *Ignatius* Episcopus Antiochen. Romam ductus, et leonibus objectus est. Per Hadriani, qui Trajano successit in Imperio, rescriptum remisit persecutio oblata per *Quadratum* eidem Hadriano apologia, et interventu *Serenii Graniani* Procos. Asiæ. *pag.* 124.

§. 14. Sed quia sacrificuli, et alii, quibus Christiani exosi erant, aliis prætextibus usi erant ad perdendos Christianos, tamen eadem *persecutio non cesssavit*, adeo, ut ipse etiam Hadrianus *Symphorosam* cum septem filiis morti addixerit. Etiam gentiles philosophi, nominatim Celsus, scriptis suis sufflaminabant persecutionem. Hadrianus *templa*, quæ exstruenda curavit, non Christo, verum sibi voluit struere. Ab Eodem Hadriano quæ ferebantur *miracula* patrata, iidem illi, videlicet Spartianus, et Dio, qui ista memorarunt, habuerunt pro fictis. Antonino Pio, qui Hadriano successit *Justinus* pro Christianis obtulit apologiam, in qua instituta Christianæ Religionis descripsit admodum dilucide, ut ostenderet, quam ista essent innocua. *Antoninus Pius prohibuit*, ne quis Christiano faceret negotium solius Religionis caussa, pœna etiam constituta in delatores. *pag.* 128.

§. 15. Non eo minus, cum Antonino Pio Marcus Aurelius successisset, pergebant gentiles insectari Christianos, nominatim Smyrnæ magnam hi in illos acerbitatem exercuerunt. In hac Germanicus adolescens in bestiam sibi paratam, ultro insiliit. Quintus vero nimium antea præfidens, ad solum adspectum belluarum a Religione descivit. S. Polycarpus igni traditus, et gladio confossus occubuit. Hujus apud Eusebium refertur precatio, facta ad Deum clara voce, dum jam ad rogum impositus esset. Quia vero in hac precatione is Beatam Virginem non invocaverit, *Basnagius* hoc in argumentum traxit contra invocationem Sanctorum: quasi vero ibi locus fuisset coram gentilibus invocandi Beatam Virginem, unde in opinionem delabi potuissent, nobis non esse unum Deum, verum a nobis coli etiam Beatam Virginem pro dea. Romæ quoque ab ipso Aurelio Imp. *Felicitas* cum septem filiis data neci, et *Ptolemaeus*, cum quibusdam aliis ab Urbico Urbis Præfecto affectus supplicio est. Aurelio, et Lucio Vero consorti Imperii Justinus denuo porrigit *apologiam:* idem fit a Melitone Episc. Sardensi, ab Apollinari Episc. Hierapol. et ab Athenagora, dum novum edictum factum esset adversus Christianos. *pag.* 133.

§. 16. In bello, quod Imperator Aurelius gerebat contra *Quados, et Marcomannos*, dumque in summo discrimine Romanorum exercitus esset in locum progressus, in quo cingeretur altis, et præruptis montibus, et ob aquæ penuriam siti jam ad desperationem ageretur; Christiani in eodem exercitu legionis Melitinæ suis precibus pluviam a Deo obtinuerunt exercitui

tui Romano, eodem tempore simul etiam ignibus, et fulminibus e cælo evibratis in hostes, et ob quam causam legioni huic nomen Fulminatricis datum sit. Tunc eumdem Aurelium edicto suo cavisse, ne qua injuria fieret Christiano perhibet Tertullianus *Apologet. Cap.* 5. et Apollinaris, cujus supra mentio facta est apud Eusebium. Victoriam tali modo partam etiam Scriptores gentiles memorant, nisi quod suis diis eam tribuant, quin tamen desint etiam, et nominatim Dio Cassius apud Xiphilinum, qui fateantur, Christianorum precibus ad Deum fusis ipso etiam Aurelio, ut Deo supplicarent, petente, pluviam, unaque victoriam obtentam esse. *) *Basnagius*, aliique e Protestantibus ratiunculas tamen obmovent, sed jejunas, et frigidas. Non enim esse fidei consentaneum, exstitisse legionem aliquam e solis Christianis, et legionem, dictam fulminatricem, exstitisse jam sub Augusto, deinde consequens fuisse, ut Aurelius fieret Christianus agnita Dei, quem Christiani colerent, virtute et potentia. Jam sub Trajano testante Plinio ea erat Christianorum multitudo; ut hi non tantum civitates, verum etiam vicos, et agros implerent. Quid igitur impediebat, ne ex his conscribi posset una integra legio? Et quia fulminatrix aliqua legio jam sub Augusto dicta est, anne idem nomen non poterat rursus dari huic Melitinæ? Quod vero ad tertium attinet, Nabuchodonosor quoque dum tres socii Danielis illæsi mansissent in for-

*) Xiphilinus Patriarcha Constantinop. sec. 11. Dionis Cassii Historiam Romanam a Julio Caes. usque ad Alexandrum Sever. in epitomen redegit. Secundum hoc Institutionum harum Part. I. pag. 141. debet etiam esse Dio apud Xiphilin.

fornace ardente, Deum Israelitarum prædicabat, cui similis alius non sit, et qui possit ita salvare: *Daniel.* 3. *v.* 96. quin tamen factus sit Israelita, et ejusdem veri Dei cultor. *pag.* 138.

§. 17. *Lugduni* tamen, et *Viennae* in Gallia ingens etiam postea procella incessit Christianos, et in eorum supplicium suum etjam consensum dederat idem Aurelius. Erant vero in crimen vocati, quasi incestos concubitus inter se exercerent, et humanis carnibus vescerentur, atque hoc nomine, qui se Christianum erat confessus, exquisitissimis tormentis excruciatus necabatur. Enituerunt in hac persecutionis procella Diaconus nomine Sanctus, Attalus, Maturus, et Blandilla, nec non Alexander professione medicus. Pothinus quoque Lugdunensis Episcopus nonagenario major raptatus ad carcerem in eodem obiit. *Dodvellus* non vult istos fuisse Martyres, quia illorum criminum, quæ dicta sunt, nomine excruciati, et occisi sint. At vero jam ipsam etiam hanc calumniam sustinuerunt ea de causa, quod Christiani essent. Itaque, quamvis hæc illis impacta esset calumnia; tamen ut Christiani passi erant tormenta, et mortem. *pag.* 144.

§. 18. *Tranquillitas* magna sub Commodo Imp. qui Aurelio successerat, Christianis conceditur. Multi amplectuntur Christianam Religionem, iique illustres etiam genere, et opibus cum integris familiis in ipsa urbe Roma. Cuidam Romæ crura fracta, quod Apollonium detulisset eo nomine, quod Christianus esset. Circa initium seculi tertii Tertullianus *Apologet. Cap.* 37. dum per Septimium Severum recruduis-

set

set persecutio, testabatur, *Christianos ita multiplicatos* esse, ut jam Gentilium omnia impleverint, urbes, insulas, castella, municipia, palatium, senatum, forum, et qui nonnisi templa ipsis reliquerint. Justinus M. quoque in Dial. cum Tryph. affirmabat, nullam esse gentem, ubi non supplicationes fierent Deo Patri per nomen Jesu Crucifixi, et S. Irenæus lumen Evangelicæ prædicationis assimilavit solis lumini, quo totus mundus illustratur. *pag.* 149.

§. 19. *S. Petro* in Episcopatu Romæ successit *Linus*, Lino Cletus, huic vero *Clemens*: dum Corinthi dissidium ortum fuisset, laicis insurgentibus adversus Clericos, Corinthii recurrerunt ad eumdem Clementem: quod documentum præbet ad illud videndum, quid jam in primæva Ecclesia creditum sit de Apostolica B. Petri Sede. Post Clementem Romæ Episcopi fuerunt, Anacletus, Evaristus, Alexander I. Sixtus I. Telesphorus, Hyginus, Pius I. Anicetus, Soter, Eleutherus, Victor I. Evaristo *Tituli* tribuuntur, quos etiam nunc Romæ gerunt Ecclesiæ. Alexander laudatur velut tenacissimus *disciplinae arcani.* A Sixto vulgo repeti solet institutum *Literarum Formatarum.* Hæ Commendatitiæ etiam vocari solebant, quarum usus cernitur jam etiam in Epistola S. Pauli 2. Corinth. 3. v. 1. Ad Anicetum venit S. Polycarpus Episc. Smyrn. tractaturus de die, quo Pascha celebrare oporteret. *pag.* 151.

§. 20. Controversia eadem de Paschate effervescit magis, dum Victor Papa Asiaticos paratus erat excommunicare, quod eadem luna 14. qua Judæi, illud celebrarent, Asiaticis, et imprimis Polycra-

te

te Ephesino Episcopo obnitente, et morem suum istius celebrandi vetustum obtendente. Dum Eusebius scribit, a Victore datis literis universos in Ecclesiis provinciarum Asiæ vicinarum, fratres proscriptos, et ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos pronunciatos esse, S. Irenæum autem, suo nomini convenienter pacis conciliatorem fuisse, clarum est, ne Eusebium quidem secum consentanea scripsisse. Perinde alii Scriptores non conveniunt in eamdem sententiam, verum alii censent reipsa Asiaticos excommunicatos esse, alii solummodo minas excommunicationis intentas illis esse. Qui vero Eusebio posteriores, ut Socrates, Nicephorus, scripserunt, et Asiaticos excommunicatos esse dixerunt, sensum verborum Eusebii, ex quo sumpserunt, quod narrarunt, non rite expresserunt, quemadmodum neque is, qui Eusebium latine vertit. Nam quod in versione est, *Proscribit*, in Græco sermone Eusebii est στηλιτευι, quod significat *Statutum fecit*. Non aliud itaque intelligitur, quam quod Victor statuerit Asiaticos excommunicare; unde tamen abstinuerit interveniente Irenæo. Victorem secuti sunt in Pontificatu Zephirinus, Calistus I. Urbanus I. Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus I. Sixtus II. Dionysius, Felix I. Euthychianus, Cajus, Marcellinus, Marcellus, Eusebius, Melchiades, Silvester I. Marcus, Julius I. Liberius. Post hunc solet in Catalogis poni etiam Felix II. qui vero haud erat legitimus Pontifex, utpote a Constantio Imp. intrusus ad Sedem Romanam. Liberio autem successit Damasus, huic Siricius, et Siricio Anastasius, huic vero Innocentius I. *pag.* 158.

§. 21.

§. 21. *Septimius Severus* quintam *persecutionem* excitat in Christianos, admodum acerbam, et atrocem per edictum, quod quidem adversum Judæos erat directum, cum jam identidem rebellassent, quo Judæum fieri, erat interdictum, sed Judæis erant adjuncti etiam Christiani, quod timeretur, ne hi se conjungerent cum Judæis. In hac persecutione enituit *Potamiaena* virgo, Alexandrina; quam cum Basilides, unus militum, qui eam tormentis excruciatam ad supplicium ducebant, adversus petulantiam gentilis turbæ tuitus fuisset, illa se gratam ei futuram spopondit, et tertia die apparens coronam ejusdem capiti imposuit, quam Basilides martyrio affectus etiam brevi adeptus est. *Tuburbii* autem in Mauritania celebre nomen Martyrum in hac persecutione est, Perpetuæ, et Felicitatis cum adolescentibus, Saturo, Saturnino, et Secundulo. Perpetua, cujus tota domus, excepto patre, erat Christiana, habebat fraterculum Dinocratem, sed jam mortuum anno ætatis septimo. Hunc illa per visionem conspexerat primo nimis tristem, et afflictum, deinde vero, postquam Deum precata pro illo fuisset, hilarem, et jucundum: et quia in illo ipsius statu tristi in narratione istius visionis pœna ignis nulla memorata est, Basnagius hinc conclusionem istam fecit: *Purgatorius ignis exstingvitur.* Idem tamen concessit illud, quod de Dinocratis afflicto statu post ejus mortem narratur. Igitur dedit etiam poenas post hanc vitam, ex quibus liberatio fiat præter illas, quæ damnatorum in inferno sunt æternæ. Idem Perpetuam, et Felicitatem, harumque socios in martyrio contendit, fuisse Montanistas hæreticos, eo quod in Actis martyrii illorum visiones, quas habuerunt,

runt, excellentiores prædicentur iis visionibus, quas Apostoli habuerint, et Prophetæ, et quales visiones de se jactaverint Montanistæ. Non est autem in Actis, quod se Martyres isti ob visiones suas jactaverint: et quamvis horum confector aliquis Montanista propter visiones volens hos Martyres suæ sectæ vindicare, scripsisset fuisse Montanistas; hinc nondum tamen sequitur, reipsa fuisse Montanistas. Persecutio hæc per edictum Antonini Caracallæ sopita est. *pag.* 162.

§. 22. Exarsit vero iterum per *Maximinum* hominem immanis etiam in suos feritatis: quo interfecto sub Philippo Imp. cum magna Christianis pax concessa fuisset, *Decius* persecutionem jam septimam excitavit, quæ immanitate omnes anteriores superavit. *Philippum*, qui eum antecessit in Imperio, plures crediderunt, ipse etiam S. Hieronymus, fuisse cum filio cognomine factum Christianum. Hoc autem velut sumptum tantum ex aliqua fama, dixit etiam Eusebius, quin tamen crediderit, qui Constantinum M. *lib.* 4. *in ejus Vita* laudaverit, velut solum ex Imperatoribus ad illud usque tempus factum Christianum. Idem præconium eidem Constantino datum etiam est a Lactantio, a S. Ambrosio, et Sulpicio Severo. In persecutione Decii Metra, Quintus, Serapio, Apollonia Alexandriæ admodum illustres fuerunt Martyres. De industria exquirebantur nova tormentorum, et atrociora genera: Crudelitatis S. Hieronymus exempla memorat in Vita S. Pauli I. Erem. de juvene, qui ungulis laniatus, et laminis ustus candentibus, ac melle unctus resupinus in sole ardente collocatus sit, ut muscarum aculeis ce-

de-

deret, qui ignitas sartagines superasset; et de altero pariter juvene, similiter excruciato, deinde vero ad mollem lectum collocato, et per scortum tentato. *pag.* 171.

§. 23. Decius in bello contra Gothos interiit: cum ejus interitu etiam respirarunt Christiani: nec tamen diu pace ipsis frui licuit per Trebonianum Gallum, qui Decio successit persecutione renovata. Fabiano in persecutione Decii sublato Cornelius in Pontificatu successerat. Adversus hunc Novatianus Presbyter Romanus adjutore Novato Presbytero Carthaginensi schisma fecit, seipsum gerens pro Romano Episcopo, sollicitansque omnes ubique Episcopos per literas ad communionem secum servandam. Non modica perturbatio facta est, Episcopis fluctuantibus, Cornelione, vel Novatiano adhærere deberent. Postquam autem innotuit, qua consensione Cornelius fuerit electus Episcopus, Novatianus abstentus est, ut S. Cyprianus scripsit *lib. de Unitat. Eccl.* ab omnibus Dei Sacerdotibus. Nec tamen factio illius exstincta est: quin ad schisma adjecit etiam falsa dogmata, inprimis, peccata, post Baptismum commissa, non remitti qualicunque pœnitentia. Novatiani etiam secundas nuptias damnarunt, et Baptismum sibi solis asseruerunt, ideoque omnes rebaptizabant, qui in illorum sectam concesserant. Idem Novatus Presb. Carth. etiam Carthagine schisma conflavit adversus S. Cyprianum, inde captans ansam, quod Cyprianus eorum distulisset absolutionem, qui in persecutione Decii lapsi erant abnegando Christum. *pag.* 177.

§. 24. In persecutione, quam Decius excitavit, multi *abnegaverunt* Christum. Ex his ali-

aliqui dicti sunt *Libellatici*: qui pecunia data se redemerant ex cruciatibus obtinendoque libellum, quo ipsis testimonium dabatur de facta sacrificatione idolis, immunesque deinde relinquebantur. Horum *receptionem ad communionem*, ex qua exciderant per crimen suum, distulerat S. Cyprianus, donec pax reddita esset Ecclesiæ: et si quis tamen istos prius ad suam communionem admisisset, ipse etiam excommunicationem incurreret. Habito deinde Episcoporum concilio, ea moderatione cum lapsis statuit esse agendum, ut nec ob nimiam severitatem animo deficerent,. nec censura Ecclesiastica solveretur per indulgentiam. Sententiam hanc Cypriani etiam Clerus Romanus comprobavit. Idem Cyprianus Epist 52. de lapsis, si pœnitentiam non egissent, cum Episcoporum concilio censuit prohibendos a spe communicationis, si eam tantum in infirmitate petiissent, quod illos non delicti pœnitentia; sed mortis urgentis admonitio ad rogandum impelleret. Nec tamen hoc intelligendum est de negatione Sacramentalis absolutionis, sed de Eucharistiæ negata administratione: quemadmodum istam fuisse consvetudinem testatur *Innocentius I.* Papa Epist. ad Exuperium Episc. Tolosan. Attamen fuerunt quidam Episcopi, qui etiam absolutionem Sacramentalem denegaverint iis, qui pœnitentiam subterfugissent, et absolvi tantum in mortis periculo voluissent. Quod *Caelestinus I.* Papa redarguit in istis Episcopis, et impietatem vocavit, quam exhorruerit. *pag.* 184.

§. 25. In Conciliis habitis Romæ, Carthagine, aliisque locis *determinata poenitentia* habita ratione criminis. Modus vero agen-

dæ

dæ poenitentiæ desumitur ex juvene, quem antea baptizatum, deinde autem latronum ducem factum Joannes Apostolus cum Ecclesia reconciliaverat, et ex ejus descriptione facta per Tertullianum. Eumdem modum adhuc distinctius exponit Gregorius Thaumaturg. in Epistola Canonica, cujus quatuor partes, *fletum*, *auditionem*, *substrationem*, et *consistentiam* recenset. Nonnisi pro publicis criminibus pœnitentiam præscriptam fuisse publicam, discimus ex Origene, ex SS. Leone M. et Augustino. Nec omnia etiam publica crimina erant obnoxia publicæ pœnitentiæ, sed potissimum hæc tria, idololatriæ, homicidii, et adulterii. Eodem Leone teste alienum erat a consvetudine Ecclesiastica, ut in Presbyterali honore, aut in Diaconii gradu constitutis publica pœnitentia injungeretur, sed hanc privatim facere debebant. Publicæ poenitentiæ fiebat *remissio* in certis casibus vel integre vel saltem ex parte, videlicet in mortis periculo, imminente persecutione, dum ab hæresi multi una reverterentur, nec non ad preces Martyrum, et Confessorum. Publica pœnitentia etiam nonnisi *semel imponebatur*. Apud S. Basilium videre est, pro homicidio fuisse impositam pœnitentiam, quæ annos viginti duraverit. *pag.* 189.

§. 26. Vitæ anachoreticæ, et monasticæ institutum cœpit in Deciana persecutione per Paulum Thebanum in Thebaide, et Antonium pariter natum in eadem Thebaide. Quos jam primo seculo Therapeutas, in Aegypto, anachoreticam vitam agentes, S. Hieronymus putavit fuisse Christianos, hi non erant alii quam Judæi. Pachomius et ipse ex Thebaide oriundus, tamen pa-

ter

ter anachoretarum habitus est, quod inter anachoretas socialem quamdám vitam induxerit, certasque leges ipsis præscripserit. Monasticum institutum ex Oriente venit Romam, et in Italiam per S. Athanasium, et Petrum, illius in Episcopatu successorem: vehementerque propagatum est, et quam celerrime præsertim in Palæstina, Syria, Asia minore, et Cappadocia. Multi Episcopi ad ipsum suum Clerum induxerunt hoc monasticæ vitæ institutum. Alii monachi dicti sunt Cœnobitæ, alii Anachoretæ. Ex monachis jam etiam tunc prodierunt viri et sanctimonia vitæ, et doctrina præstantissimi, S. Athanasius, Basilius M. Gregorius Naz. Hieronymus, et permulti alii, tametsi neque defuerint etiam non satis probatæ vitæ. *pag.* 198.

§. 27. Sub Gallo Imp. *pestis* depopulabatur multas Imperii Romani provincias. Hujus causam, velut ab iratis diis, gentiles in Christianos contulerant. Hoc ansam præbuit, cur Gallus persecutionem suscitaverit, quæ erat sedata cum morte Decii. Ex S. Cypriani libro ad Demetrianum Proconsulem Africæ misso, cognoscitur, hanc fuisse nimis crudelem. In hac Cornelius Papa cum comprehensus fuisset; concurrerant Christiani omnes, qui Romæ erant, seque ultro tormentis, et morti obtulerant. Iste talis concursus fuit, ut Cornelius tantummodo in exilium Centumcellas missus sit. *Caesareae in Ponto* eadem sæviente peste, cum ad Gregorium cognomento Thaumaturgum illius urbis Episcopum, cujus jam facta mentio est, concurrissent omnes, atque is salutem tribuisset omnibus, qui se Christianos futuros spoponderant, conversa est urbs tota ad fidem Christi usque ad homines

se-

sedecim. Idem cum templum quoddam gentilium ingressus fuisset, ac deinde dæmon, ut solebat, jam sacrificulo responsum non dedisset, eidem vero sacrificulo secum expostulanti chartulam dedisset habentem verba: *Gregorius Satanæ: Ingredere* ipse ille sacrificulus etiam deinde factus Christianus est. Imperium suum in dæmonem hoc pacto ostenderat Gregorius, quod et sacrificulum moverat ad se docilem præbendum eidem Gregorio. Basnagius autem, cavillando, istud commercium vocat cum dæmone. In vita ejusdem Thaumaturgi Gregorius Nyss. habet, *Deiparam*, *et Joannem Apostolum* ei apparuisse et dictasse quid credendum esset de Deo unius substantiæ, in personis autem trino. Hæc dictatio non meretur fidem. Attamen rursus Basnagius cavillatur, dum ob eam causam negat dictatum hoc fide dignum esse, quia eo tempore anima Deiparæ, et Joannis nondum didicerit e cælo migrare in terram. Nam Angelorum, et cælestium Spirituum nullæne usque ad illud tempus factæ sunt apparitiones? *pag.* 205.

§. 28. Cornelio in Pontificatu successerat Lucius, huic autem *Stephanus I.* Ad hunc Cyprianus dederat literas, et petiit ab eo, ut *Marcianum* excommunicaret, Episcopum Arelat. in ejusque locum, eo quod Novatiani schismati addictus esset, alium substitueret. Hic vero advertendum est, si, ut Protestantes volunt, omnes Episcopi sunt potestate æquales, cur Cyprianus non hoc per seipsum perfecit, quod petiit a Stephano? *Basilides* Episcopus Emeritanus in Hispania, depositus est ex Episcopatu per concilium eo, quod fuisset libellaticus. Romam vero pergens, a Stephano Papa, quem

frau-

fraudibus circumvenerat, obtinuerat literas, quibus jubebatur reponi ad Episcopatum, cum jam in ejus locum fuisset consecratus Sabinus. Episcopi Hispaniæ, ambigui consilii, consuluerant super hoc Cyprianum: qui respondit rescriptum Stephani, siquidem per fallaciam, et subreptionem obtentum esset, vim non habere. Quod rursus præbet argumentum pro auctoritate Stephani, cujus decretum tantum inde habitum est non validum, quod ei obreptum per Basilidem fuisset. Inter Cyprianum, et Stephanum olim vulgo ponebatur *controversia de Baptismo*, quem Cyprianus cum omnibus Africæ Episcopis non censuerit valere, si ab hæretico esset administratus, in contrariam vero partem Stephanus decretum fecerit. Nunc tamen jam Critici contrarie sentiunt. In Dissertatione mea quinta in Selecta argumenta Historiæ Eccl. ego quoque in hanc partem concessi.

Ex argumentis ibi productis quædam tantum memorabo. Vehemens oppositio, quæ ponitur Cypriani adversus decretum Stephani, non congruit cum eo, quod docuit idem Cyprianus in libro de Unitate Ecclesiæ. In Concilio Nicæno Can. 19. solummodo de Cathaphrygibus, et Paulianistis, eo quod legitimam formam verborum non observassent, rebaptizandis facto statuto, et unde intelligebatur, alios hæreticos rebaptizandos non esse, nulla tamen mentio facta est de Afris rebaptizantibus hæreticos. Deinde, si obtinuit mos per universam Africam rebaptizandi hæreticos, et qui ætate S. Augustini jam nullus obtinuit, deberet alicubi exstare, quandoniam desierit, et quo pacto: cujus vero rei, quæ fuisset tam insignis, nuspiam in historiæ monumen-

mentis reperire vestigium est. Ipse etiam Sanct. Augustinus *Epist.* 48. *ad Vincent. Rogatian.* affirmavit, rem hanc tantum a præsumptoribus, et mendacibus sub Cypriani nomine confictam esse. S. Pacianus quoque Episcopus Barcinonensis eamdem rem dixit nonnisi per calumniam Cypriano affictam esse. Etiam Concilium, quod ab Agrippino Episcop. Carthag. ponitur habitum esse juxta vulgo creditam narrationem istius controversiæ jam ipse etiam S. Augustinus non habuit pro vere acto, in quo initium istius controversiæ constituitur. Alterum quoque Concilium Africanorum post decretum, quod dicitur a Stephano Papa factum, habet evidentissimas notas falsitatis: nec ipsum decretum Stephani bene consutum est. Epistolæ quoque Cypriani, quæ hanc rebaptizationem habent, epistola Firmiliani, et alia monumenta, habentia istam rebaptizationem, sincera non sunt. A Novatianis, vel Donatistis, qui rebaptizabant, in patrocinium sui detestabilis erroris, et flagitii, res hæc est mendaciter concepta, et fabricata. *pag.* 209.

§. 29. Valerianus Imp. *octavam persecutionem*, a Macrino Procuratore rationum concitatus. In hac martyrium subierunt Xistus II. Papa, et Laurentius Diaconus. Illustre etiam martyrium exstitit S. Cypriani Episc. Carth. In Cappadocia puer quoque Cyrillus nomine non tantum invictam constantiam, verum etiam ardentissimum desiderium exhibuit subeundi martyrii. Supricius autem Presbyter, superato etiam eculeo, cum Nicephoro antea familiari suo, multum licet deprecanti, offensam remittere noluisset, perdidit martyrii coronam. Valeriano a

Sapore Persarum Rege capto, et ignominiose nimis habito, Gallienus cum successisset, persecutionem stitit. *pag.* 217.

§. 30. Aurelianus Imp. nonæ persecutionis motor, et concitator fuit. Erat initio non male affectus Christianis, adeo, ut dum Paulus Samosatenus, Episcopus Antiochenus, damnatus in concilio Episcoporum Domno, qui in ejus locum ordinatus fuit, domum Episcopalem cedere noluisset; Episcopi ad Aurelianum tunc in Syria agentem recurrerint, atque is litem deciderit, iis domum adjudicando, *Quibus Italici Christianæ Religionis Antistites, et Romanus Episcopus scriberent.* In edicto, quod postea fecit de persequendis Christianis, eam causam prætexuerat, quod legum præcepta violarent. Erat cultui deorum valde addictus. Hinc facile erat sacrificulis illum concitare in Christianos. Non diu duravit: imo sopita prius est, quam ferale ejus edictum ad omnes provincias pervenisset. Ad Byzantium periit, a conjuratis interfectus. *pag.* 221.

§. 31. *Persecutionem Decimam*, atque ultimam earum, quas Romanorum Imperatores gentiles commoverunt contra Christianos, excitavit *Diocletianus*, quæ priores omnes immanitate superavit. Electus Imperator statim consortem Imperii sui fecerat Maximianum, qui se Herculeum, quemadmodum Diocletianus quoque Jovium, cognominavit, nec multo post etiam Constantium Chlorum, et Galerium Armentarium Cæsares creavit, cum his partitus etiam Imperium. Erat initio admodum bene affectus Christianis, quos in palatio suo etiam haberet ad obsequium, et quibus provincias etiam committeret

ret regendas. Itaque magna etiam incrementa ceperat Religio, et in singulis urbibus ædificabantur Ecclesiæ, ad capiendam multitudinem ampliores. At vero a. 303. huic serenitati successit immanissima procella. *Galerius* Diocletianum concitavit ad persequendos Christianos multis artibus inductum. Dies Terminalium anno Imperii Diocletiani 19. a. Chr. natali 303. præstituta est ad incipiendam persecutionem, sed primum adhuc sine sangvine. Nicomediæ, ubi residebat Diocletianus, revulsis Ecclesiæ foribus, quærebatur simulacrum Dei, quod Christiani colerent, Scripturæ sacræ comburebantur, cetera diripiebantur. Edictum, quod erat appensum in foro, quidam Christianus improvide discerpserat. Galerius non contentus priore edicto, clam *incenso palatio*, et Christianos criminatus velut incendii auctores, Diocletianum induxit ad sæviendum etiam omnibus tormentis in Christianos, et ad exscindendum omne illorum nomen. In duabus Hispaniæ civitatibus visuntur etiam hodie inscriptiones, quas sibi Diocletianus fecerit de re hac a se perfecta, jactans jam perfectum, quod se perfectuum solummodo putabat. Sævitum igitur crudelissime est in Christianos in toto Imperio, præterquam in Gallia, quæ *Constantio Chloro* suberat, alieno a sangvine, et retentis etiam in aulæ suæ obsequio omnibus iis Christianis, qui firmi erant in sua Religione. *pag.* 223.

§. 32. Quantæ cædes, et quot millia Martyrum vario suppliciorum, et mortis genere sublata sint in hac persecutione, negat Eusebius ullius oratione explicari posse. Dorotheus, Gorgonius, et Petrus, aulici Diocletiani, insignes in

hac persecutione Martyres exstiterunt. Mira autem alacritas Christianorum ad perferenda atrocissima supplicia. Theodora virgo Alexandrina ad lupanar missa, et per Didymum ingeniose ex eo liberata, eoque condemnato ad mortem sibi istud deinde depoposcerat supplicium. Genesius mimus, dum in theatro ritus Christianæ Religionis coram Diocletiano repræsentat scenice, subito convertitur, et ipsam mortem etiam fortiter subit. Ad Agaunum Galliæ oppidum *Mauritius*, Candidus, et Exuperius cum tota legione Thebæa, per Maximinianum Herculeum data neci est a Diocletiano missum ad compescendos Bagaudas seditionem moventes. Martyrum horum cultus fuit antiquissimus in Gallia, Belgio, Hispania, aliisque pluribus regnis: iidem celebrantur in Martyrologiis vetustissimis; non eo minus tamen quidam Critici rem hanc non censent fide dignam: siquidem Gallia sub Constantio Chloro posita immunis manserit in persecutione hac Diocletianea. Ex *Eumenio* autem in Panegyrico intelligitur, eo tempore, quo Maximianus missus in Galliam est, Constantium abfuisse bello distentum in Britannia. Quamvis ergo in Gallia a Constantio Christiani nullam cruentam persecutionem passi sint, eam tamen hoc tempore Maximianus erga Thebæos exercuit. In hac persecutione *Marcellinus Papa* ferebatur thus diis adolevisse, sed pœnitentem sui facti, in Sinuessano tercentorum Episcoporum concilio crimen suum confessum. Quam vero rem nonnisi pro conficta a Donatistis jam S. Augustinus *lib. de Unico Baptismo* habuit, et sunt plura alia, quæ figmentum istud esse, doceant. *pag.* 230.

§. 33. *Diocletianus*, et *Herculeus* ad privatam vitam redeunt. Galerius, et Constantius ad primum Imperii gradum adscendunt. Severus, et Maximinus creantur Cæsares. Galerius crudelis etiam in alios, tanto sævior in Christianos fuit, quos ingentibus, et longis cruciatibus prius affectos enecabat. *Constantinus* a Constantio Chloro patre paulo ante mortem exercitui commendatus, fit Imperator. Maxentius, Herculei filius, et ipse assumit purpuram, nec non et patrem inducit ad eam resumendam. *Maxentius* initio benignum se ostenderat erga Christianos, quæ vero tantummodo simulata erat, ut benevolentiam in omnes monstrando, sibi firmaret imperium. Severus erat missus a Galerio adversus Maxentium, quod eo non consentiente per seipsum sibi assumpsisset purpuram. Severus autem victus a Maxentio, et interfectus est. Herculeus quo se firmaret adversus Galerium cum Constantino amicitiam facit data etiam ei Fausta filia in matrimonium. A Galerio, dum in Italiam cum exercitu venit ulturus necem Severi, milites deficiunt ita ut satis habuerit, quod redire in Orientem potuerit re infecta, ob quam in Italiam venerat. *pag.* 238.

§. 34. *Herculeus* indigne habito Maxentio, cum fugisset in Orientem ad Galerium, sibi ab eo timens, jubente Galerio deposuit purpuram, quam vero paulo post denuo resumpsit in Gallia, militibus etiam sollicitatis ad defectionem a Constantino. Idem strangulatus perit, cum eumdem Constantinum voluisset manu sua interficere. Etiam *Galerius* exsolvit scelerum suorum pœnas consumptus teterrimo morbo, postquam ad se rediisset, atque immanitatem, quam

exer-

exercuit in Christianos, agnovisset, edictumque fecisset de sistenda persecutione, in quo tamen adhuc amentiam vocabat Religionem Christianorum *pag.* 242.

§. 35. Maximinus in Syria et Aegypto, ceterisque provinciis, quæ sub ejus regimine erant, cum aliquamdiu destitisset a persequendis Christianis, postea in hos persecutionem, priore truculentiorem, suscitavit, causas nequissime conquirendo, cur ita faceret, ne videretur temere adversus edictum agere, in quod consensissent, ceteri etiam Imperatores. Fames, et pestilentia invadit multas Imperii Romani provincias. Soli Christiani opitulantur fame pressis, et mortuos tumulant, atque idcirco ut Dei pii cultores prædicantur ab ipsis gentilibus. Maxentius Maximino in effrænatissima libidine et crudelitate non tantum in Christianos, verum etiam in suos, cum Constantino bellum intulisset prætexens necem, quam Herculeo patri suo intulerat a Constantino victus et fluvio Tyberi haustus periit. In re ancipiti ante pugnam Constantino Crux apparuit soli superposita cum inscriptione: *Hac vince.* Eusebius testatur, se rem hanc ex ipso Constantino, et sacramenti etiam religione ab eo firmatam habere. Eamdam refert etiam Lactantius, Socrates, Sozomenus. *Mosheim* tamen, et plures e Protestantibus volunt, istud tantum Constantini *somnium* fuisse; neque desunt quidam etiam ex Catholicis, qui Compendia, nostra ætate, Historiæ composuerunt, et sicut in ceteris ita in hoc quoque vestigia Protestantium prementes, renuunt narrationem istam fide dignam habere. Statim postridie signum hoc Constantinus fabricandum curavit, jussitque in prælio, quod cum Maxentio iniit, exercitui præferri. Idem superato Ma-

Maxentio, et Romam victor ingressus in celeberrimo ejus loco erexit, idem in galea sua deinceps gestavit, in palatio suo constituit, semperque etiam postea in bellis adhibuit pro militari totius exercitus signo. *pag.* 246.

§. 36. *Constantinus* deinde suo, et Licinii, quem in consortium Imperii assumpserat nomine *edictum* fecit, quo Christianis plena libertas Religionis concessa est, et præcipiebatur, ut omnia ipsis, quæ erant ablata, restituerentur, atque ipse etiam non tantum suscepit eamdem Christianam Religionem, verum etiam propagare omnibus viribus studuit. Romam cum Constantinus recepisset, et *Diocletiani statuae* una cum Herculei statuis dejectæ fuissent, ille dolore fremens, atque humi se volutans animam edidit. *Maximinus* non ausus resistere decreto pro Christianis a Constantino et Licinio facto, tamen Christianis adhuc insidiabatur, et quos comprehendit noctu demergi in mare jussit. *Licinius* Constantiam Constantini sororem sibi junxerat matrimonio. Hanc affinitatem Maximinus putans ad se opprimendum initam esse, prior lacessivit Licinium armis: sed pluribus præliis devictus, cum jam nuspiam evadendi spem sibi esse vidisset, hausto veneno inter maximos cruciatus, quos ei venenum attulerat, mortem ipse sibi conscivit. *pag.* 252.

§. 37. *Licinius* inviderat primum Imperatoriæ dignitatis gradum Constantino. Hinc ortæ simultates, quæ in tantum excreverant, ut ad ipsa etiam arma inter eos deventum sit. Et quoniam Licinius sciebat, Constantinum Christianæ Religioni addictum esse, idcirco *Christianos* etiam

etiam vehementer *insectabatur*, ut Constantino ægre faceret, novis etiam suppliciorum generibus in eos excogitatis. Licinius a Constantino devictus, et obtenta venia cum rursus armis adversus eum contendisset, iterumque succubuisset Imperio exutus, et Thessalonicam relegatus, nec tamen adhuc quietus manere voluisset, jubente Constantino strangulatus est. *pag.* 256.

§. 38. Imperium totum recidit in solum Constantinum. Ille *amplissima privilegia* largitur Christianæ Religioni, eximendo Clericos ab oneribus publicis, Episcopis eam auctoritatem tribuendo, ut etiam a magistratuum sententia ad hos fieri posset appellatio, nulla vero ulterior ab Episcopo. Instituit ut *milites*, etiam *ethnici* omnes, diebus Dominicis ad campum exirent, et manibus in cælum sublatis Deum, conditorem universi precarentur. Lepidum est, quam hinc Basnagius conclusionem fecerit adversus invocationem Deiparæ et Sanctorum aliorum, volens probare hanc non viguisse in Ecclesia Christiana, quia istam nec Constantinus milites gentiles facere jusserit. Sed neque Christus memorabatur in ista precatione, a Constantino, militibus ethnicis data. Igitur proinde Basnagius concludat necesse est, neque jam eo tempore exstitisse Religionem, quæ Christum orationibus prosequitur. Literis etiam suis, in omnes partes missis invitabat Constantinus gentiles, iisque svadebat Christianam Religionem, simulacrisque deorum in publicum prolatis, et ornamentis detractis, ostendebat illis istorum deorum inanitatem. Hæc, et plura alia cum pro Religione gessisset, *Constantinus* quadam vice *Epi-*

sco-

scopis, sermone faceto, dixerat, illos quoad ea, quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopos esse; se vero in iis, quæ extra geruntur. Hinc Protestantes, nominatim Matthias Schrœck probant, Principibus secularibus supremam in Sacris potestatem competere. Etiamsi vero istud Constantinus ex firma persvasione dixisset, nondum tamen consequens esset, ideo etiam vere dictum ab eo esse. Dixit vero, se tantum in iis, quæ extra Ecclesiam geruntur, Episcopum esse. Quæ vero extra Ecclesiam geruntur, sunt ne res Ecclesiæ? *pag*. 260.

§. 39. Ejusdem *Constantini in exstruendis Ecclesiis* Romæ, et permultis locis aliis magna fuit pietas, et ingens largitas. Romæ celebriores ab eo exstructæ Ecclesiæ erant, Lateranensis, et Vaticana; Jerosolymæ ea, quæ ædificata est supra sepulcrum Domini, et in montis Oliveti eo loco, unde Christus in cælum adscendit. *Helena* mater Constantini Jerosolymam profecta in *Crucem Domini inquisivit*, eamque invenit. Hujus inventionis testes sunt Sozomenus, Rufinus, S. Ambrosius, S. Paulinus, S. Chrysostomus, et S. Cyrillus Episcopus Jerosolymitanus in epistola ad ipsum Constantium Imp. Attamen hanc inventionem Scriptores Protestantes in dubium vocant, vel etiam negant. *Basnagii argumenta* adversus eam sunt, quod Constantinus nullam illius mentionem in epistola ad Macarium Episcopum Jerosolymitanum de Ecclesia, quam structurus erat, scribens, fecerit. Et debuissetne rem alioquin scienti narrare? Alterum habet, quod ii, qui hanc inventionem testantur, in narratione non inter se conveniant. Etiamsi vero in quibusdam eorum

nar-

narratio discreparet; tamen in eo, quod rei caput est, hoc est, de ipsa inventione, hi inter se conveniunt omnes. Negat etiam cruces sub humo per annos fere tercentenos, quantum temporis a Christi morte in cruce usque ad Helenam intercessit, potuisse durare. Erant cruces defossæ in monte, adeoque loco sicco, qui insuper, ut perhibet Sozomenus, lapidibus erat constratus: deinde singulis annis in Palæstina ordinarie nonnisi binæ solent esse pluviæ. Demum idem fraudem Reliquiariorum dicit, sibi esse pertimescendam. At vero pietas et veneratio, quam deinde Cruci Servatoris nostri esse exhibitam iidem illi testes inventæ ejusdem Crucis perhibent, ostendit jam fuisse Reliquiarios primorum Ecclesiæ seculorum Christianos, eos vero, qui illarum cultui adversantur, degenerasse ab institutis primævæ Ecclesiæ. *pag.* 265.

§. 40. *Constantinus malitiam Judaeorum*, quam adhuc audebant exercere, severe coercet: nec permittit Judæis Christianum habere in suis servitiis. *Josephus Tiberiadensis* ex Judæo Christianus factus, et a Constantino etiam Comitis dignitate ornatus, Tiberiade, aliisque pluribus locis, in quibus Judæi habitabant, exstruit Ecclesias, et tam ex Judæis, quam etiam ethnicis plures semper convertuntur, quædam etiam integra loca. Per *Frumentium* Religio Christiana in *Indiam*, hoc est, in Abyssiniam, et per ancillam Christianam ad *Iberos*, quorum regio supra Armeniam sita erat, propagata hoc etiam tempore est. Etiam hæreses, et schismata suis Constantinus compressit edictis. Istorum quoque multi redierunt ad Ecclesiam. *pag.* 271.

§. 41.

§. 41. Usque ad hoc tempus post Simonem magum, primum hæresiarcham, multæ enatæ sunt *h a e r e s e s*, quæ etiam postea aliæ post alias identidem prodierunt. S. Augustinus *lib. de Hæres.* octoginta, et octo usque ad suam ætatem numeravit hæreses. *Oportet et hæreses esse,* ait S. Paulus 2. Cor. 11. v. 19. *ut et qui probati sunt, manifesti fiant.* Simonem magum secutus est *M e n a n d e r* ejusdem Simonis discipulus, dives pluribus adhuc figmentis. Docuit Angelos esse hujus mundi opifices, et omnium malarum rerum, quæ in eo fierent, auctores. *C e r i n-thus* æque Angelos docuit esse mundi conditores, circumcisionem, omnesque Veteris legis cærimonias observandas esse, et regnum post resurrectionem a morte mille annorum. *Ebion*, cujus dogma fuit, Deum inter Christum, et diabolum partitum esse potestatem, et huic supra hunc mundum, Christo supra futurum seculum illam traditam esse: nec eumdem esse Jesum, et Christum: sed illum purum hominem, hunc unum ex Archangelis, in Jesum, quando baptizabatur, delapsum. Erat deinde secta *N a z a r a e o r u m.* His erat dogma, sine legis veteris observatione Fidem in Christum nihil prodesse ad salutem. Erant *N i c o l a i t a e*, qui a Nicolao, uno ex illis septem, quos Apostoli Diaconos ordinaverunt, nomen acceperunt, illud quod Nicolaus inconsiderate dixerat, trahentes ad licentiam fœdissimæ libidinis, quam Nicolaitæ exercebant, communes habentes uxores. *O s s e n i i* aliter etiam dicti Sampsæi, et Elceitæ, qui, ut alii Judaizantes, Christum tantum pro puro homine habuerunt, et Spiritum sanctum pro femina et repudiatis S. Pauli epistolis, librum sibi finxerunt, quasi e

cælo

cælo sibi missum, cujus figmentis credebant. *pag.* 275.

§. 42. *Saturninus* docuit, Angelos a Deo non esse creatos, sed generatos, ab his autem conditum esse genus humanum. Horum unum in Judæos perseverum exercuisse imperium : damnabat etiam matrimonium, velut rem a malis angelis invectam. *Basilides* finxit a Patre primo, et supremo ente generatum esse Νοῦν *Mentem*, ab hoc Λόγον *Verbum*, atque sic ulterius pergendo trecentenorum, et sexaginta Angelorum formavit familiam, quorum unusquisque cælum unum seorsim ab aliis creaverit: docuit etiam metempsycosim, et plura alia absurda. *Carpocrates* æque posuerat aliquem supremum parentem, a quo angeli generati sint, qui vero rebelles adversus suum parentem, mundum condiderint, eique dominentur: nec dominatum istum evadendi, alium esse modum, quam si perpetrentur omnia, quæ sunt spurcissima, quod nonnisi his rebus placari possint iidem angeli. Horum trium Saturnini, Basilidis, et Carpocratis sectatores nec non Simoniani, et Nicolaitæ uno vocabulo dicebantur *Gnostici*; quibus omnibus communis erat licentia ejusmodi libidinis, et flagitii, quam S. Epiphanius hær. 26. negat se exposituram fuisse, nisi ob exstantes adhuc tum Gnosticos necessarium esse duxisset. Ab his turpissimis hominibus gravi etiam infamia adspergebatur omne Christianorum nomen apud gentiles, utpote qui idem, quod solummodo Gnosticorum erat, conferrent in omnes alios etiam Christianos. *pag.* 281.

§. 43.

§. 43. *Valentinus* ex dolore, quod ei alter antelatus esset in Episcopatu, sectam condens, ex Hesiodi Theogonia, triginta deos partim mares, partim feminas sibi fabricavit, quos Aeones, et conjunctim *Pleroma* vocavit, quibus mundi creationem attribuit, delapsus etiam in spurcam illam vivendi rationem, quæ erat Gnosticis. *Cerdo* duo rerum principia adstruxit, bonum, et malum. Ab hoc altero posuit mundum esse conditum, et Judæis datam legem. *Marcion* cognomento Ponticus, quæ ejus erat patria, exstitit etiam hoc tempore hæresiarcha. Hic defloraverat virginem, quem ideo Episcopus, pater illius excommunicaverat: cumque impetrare ab illo non potuisset, ut excommunicatione solveretur; Romam ivit, et a Clero Romano, quippe Sedes Episcopi tunc vacabat, mortuo Hygino, petiit, ut reponeretur ad communionem Ecclesiæ, quod vero ei a Clero denegatum est. Quamobrem in iram actus, conjecit se in Cerdonis disciplinam, ita tamen ut hujus duobus principiis, bono et malo, sua etiam inventa adderet. Posuit videlicet duos etiam Christos, quorum alter sub Tiberio jam affuerit ad salutem comparandam gentilibus, alter adhuc venturus sit salutis Judæorum causa. Negavit etiam, Christum habuisse veram carnem. Rebaptizabat secundo, atque etiam tertio. Multos nactus est asseclas. Solus *Theodoretus* Episcopus Cyri in Syria perhibet in quadam sua epistola, a se plures hujus sectæ homines, quam decies mille esse reductos ab hæresi ab Ecclesiam.

Bellarminus in hoc Marcionis facto *exemplum appellationis* ex illo ævo constituit. Nuspiam vero apparet, ipsum egisse contra patris,

tris, et Episcopi sui sententiam, velut injustam quæ proprie appellatio est, dum quis a sententia in se lata, quam non habet justam, ad tribunal altius recurrit, eoque causam suam defert, ubi potestas est, rescindendæ prioris sententiæ, alteriusque ferendæ. Attamen Marcion Romam ivit, quamvis non ista ratione appellaturus, sed volens tamen recipi ad communionem Ecclesiæ, ac proinde non via juris, sed solius gratiæ. Hujus vero receptionis causa ad communionem, ex qua exclusus est per suum Episcopum, non ivit ad alterius Ecclesiæ, sed ad Romanum Episcopum, Cur vero ex Ponto usque Romam? Et cur hanc receptionem non appetiit ab alio aliquo Episcopo? Cum Romam venisset, et spe sua se frustratum vidisset, nec *principem illic locum*, τὴν προεδρίαν, ut apud S. Epiphanium est, ac ne aditum quidem Ecclesiæ impetrasset, ad Cerdonis hæresim confugere in animum induxit. Τὴν προεδρίαν, *Primam Sedem:* certe quidem, non ut Sedis istius Episcopus fieret, sed ut illius communionem impetraret. Igitur intelligitur eo recurrisse, non aliorsum, quod persvasum sibi habuerit, tamen per viam gratiæ se illud posse obtinere ab hac Sede, quod sibi non deberi solam attendendo justitiam, animadverterat. Tanto igitur magis hinc enituit auctoritas Romanæ Sedis Apostolicæ, agnita jam illa etiam ætate. *pag.* 285.

§. 44. *Apelles* fuit Marcionis discipulus: sed quem ob crimen luxuriæ perpetratum is e sectæ suæ communione excluserat. Quamobrem novam ipse sibi sectam formaverat, e Marcionis dogmatibus quibusdam retentis, quibusdam transformatis. Itaque duos Marcionis deos cum retinuis-

nuisset; tamen hos statuit non esse sibi contrarios, sed horum unum esse parentem alterius, a quo mundus creatus sit. Corporum resurrectionem negavit, Legem, et Prophetas sprevit, sed Philumenæ, quæ insigne prostibulum, et præstigiatrix erat falsas revelationes suis observandas dedit. Ab Rhodone quodam confutatus, et ad incitas redactus, respondit, unum quemque in eo debere perstare, quod semel imbibisset, et ad salutem perventuros omnes, qui suam in Christo fiduciam colocassent. Ophitæ, Cajanitæ, Sethiani, et Adamitæ erant sectæ partim etiam a Valentinianis, partim a Gnosticis descendentes. *Ophitae* docebant etiam, serpentem illum, qui decepit Evam, fuisse Christum: iidem serpentem quemdam naturalem religioso cultu prosecuti sunt. *Cajanitae* Cainum, Dathan, et Core rebelles adversus Moysem, nec non Sodomitas, et Judam proditorem in summa veneratione habuerunt. *Sethiani* Sethum, qui ante diluvium vixit, pro Christo coluerunt, Gnosticorum etiam affecti turpitudinibus. *Adamitae* ad eas sordes, quæ Gnosticis erant, nuditatem etiam addiderunt, in suis conventiculis Adamum repræsentantes, dum in statu innocentiæ fuisset. Post hos seculi secundi alii rursus Adamitæ seculo 2. ad finem vergente, ac tertii etiam ex Anabaptistis circa a. 1534. prognati, exstiterunt Adamitæ, illorum primorum Adamitarum mores imitati. *pag.* 292.

§. 45. *Montanus* docuit, Deum voluisse primo per Moysem, et Prophetas mundum salvare: cum sic ei res non processisset, corpus sumpsisse de Virgine; et in Christo sub specie filii prædicantem, mortem pro nobis obiisse: de-

demum postquam neque sic mundus salvari potuisset, per Spiritum sanctum in se, hoc est, in Montanum, et Priscillam, et Maximillam descendisse. Has duas mulieres cum Montanus pervertisset, iis etiam persvasit, ut se Spiritu divino afflatas venditarent. Tres suis sectatoribus præscripsit Quadragesimas, damnavit secundas nuptias, et primas quoque dissolvi permisit. In Montani sectam ipse etiam *Tertullianus* concessit: et postea ab his se segregans, sectam Tertullianistarum condidit. Specie vitæ severæ Montanus multos decepit. Causa Montani cum ad Romanum Pontificem delata fuisset, Martyres Lugdunenses, de quibus actum est supra §. 17. supplices literas eidem Pontifici miserant, ut Montano, et ceteris, a quibus receptus erat, pacem daret, hoc est in communione retineret, æque decepti, et illum pro sancto viro habentes. Tertullianus *lib. cont. Praxeam* in eundem Praxeam invectus est, quod falsa de Montano asseverando Romanum Pontificem induxerit ad revocandas pacis literas jam emissas.

Dallæus arguit nos Catholicos *sumpsisse Quadragesimam*, quam observamus a Montanistis. Hi tres Quadragesimas observarunt, quasi tres passi sint Salvatores. Jamne vero hinc consequens est, nos unam nostram Quadragesimam sumpsisse a Montanistis? Si tamen Dallæus velit valere istam conclusionem, ergo similiter concludat necesse est, Salvatorem, quem unum et nos, et ipsi etiam Calvini sectatores, e quorum numero ipse etiam Dallæus fuit, credimus, habere a Montanistis, quia istis tres fuerint Salvatores. *Nos unam Quadragesimam*, ait S. Hieronymus, *secundum traditionem Apostolo-*

rum

rum jejunamus. Non ergo secundum Montanum. Deinde Christi in hoc exemplum imitamur. Basnagius, volens hoc testimonium S. Hieronymi de Quadragesima, quam secundum traditionem Apostolorum observemus enervare, dixit, Apostolicam traditionem non semper stricte sumi a Patribus: siquidem ejusdem Hieronymi etiam sit: *Una quaeque provincia abundet in sensu suo, et præcepta Majorum leges Apostolicas arbitretur.* Nempe quoad obligationem perinde præcepta Majorum observandi, atque ea observentur, quæ venerunt ex traditione Apostolica. Dum ipse Christus Apostolis dixit: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* Luc. 10. v. 16. quis tamen hinc asserturus est, eosdem fuisse Apostolos et Christum? Quæ insuper affert contra jejunium Quadragesimæ Basnagius plura, ut, quod in os intrat, non coinquinare hominem, omnia esse munda mundis, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, adhuc sunt levioris momenti, et multo magis frivola. *pag.* 295.

§. 46. *Encratitae* quorum auctor fuit Tatianus, abstinebant a carne, vino, et matrimonio, veluti a rebus, quarum non Deus, verum diabolus auctor sit. *Severus* Tatiani inventis, utpote illius discipulus, dum sua addidit placita, novam etiam condidit sectam. Hæc, ut alia prætereeam, adstruxit, hominem esse Dei opus solummodo quoad superiorem corporis partem, quoad nferiorem diaboli, idque etiam tantum modo in mare, feminam autem ex toto tribuit diabolo. Ex Encratitis pullularunt etiam *Apostolici* alio nomine *Apotactitae* summam abstinentiam professi mundanarum rerum, velut

necessariam ad salutem, nec lapsis post Baptismum in aliquod peccatum spem ullam salutis relinquentes. *Hermogenes* præter alia docuit, Deum non ex nihilo condidisse mundum, sed ex materia, quæ exstiterit ab æterno. *Bardesanes* Valentinianorum errores cum amplexus esset, attamen sic, ut novam iis formam suo ingenio inderet; hoc pacto novam etiam conflavit sectam. *Marcus* et *Colarbasus* pariter discipuli Valentini Aeonum fabulosam generationem, et propagationem per alphabetum Græcum explicabant, et feminas præsertim nobiles venabantur ad rem fœdam cum iis perpetrandam, promittendo, ista ratione a se Spiritum sanctum in illas derivatum iri. *Theodotus Byzantinus* Christum asseverabat fuisse nonnisi hominem. *Theodotus Argentarius* docuit, Christum inferiorem esse Melchisedecho. Utriusque Theodoti sectatores dicti sunt etiam *Alogi*, quod Verbi, de quo est *Joan.* 1. v. 1. divinitatem abnegassent. *Artemon* pariter Christi inficiatus est divinitatem. *pag.* 308.

§. 47. *Praxeas* ille idem, cujus §. 45. jam facta mentio est, tres distinctas personas negavit in Deo. Iidem dicti, et Monarchici, et Patripassiani. Eundem errorem suscitavit *Noetus* Smyrnensis, iterumque *Sabellius* Pentapolitanus in Aegypto. In Pentapoli eo usque error iste increverat, ut S. Athanasio teste vix ultra Dei Filius in Ecclesia prædicaretur. Ad hunc confutandum Dionysius Episcopus Alexandrinus scripserat epistolam ad Ammonium, et Euphranorem. In hac quibusdam Pentapolitanis visus est ipse etiam Dionysius incidisse in contrarium errorem, et sic tres personas in Deo asseruisset,

ut

ut eas doceret non esse æquales. Itaque hi eumdem Dionysium apud Dionysium Romanum Pontificem accusarunt: qui sui purgandi causa apologiam scripsit, et Romano Antistiti misit.

Baronius in Annalibus *argumentum* in hoc constituit *jurisdictionis*, quam Romanus Pontifex habeat supra omnes ceteros Episcopos. *Basnagius* adversus eumdem Baronium negavit hinc istud duci posse argumentum: dicitque in confesso esse, hanc non fuisse legitimam, et regulis Ecclesiasticis consentaneam accusationem. Nam Dionysium inscium, neque prius interrogatum nec debuisse, nec potuisse deferri, sed hunc conveniendum fuisse prius apud synodum Alexandrinam, reumque agendum: sic namque actum esse etiam in causa Pauli Samosateni. Illud vero, quod Basnagius dixit, in Confesso esse, non ita se habet, sed solum modo illud est legitimum, et regulis Ecclesiasticis consentaneum, ne is, qui accusatus est, prius condemnetur, quam sit auditus, suique defendendi habuerit potestatem. Hoc autem observatum est erga Dionysium Alexand. atque hinc venit etiam apologia, quam pro se ad Romanum Pontificem misit. Sed prius conveniri debuisset apud Alexandrinam Synodum, quia sic actum sit etiam in causa Pauli Samosateni. Sic omnino actum est in causa Pauli Samosateni. Sed et illud factum esse, ut Dionysius ad Romanum Pontificem deferretur perinde ex Historiæ Ecclesiasticæ monumentis videmus, atque istud de Samosateno, judicato in Antiocheno concilio. Igitur si rite quidpiam concludere ex Historiæ monumentis volumus, concludendum erit, utrumque fieri potuisse. Dum vero Basnagius dicit,

4 * Dio-

Dionysium, prius quam deferretur ad Romanum Pontificem, conveniendum fuisse apud Synodum Alexandrinam; igitur ipse concessit, Romanum Pontificem illius auctoritatis supra ipsa etiam Episcoporum aliorum concilia esse, ut hinc adhuc causæ deferendæ essent ad eumdem Romanum Pontificem. Hoc vero adhuc majoris ponderis est, quam illud ex Pentapolitanorum facto, ad demonstrandam Pontificis Romani auctoritatem. Itaque, quam Basnagius volebat inficiari, hanc etiam per seipsum confirmavit, et adseruit Romani Pontificis auctoritatem. *pag.* 313.

§. 48. *Paulus Samosatenus* Episcopus Antiochenus Zenobiam, a qua vocatus erat, ut ei exponeret instituta Religionis Christianæ docuerat, Christum fuisse nonnisi purum hominem. Antiochiam idcirco Episcopi conveniunt ad concilium. Ille, sed non sincere, promisit, se idem posthac sensurum, et docturum, quod ceteri in Ecclesia crederent. Cum vero deprehensus esset idem tamen quod antea, docere, Episcopi denuo ad Concilium Antiochiam convenerunt, et Samosatenum condemnaverunt, missis etiam literis ad Dionysium Pont. Rom. ad Maximum Alexandrinum, reliquarumque provinciarum Episcopos. *Ariani* post Concilium Nicænum adversus Ὁμόουσιον Symboli Nicæni objecerant, fuisse istud damnatum in Concilio Antiocheno contra Paulum Samosat. habito. Hoc autem verum non est. Non enim profecto Ariani omisissent, istud etiam in Concilio Nicæno opponere adversus Homousion: quod tamen non fecerunt. Apud Harduinum *in Collect. Concilior. in Actis Conc. Ephesini* ab Eusebio Doryleensi provocatio facta est adversus Nestorium ad Symbolum Patrum Antiochenorum, at-

atque ista verba ex eo de Christo allegantur: *Deum verum ex Deo vero, Consubstantialem Patri.* Tantum igitur abest, ut inter hæc concilia aliquid exstiterit dissentaneum; ut ipsa etiam verba Concilii Antiocheni usurpaverit Concilium Nicæenum. *pag.* 319.

§. 49. *Scythianus* Arabs quatuor libros composuerat, quorum hæres factus est *Terebinthus* ejus discipulus, qui se Buddam nominavit, et in Persidem ex Palæstina profectus, cum doctrinam disseminare coepisset, occisus a Persis fuisset, nisi quædam mulier illum domi suæ occultasset. Hic deinde e tecto domus delapsus in terram cum mortuus fuisset mulier servum emit nomine *Curbicum*, quem filium sibi adoptavit, et disciplinis Persicis instruendum curavit. Iste autem etiam Scythiani merces, quas ex ejus libris combiberat, explicavit, et in publicum protulit, Manetem se vocans: cujus vero sectatores se Manichæos vocarunt. *Manes* prædicabat, se illum Paracletum esse, quem Christus dixerit se missurum. Sapori Persarum Regi promiserat, se filiolum ejus infirmum sola precatione sua sanaturum. Puer mortuus est. Fugit Manes ad ditiones Imperii Romani. Marcellum virum opulentum conatur inducere ad sua placita. Apud hunc instituitur disputatio de iis, quæ docebat, ipsisque philosophis arbitris, in hanc disputationem adhibitis succumbit. Capitur, et reducto ad Saporem cutis arundine detrahitur.

Manetis et ejus sectatorum *dogmata erant*, duo esse rerum principia: a malo principio dicebant totum esse factum, quod corporeum est. Hinc negabant, verum corpus fuisse Chri-

Christo; mendicis, nisi importunioribus, nihil dabant, ne ejus corpori subvenirent; cibos non aliter ipsi capiebant, nisi protestando contra eos, et iis imprecando, quorum industria procreati, et parati essent. Animas duas in homine ponebant, et earum transmigrationem ab alio in alium hominem asserebant. Animam qualem homo habet, ponebant in omnibus arboribus, et plantis. Libros quoque Canonicos Veteris Testamenti repudiarunt, omnes, velut a malo principio venientes, quem diabolum esse dicebant. Baptismum quoque abjecerunt, Eucharistiam autem sibi spurcissimam constituerunt. Et tamen, quia data erat libidinis licentia, admodum celeres alas hæc secta ad sui propagationem habuit; et quamvis etiam per Imperatores comprimeretur cruentis suppliciis; tamen identidem repullulavit, atque in ipsam etiam Hungariam intravit per Saracenos, et Turcas Manichæismo infectos, unde maledicentiæ formulæ etiam nunc adhuc supersunt, quibus id omne diabolo tribuitur, quod cuipiam contingit adversum. Alliciebant homines ad suam sectam dicendo, se se illis, non aliud offerre quam quod ipsi cernere possent, quale sit, nec consensum aliter petere, quam si ipsi ratione sua convicti essent ad ea credenda, quæ ab ipsis dicerentur. Ista ratione ipse etiam S. Augustinus captum se esse ab illis confessus est.

Dum Manes suam in Persia, *Hierax* in Aegypto condebat sectam suam, negans mortuorum resurrectionem, damnans nuptias, et matrimonium. Eodem tempore exorti sunt *Angelici*, incertum, quo auctore, vel quia mundum crediderint conditum ab Angelis, vel quod se his æquarent in vitæ puritate, Angelicorum nomen

men sortiti. Apostolici quoque, de quibus jam est dictum §. 46. hoc cum Angelicis tempore prodierunt. *pag.* 322.

§. 50. *Donatistarum* valde propagata *secta* in Africa, originem habuit inde, quod cum Mensurio Episcopo Carthaginensi mortuo, *Cæcilianus* electus in ejus locum fuisset, atque hunc pertimuissent Botrus, et Coelesius Presbyteri, qui thesauros Ecclesiæ, suæ custodiæ a Mensurio commissos dissipaverant, factionem conflavissent adversus eumdem Cæcilianum, effecissentque, ut *Majorinus*, Lucillæ potentis feminæ male affectæ Cæciliano, quia correpta ab eo erat quod ante sumptionem Eucharistiæ nondum vindicati, aut neque Martyris os osculata esset, nova instituta electione Episcopus eligeretur. Scissio enim hinc exorta est, dum alii Cæciliano, alii Majorino adhæsissent. Adversus Cæcilianum obtendebatur, quod esset consecratus episcopus a Felice Aptungitano, in quem contulerant, idque falso etiam, fuisse in persecutione traditorem sacrorum librorum. A Constantino Imp. Anulino Proconsuli, et Patricio Vicario Præfecti mandatum est, ut Cæciliano assisterent, et eos coercerent, qui turbas excitarent. Donatistæ, (hoc nomen illorum a Donato venit, cognomento a Casis nigris, qui Majorino successerat) supplicibus literis a Constantino petierunt, ut eorum causa accuratius expenderetur, non tamen per Episcopos Africanos. Constantinus causam misit ad *Melchiadem* Romanum Episcopum, designatis etiam quibusdam Episcopis e Gallia. Romæ habitum est concilium a 313. Causa adjudicata est Cæciliano.

Disputari hic solet, Melchiades *suone proprio*

prio jure istud judicium instituerit, vel tantum a Constantino Imp. sibi delegato. Est hæc Protestantium, et Febronianorum, utpote pedisequorum Protestantium disputatio. Basnagius contra jus proprium Romani Pontificis affert, quod is de hac controversia judicium non prius instituerit, quam ista a Consantino missa ad eum fuisset. Jamne vero hinc consequens est, judicium hoc ad Melchiadem non spectasse jure illius proprio? Quid? si potius etiam contrarium sequitur causam mittente ad Melchiadem, tamquam ad quem crediderit eam spectare? Sed non susceperat prius causam, ut de ea judicium ferret, quam ad eum missa fuisset. Quia videlicet Cæcilianus, fidens causæ suæ, et contemnens assultus Donatistarum, nullum adhuc judicium petierat. Alterum Basnagii est, quod S. Augustinus dicat *Epist.* 136. Constantinum causam hanc delegasse Episcopis, in verbo *delegare* ponentis vim sui argumenti: quasi semper vocabula sumerentur in omni rigore. Cur vero omisit, integre referre S. Augustini verba: *Quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam, et finiendam Episcopis delegavit? pag.* 330.

§. 51. *Donatistae* perstant in *pervicacia.* Queruntur adversus judicium Romæ habitum, dicentes, non esse inquisitum, an Felix Aptungitanus, qui Cæcilianum ordinavit, libros sacros tradiderit in persecutione; deinde fuisse nimis paucos Episcopos, qui judicium tulerint. Mandat Constantinus Imp. Aeliano Proconsuli, ut ex Actis Consularibus rem exquirat. Nihil in his repertum est de traditione librorum facta a Felice. Etiam *Concilium* Constantinus *Arelatem* convocat Episcoporum ex diversis, et

et prope infinitis locis. Apud S. Augustinum est, Concilium hoc constitisse ex Episcopis ducentis. Affuerunt etiam legati Silvestri Romani Pontificis. Cæcilianus rursus obtinuit causam. Patres Concilii Canones, et statuta a se facta miserunt ad Silvestrum Papam his usi ad eum verbis: *Placuit, etiam a te, qui majores diœceses tenes, per te potissimum omnibus intimari*. Ex diversis, et prope infinitis locis convenerant Episcopi, et tamen majores diœceses tenebat Romanus Pontifex. Igitur ultra eas etiam diœceses, quarum Episcopi erant in Concilio, se se extenderat Romani Pontificis jurisdictio. Quia videlicet in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam plenam accepit potestatem. Eadem Synodus non per seipsam promulgavit statuta sua, sed petiit ab Romano Pontifice, ut id faceret, eo quod majores teneret diœceses. Dum majores tenere diœceses indicet Romani Pontificis Primatum supra universam Ecclesiam, intelligitur ideo etiam Synodum petiisse a Pontifice ut is promulgationem statutorum faceret, quo sic per eum ista rata habita, plenam assequerentur auctoritatem. Quibus demonstratis, haud difficile etiam erit advertere, Basnagium nimis detortam fecisse verborum illorum Synodi ad Silvestrum Papam explicationem. *Illud in observatione ponendum ait Arelatenses, non ut subditos Principi decreta Silvestro sua notificasse, sed ut collegas cum fratre, vinculo charitatis copulatos, neque etiam ab eo flagitare robur, vimque canonibus suis incutiat, sed mandare, ut eos omnibus manifestos faciat adhibito verbo, Placuit, quod imperantium est, non rogantium, sane judicum, non subditorum*. Nam quomodo ista cohærent: Arelatenses sua decreta notificasse Silvestro velut col-

le-

legas cum fratre vinculo charitatis conjunctos; eosdem vero non flagitare, sed mandare, ut ista omnibus manifesta faciat? Et verbum *Placet* habere significationem imperantis quomodo Basnagius probabit. *pag.* 340.

§, 52. *Donatistae* nec sententiæ Arelatensis Concilli cesserant, sed *Constantinum adierunt*, et petierunt, ut is causam per seipsum cognosceret. Quamvis idcirco indignatus vehementer fuisset; tamen postea ipsis cessit, sperans fore, ut se tandem componant, et a turbis cessent. Mediolani cum deinde præsente etiam Cæciliano causam Imperator expendisset Cæcilianum innocentissimum, illos improbissimos judicavit. Imperatori refragari in faciem non ausi, sparserunt, illum ab Osio Cordubensi fuisse inductum ad sententiam ferendam, quæ æqua non sit. Neque vero hic stetit Donatistarum protervia, atque audacia. *Invaserunt*, et *occuparunt* Catholicorum Ecclesias, altaria alia confregerunt, alia raserunt, idemque cum sacris vasis, et calicibus fecerunt, quin ipsam etiam Eucharistiam canibus effuderunt. Cum huic Donatistarum facto Natalis Alexander dixisset, simile illud fuisse, quod Calvini sectatores postea in Gallia egerunt, *Basnagius* hanc Natalis, et quam plurium farinæ ejusmodi hominum vocavit iniquitatem, quam contusurus ipse eam differentiam posuit inter res sacras a Donatistis violatas, et eas, quas violaverant Calvinistæ, quod istæ, non illæ idololatria, et superstitionis veneno fuerint contaminatæ. Videlicet idololatriam, et superstitionis venenum vocat adorationem, quam nos in Eucharistia Christo exhibemus. At vero hanc Catholici non tantum in Africa, verum etiam ali-

alibi ubique adorarunt illo etiam tempore. *Nemo* enim ait S. Augustinus, *illam Carnem manducat, nisi prius adoraverit.* Hac itaque manente æqualitate Basnagius non contudit Natalis et plurium ejusdem farinæ iniquitatem. Nec Christum adorare, sed non adorare, iniquum est. Constantinus omnes, quas rapuerunt Ecclesias, Donatistis ademit, conventicula ipsis interdixit, et factionis primores in exilium egit, sed quibus paulo post reditum concessit, eo quod essent Sacerdotes. Hac vero illi abusi Imperatoris lenitate continuarunt suam sectam propagare; atque ut viderentur eam Ecclesiam habere, quam Christus supra Petrum ædificavit, etiam Romæ sibi Episcopum constituerunt, et quidam ex Africa Donatistæ Romam habitatum iverunt. *pag.* 344.

§. 53. *Donatistae* non tantum a communione cum Cæciliano Episc. Carth. verum etiam a tota Ecclesia Catholica recesserunt, eo, quod ista Cæcilianum in sua communione haberet. Sibi solis veram Christi Ecclesiam dicebant esse. Hinc vero ulterius procedentes, negabant, valide administrari Sacramenta ab ullo, qui extra ipsorum sectam esset. Quamobrem omnes ad suam sectam transeuntes, etiam Catholicos, rebaptizabant: idemque etiam deinde extenderunt ad omnes, qui qualicunque crimine affecti essent, nec per hos Sacramenti alicujus factam administrationem valere voluerunt. Denique eo etiam devenerunt, ut Ecclesiam istam quoque, quæ adhuc in peregrinationis statu in hoc mundo existit, assererent, omnis maculæ expertem. Iidem Donatistæ dum ipsorum alii contra Primianum suum Carthagine Episcopum insurrexissent, eo nomine, quod indignos ad communionem re-

ci-

ciperet, alii vero pro illo stetissent; scissi in partes plures sunt, et in sectas abierunt, etiam a se invicem dissidentes. Harum nulla perversior exstitit, quam *Circumcellionum.* Erant hi nihil nisi prædones, et grassatores, qui se tamen sanctos vocarent, quorum duces erant *Maxid*, et *Fasir.* A Constante filio Constantini M. cui imperium in Africa post mortem patris obtigerat, immissis militum copiis coerciti sunt. Idem Constans etiam aliorum Donatistarum Episcopos exilio mulctaverat. Julianus apostata, dum promiscue omnibus Episcopis cujuscunque sectæ reditum ab exilio concessisset, et Donatistæ etiam rediissent ad suas sedes, atque iterum, etiam ferocius grassati in Catholicos fuissent, sublato Juliano per Valentinianum, Gratianum, Theodosium Imperatores, severæ in eas leges sancitæ sunt. Attamen pergebant seducere Catholicos, vel etiam minis ad se pertrahere. Episcopi Catholici tentarunt per colloquia Donatistas revocare ad concordiam: Detrectarunt vero hi facere hoc colloquium; et Possidium etiam, Episcopum Catholicum Calamensem, qui Crispinum ejusdem civitatis Episcopum Donatistam provocaverat ad secum colloquendum, in via, quam fecerat, adgressi indignissimis verberibus affecerunt, domum, in quam diverterat, succenderunt, curru, equis, rebusque omnibus spoliaverunt. *pag.* 351.

§. 54. *Honorius* Imp. postquam Gothi invasissent Italiam, atque ipsam etiam Romam cepissent, Attalumque Urbis Præfectum adegissent ad sumendam purpuram, metuens ne Africa ab eo deficeret, indulserat Donatistis religionis libertatem. Qua sibi concessa multo adhuc fe-

ferocius grassabantur in Catholicos, et præsertim in Clericos, fustibus eos contundendo, et ferventem calcem cum aceto infundendo in eorum oculos. *Maximianus* Episcopus Bagajanus ita fustibus contusus, ut pro mortuo ab iisdem Donatistis sit relictus, cum se tamen recollegisset, et convaluisset cum pluribus aliis, atroces etiam injurias perpessis ad Honorium venerunt, et qualia passi essent a Donatistis, ei exhibuerunt. Quibus visis is ita motus est, ut ne nomen quidem Donatistarum voluerit ultra exstare. Dum autem postea vi adigi cœpissent ad resumendam Catholicam Religionem, modus vero iste Donatistas convertendi Episcopis, ipsique etiam S. Augustino probatus non fuisset, ne ficti tantum Catholici fierent, qui aperti erant hæretici; ex consilio eorumdem Episcoporum Honorius Donatistas ad tractandum de Religione cum Episcopis Catholicis adegit. *Collatio* hæc illa celebris est Catholicorum cum Donatistis. Carthaginem, ubi habita est, convenerunt Catholici Episcopi 206. Donatistarum Episcopi 270. Marcellinum Tribunum Imperator præfecerat negotio ea cum auctoritate; ut is sententiam ferret, utra pars vicisset. Anno 411. die 1. Junii cœpit Collatio, octavo autem inde die terminata est. Assumpta sunt ea, quæ sibi Donatistæ fecerant dogmata, et in quibus dissentiebant ab Ecclesia Catholica. Attulerant Donatistæ, esse Ecclesiam totam pulchram, et absque macula. Istud vero Episcopi Catholici, inter quos in disputando præcipue S. Augustini excelluerat opera, demonstrabant, spectare ad Ecclesiam non in hoc peregrinationis statu positam, sed ad illum ipsius gloriosum statum, quem assecutura sit in cælo. Ad illud Donatistarum, unde adstruebant ab hæreti-

co,

co, et a ministro, alio etiam crimine affecto non valere administratum Baptismum, vel aliud Sacramentum, declararunt Catholici Episcopi virtutem Sacramentorum esse a solo Christo, non pendere a ministro. Hinc itum est ad ordinationem Cæciliani per Felicem Aptungitanum. Productis Actis apparuit, Felicem non fuisse librorum Sacrorum traditorem, et cum istud crimen etiam in Marcellinum et Melchiadem Romanos Pontifices voluissent conferre, petitum vero a Donatistis fuisset, ut rem probent, nihilque pro ea afferre potuissent, victoria a Marcellino adjudicata Catholicis est. Prolatis in publicum Collationis Actis, Donatistæ quam plurimi, deposito schismate, ad Ecclesiam statim redierunt, magisque semper defecerunt, ac demum desierunt, auxilio etiam edictorum ab Imperatore adversum eos factorum. *pag.* 356.

§. 55. Donatistarum schismate adhuc magis exitiabilis fuit *secta Arianorum*, cujus Arius Presbyter Alexandrinus fuit auctor a. 317. Erat primum addictus *schismati Meletii* Episcopi Lycopolitani: qui damnatus a Petro Episcopo Alexandrino ob crimen idololatriæ in persecutione Diocletiani admissum, non modo non paruit sententiæ adversus se latæ, sed jurisdictionem etiam invadendo ipsius Petri, ordinabat Episcopos. Ab hoc schismate cum deinde Arius, adhuc tum diaconus recessisset, Achillas, qui Petro successerat, ipsum evexerat ad Presbyteratum, Alexander, successor Achillæ in Episcopatu, in concione cum Unitatem naturæ in tribus Divinis personis asseruisset, Arius ausus est adversus illum insurgere, atque erroris arguere Sabelliani, asserens, quemadmodum Patris, et

Fi-

Filii, non una esset persona, ita neque ejusdem Patris, et Filii unam, et eamdem esse naturam, suum errorem in eo fundans, quod in omnium animantium genere pater semper sit tempore anterior,. inscitisime ab animantium generatione, quæ initium habet, ducendo argumentum adversus æternam Filii a Patre in Sanctissima Trinitate nativitatem. Cepit tamen multos statim sua hac argumentatione, in suumque errorem attraxit. Ab Alexandro cum Concilio Episcoporum fere centum damnatus est. Ille in Palæstinam se contulit, multosque tam in Palæstina, quam in aliis regionibus nactus est fautores, etiam Episcopos, inter quos *Eusebio Nicomediensi*, nemo fuit, qui errorem Arii magis adjuvisset. Res, quæ erat acta in Aegypto adversus Arium, significata est ab Alexandro Silvestro Papæ, aliarumque Ecclesiarum Episcopis. Osius Episcopus Cordubensis venit in Orientem ad Constantinum Imp. a quo idem missus est Alexandriam ad dissidium sopiendum. Iterum ergo celebratum est concilium, quo nihilo plus, quam antea adversus Arium, ceterosque, jam captos illius errore, profectum est. Nec res magis prospere successit ad extingvendum Meletii schisma. Tantumque *Colluthus* Presbyter Alexandrinus, qui sibi sumpserat ordinare Presbyteros, aliosque Clericos, redactus iu ordinem est, uno adhuc Ischyra, quem Colluthus ordinaverat, se adhuc proterve pro Presbytero gerente.

§. 56. *Constantinus* Imp. convocat Episcopos ex toto Romano Imperio ad Concilium *Nicaeam* civitatem Bithyniæ. Convenerunt hi 318. Anno 325. die 19. Junii cœpit. Eidem interfuit ipse etiam Constantinus Imp. habuitque sermo-

monem ad Episcopos, salutatus ipse antea ab uno ex Episcopis. Libellos qui ei erant oblati a quibusdam Episcopis cum querimoniis adversus alios Episcopos respuit legere, ne, ut dicebat sibi arrogaret rerum cognitionem de Sacerdotibus. Arius jussus dicere, quid sentiret de Christo, cum illud idem professus esset, propter quod jam erat damnatus in synodis, Alexandriæ habitis, videlicet, esse hunc factum, et creatum e nihilo, et fuisse tempus, quo is non exstiterit, anathemate percussus est. Decem, et septem erant Episcopi, qui cum Ario stabant: e quibus decem statim cesserunt metu ejusdem anathematis, et suæ dejectionis ex Episcopatu. Quinque reliqui, Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicænus, Maris Chalcedonensis, Theonas Marmaricæ, et Secundus Ptolemaidis Episcopus, diutius repugnarunt: tandem vero etiam ex his tres cesserunt, solique, Theonas, et Secundus cedere noluerunt. Quamobrem, perinde ut Arius, damnati sunt a Concilio, et ab Imperatore acti in exilium. Inter illos septemdecim erat etiam Eusebius Cæsareensis. Cum Ario damnata etiam est ejusdem Thalia, et tam hæc, quam omnes alii ejus libri igni traditi. Est *Symbolum* etiam confectum, in quo datum omnibus ad credendum est, Christum Dei Filium esse *Consubstantialem* Patri. Arianos Porphyrianorum nomine voluit vocari Constantinus. Itum deinde est ad *schisma Meletii* convellendum. Tam Episcopi, quam alii Clerici, a Meletio ordinati retenti sunt in gradu suo addita tamen conditione. Meletius quoque se subjecerat: qui vero postea ad ingenium rediit suum. Post cujus mortem ejus asseclæ cum Arianis in unam sectam coiverunt. Quoad festum Paschatis, quod nondum ab omnibus eodem

die

die celebrabatur, statutum est, ut istud celebretur die Dominica post lunam decimam quartam illius mensis, quo æquinoctium contingit vernale. *Acesius* Episcopus Novatianorum accersitus ab Imperatore ad Concilium, cum iis, quæ definita erant adversus Arium, et statuto de Paschate suum etiam consensum statim adjecisset, suum tamen errorem dimittere noluit, afferens illud pro se, quod Scriptura Divina dicat, esse peccatum ad mortem. Multi etiam *Philosophi* gentiles curiositatis gratia venerant ad Concilium. Quidam ex his insolentior provocaverat Episcopos ad disputandum secum. Quem unus ex Episcopis cum auctoritate, et præsentia animi in loquendo adgressus, quamvis dialecticæ expers, ita obstupefecit, ut muto similis steterit, ac deinde victas etiam manus eidem Episcopo dederit. Ario dediti multos secum *dialecticos* adduxerant, qui priusquam incepisset Concilium, conabantur Episcopos suis argutiis irretire, et capere: quorum pariter ora contudit quidam, isque solummodo laicus, opponendo, et redarguendo, Fidem a Christo, et Apostolis esse nobis traditam, cui adhærere oporteat, non artem sophisticam. Huic applausum ab omnibus est, dialectici in comtemptum venerunt, nec se ultra jactare ausi sunt.

§. 57. In Collectionibus Conciliorum solummodo *viginti Canones* comparent, in hoc Nicæno Concilio constituti. Turrianus octoginta edidit e codice Ms. ex lingva Arabica, in latinam versos, Abraham Ecchellensis et hos, et alios insuper quatuor, cum multis aliis statutis ab eodem concilio factis. Acta de rebus hujus etiam Concilii confecta ab ipsis Nicænis Patribus memoran-

tur a S. Athanasio, et in Dialogo contra Luciferianos, qui inscriptus est nomine S. Hieronymi. Photius testatur se legisse res actas in hoc Concilio tribus libris comprehensas. Gelasius Cyzicenus refert, in librum se incidisse, res continentem hujus ejusdem Concilii descriptas in membranis integris, quas mare immensum vocat. Jam antecessit, actum esse, de die quo Pascha sit celebrandum: de quo tamen siletur in istis viginti canonibus, quos solos nostræ editiones habent. In Ephesini I. concilii gen. Act. 7. memoratur privilegium, Episcopo Cypri ab hac Synodo concessum; in Chalcedonensi præscriptam esse formulam Epistolarum Formatarum, S. Hieronymus testatur librum Judith ab hac Synodo in numero sacrarum Scripturarum computatum esse, et quæ plura adhuc sunt istius generis, unde manifestum fit, istis viginti Canonibus non contineri omnia statuta Nicæni Concilii.

In eo Canone, qui tertius est inter hos viginti, interdicitur Clericis, ne secum *Extraneam* habeant, nisi forte hæc mater, aut soror, aut avia, aut amita, aut matertera esset. Quidam videlicet istas secum habebant, quas Agapetas (dilectas) vocabant. Sed quod, ut S. Hieronymus dicit, erat sine nuptiis aliud nomen uxorum, imo novum concubinarum genus. Socrates, Sozomenus, et Gelasius Cyzicenus narrant, Patres Nicænos paratos fuisse facere statutum de cælibatu Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum, sed abstinuisse, disvadente Paphnutio Episcopo. Huic vero istorum narrationi adversatur illud, quod docet S. Hieronymus, cujus verba sunt: *Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi*

aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici. Idem docet S. Epiphanius. Sextus Canon est: *Antiqua consvetudo servetur per Aegyptum, Libyam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, ceterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis:* qui vero ab anteriore sua parte mutilatus est, carens his verbis: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Per Arianos hæc facta mutilatio est. In Concilio Florentino producta est epistola Liberii Papæ, quæ testabatur, S. Athanasium Romam recurrisse pro authentico, et incorrupto codice Nicæni Concilii. In hoc Canone potestas, quæ Episcopo Alexandrino asseritur supra Aegyptum, Libyam, et Pentapolim ex parili more Episcopi Romani, intelligitur Patriarchalis, qualem etiam Episcopus Romanus exercet supra Occidentis omnes regiones, sed ita ut una etiam habeat Primatum in universam Ecclesiam, quod in hujus etiam Canonis anteriore parte positum fuit. Quod in hoc Canone est: Ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis. Romæ Episcopo parilis mos est, Rufinus vertit: *Ut et ille* (Alexandrinus Episcopus) *vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Hinc Basnagius, Blondellus, aliique Protestantes argumentum duxerunt ad probandam Romani Pontificis potestatem, idque etiam solummodo supra Ecclesias urbis Romæ suburbicarias nonnisi talem, qualem habuerit Episcopus Alexandrinus supra Aegyptum, Libyam, et Pentapolim, et quam ipsam potestatem tantummodo is assecutus sit per Concilium Ni-

cænum. Ex Rufini versione hoc petierunt argumentum; at vero ista recta non est. Si quidem in Græco apud Gelasum Cyzicenum sit: Ἐπειδὴ καὶ τῷ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστι: *Quoniam et Romano Episcopo hoc consvetum est.* De jure Metropolitano Episcopi Alexandrini, quod erat turbatum per Meletium, agebatur in Concilio. Itaque istud est stabilitum, et ex forma, qua istud Romanus Episcopus exerceret supra Occidentis Ecclesias, Synodus sumpsit exemplum, ut est a Nicolao I. Papa scriptum in epist. ad Michaelem Imp. quod Ecclesiæ Alexandrinæ tribueret. *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, sunt verba hujus ipsius Canonis. Canone septimo Aeliæ, id est, *Jerosolymae Episcopo* honor delatus est, post Alexandrinum, et Antiochenum ceteros antecedendi Episcopos manente metropolitanæ civitatis propria dignitate. Hæc erat Cæsarea. Canone decimo octavo statutum factum est de *Paulianistis*, et *Cataphrygibus* rebaptizandis, dum ex hæresi ad Ecclesiam redirent. *pag.* 379.

§. 58. Concilium Nicænum esse a Constantino Imp. *convocatum*, est dictum §pho 56. Protestantes asserunt, Constantinum hoc fecisse suo proprio jure. At vero Rufinus docet, hanc convocationem esse factam *ex Sacerdotum sententia.* Gelasius quoque testatur, eam *per beatum, et sanctum Osium esse factam.* Ex epistola Liberii Papæ constat rem de Ario esse ab Alexandro. Episc. Alexand. perscriptam Silvestro Papæ. Osius deinde venerat Nicomediam ad Constantinum. Nicomedia is missus a Constantino Alexandriam est; cumque denuo tentata esset Arii, ejusque sectatorum revocatio ad sanitatem, sed nihil profe-

ctum

ctum etiam nunc, Osiusque reversus esset ad Imperatorem; is convocavit Episcopos ad Concilium. Unde intelligi potest, et hoc sibi Osium habuisse commissum a Silvestro, ut fieret Concilium, et ad ejusdem Osii petitionem illius etiam factam esse convocationem per Constantinum. In Synodo generali sexta Constantinopolitana sic acclamatum est Constantino Pogonato: *Arius divisor, et partitor Trinitatis insurgebat, et continuo Constantinus semper Augustus, et Silvester laudabilis magnam, atque insignem in Nicæa synodum congregabant.*

Protestantium alii volunt Constantinum Imp. *praesedisse* Nicæno Concilio. At vero Eusebius docet, Constantinum postquam salutatus fuisset, atque ipse etiam sermonem ad Episcopos habuisset, *deinceps autem Concilii Præsidibus* (τοῖς τοῦ συνόδου προέδροις) *sermonem concessisse:* alii Alexandrum Episc. Alexand. alii Eustachium Episc. Antioch. ponunt præsedisse Concilio, tantummodo, ut hinc excludant Romanum Pontificem. At vero Gelasii sunt verba ista: *Ipse etiam Osius ex Hispaniis, nominis, et famæ celebritate insignis, qui Silvestri Episcopi antiquæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis Presbyteris, Vitone, et Vincentio cum aliis multis in consessu illo adfuit.* Subscripserunt deinde Actis Concilii primum Osius, deinde Vitus, et Vincentius Presbyteri urbis Romæ, ac nonnisi post hos Alexander Episc. Alexand. Eustachius Antiochenus, ceterique Episcopi. Nam profecto ii, qui cuicunque conventui præsident, primi etiam statutis Conventuum subscribunt. *Confirmatum* esse hoc Concilium a Romano Pontifice, docet Synodus Romana sub Felice III. Papa habita a. 483. Quin Inno-

nocentius I. docet, ipsos Patres Nicænos statuisse, *Ut quidquid quamvis de disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis* (Apostolicæ Romanæ) *notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa, quae fuerit pronunçiatio, firmaretur. pag.* 388.

§. 59. Concilium duravit usque ad d. 25. Julii, quo eodem die Constantinus celebravit etiam Vicennalia sui Imperii. Post Concilium *Eusebius Nicomediensis*, et Theognis Nicænus e codice Concilii deleverunt sua nomina, eo corrupto, cujus custodiæ codex erat commissus. Etiam coram Imperatore Eusebius declaravit, neque se aliter sentire, quam ii, quos propter dogma Arii egisset in exilium. Quamobrem et ipsé cum Theogni exulare debuit. Alexandro paulo post mortuo in Episcopatu Alexandrinæ Ecclesiæ successit *Athanasius.* Anno post Concilium circiter altero Arius facultatem redeundi ab exilio obtinuit. *Quidam Presbyter*, Ario deditus, cum in gratiam Constantiæ, sororis Constantini, adrepsisset, eique persvasisset Arium, eique adhærentes immerito exilium pati, et moribunda Constantino etiam idcirco religionem incussisset, eumdemque Presbyterum ei commendasset, atque iste deinde Constantino idem, quod ejus sorori instillasset, et Arius revocatus, coram eodem Constantino professus esset, se credere, Christum esse Deum, exilii pœna solutus est. Decepit autem Constantinum, Deum intelligens eo modo, quo in Scriptura vocantur dii non tantum Angeli, verum etiam homines. Pariter reditum obtinuerunt Eusebius, et Theognis, velut non minus innocenter, quam Arius, exilium feren-

rentes. Arium, revertentem Alexandriam, Athanasius non admisit ad communionem. *pag.* 395.

§. 60. *Eusebius* Nicomediensis cum se insinuasset in Constantini animum, et summam benevolentiam; totum se vertit ad Arianismum propagandum non aperte, sed fraudibus, et nequitia. Primarum Sedium in Oriente Episcopos orthodoxos, adgressus est malis artibus exturbare. Primo erga *Eustathium* Episc. Antioch. istud fecit, eique conducta muliere, quæ testaretur, illum secum consvetudinem habuisse, istudque fictum illius crimen detulisset ad Constantinum, comparavit exilium, intrusi vero in ejus locum sunt alii post alios, nonnisi quales Eusebius esse voluit. Perinde *Athanasium* adortus est, impactis ei falsis criminibus cum aliis, tum fracti calicis Ischyræ, occisi Arsenii Episcopi, atque rei turpissimæ cum femina habitæ. Petit, et obtinet ab Imperatore facultatem instituendæ Synodi ad inquirendum, verane essent, quorum accusaretur Athanasius. Primum Cæsaream in Palæstina citatus erat Athanasius ad concilium. Quo cum non venisset, deinde Imperatoris etiam minis compulsus est ire Tyrum ad concilium. In hoc quamvis diluisset illa adversum se putidissime conficta crimina, ita ut adversariorum etiam impudentissimæ calumniæ manifestæ fierent; tamen damnatus est. Istius Tyriensis conciliabuli non exspectato fine Athanasius se subduxit, et ad Imperatorem Constantinopolim se contulit. Aegre admissus, obtinuit demum, ut Episcopos juberet Tyro Constantinopolim venire, iisque præsentibus se audire. *pag.* 399.

§. 61.

§. 61. Episcopis literæ Imperatoris redditæ sunt, dum jam Episcopi Tyro *Jerosolymam* ivissent ad *Ecclesiae dedicationem*, quam supra sepulcrum Domini exstruendam Constantinus curaverat longe nobilissimam: neque tantum hi, verum etiam ex aliis locis Episcopi convenerunt ad illius dedicationem. Eusebius historicus, cum descripsisset solennitatem istius dedicationis, *Basnagius*, hocce loco istam more suo fecit animadversionem, non sparsis cineribus, non aqua benedicta, non chrismate, non imaginibus, non crucibus, earumque cærimoniarum supellectile, quæ consecrandis templis nunc adhibetur, sed sacrorum voluminum lectione, concionibus, incruentis sacrificiis, et mysticis oblationibus, atque precibus esse dedicationem factam. Non sequitur autem ista omnia adhibita non fuisse, quia minutatim ab Eusebio recensita non sint: sed neque cærimoniarum ea est natura, ut eædem semper debuerint esse, et jam a primæva ætate Ecclesiæ? Et dubiumne esse potest, quin Crucis simulacrum fuerit in Ecclesia hac constitutum, quod Constantinus statuerat in suo palatio, quod erexerat Romæ in celeberrimo ejus loco, quod etiam gestabat in galea sua? Et cur Basnagius omisit ex incruentis sacrificiis, et mysticis oblationibus, quas ex Eusebio ipse etiam memoravit, conclusionem facere, creditum esse jam etiam tunc Eucharistiam esse sacrificium incruentum, quemadmodum etiam nunc credit Catholica Ecclesia eo, quod in Divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus contineatur, et incruente immoletur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit? *Conc. Trident. Sess. 22. cap. 2.*

Je-

Jerosolymæ istius dedicationis occasione *Eusebius Nicomediensis* iterum instituit *conciliabulum*, in quo Arium, ejusque socium Euzojum Presbyterum reponunt ad communionem. Ipse deinde tantum cum aliquot Episcopis, quos idoneos judicaverat ad technam adversus Athanasium continuandam, pergit Constantinopolim, novum, quod commentus erat, afferens crimen, minatum esse Athanasium, se facturum ne frumentum ex Aegypto subvehatur Constantinopolim. Exarsit Imperator, et Athanasium Treviros in exilium misit. Eadem ratione, et fictis criminibus oppressos Episcopos alios etiam orthodoxos exturbaverat suis Sedibus Eusebius, *Arius* Alexandriæ volens Ecclesiam intrare, admissus non est. Ob turbas illic excitatas Arium Constantinus jusserat venire Constantinopolim, cumque denuo exquisivisset ex illo, consentiretne decretis Nicænæ Synodi, isque hoc de se etiam jure jurando asseverasset, eumdem Arium jussit reponi ad communionem Constantinopoli. Alexander ejusdem urbis Episcopus hinc in summam animi inciderat anxietatem. Pridie ejus diei, qua Eusebiani parabant Arium inducere in Ecclesiam, illumque tanquam in triumpho circumduxissent, subitus viscerum dolor ipsum invasit, cumque ad proximam latrinam fugisset, animam una cum visceribus egessit. *pag.* 409.

§. 62. Annus 337. extremus vitæ *Constantini* fuit. Morbo correptus, et primum Helenopolim, deinde Nicomediam delatus, convocavit Episcopos, et ab his Baptismum petiit, quem iidem ei etiam administrarunt, ac deinde sacrorum Mysteriorum participem fecerunt. Die 22.

Ma-

Maji, quo festum Pentecostes agebatur, id factum est, qua eadem etiam spiritum exhalavit. *Constantinum* extremo vitæ suæ tempore *baptizatum* esse, disertissime docent non tantum Socrates, Sozomenus, et Theodoretus, verum etiam SS. Hieronymus et Ambrosius, nec non Concilium Ariminense in epist. ad Constantium Imp. Ex quo intelligitur, Acta etiam illa Synodi Romanæ, quæ habent illum a Silvestro Papa esse baptizatum statim, postquam agnovisset veritatem Christianæ Religionis, non esse authentica, et fide digna. Constantinopolim exanime illius corpus reportatum, et in Ecclesia Apostolorum tumulatum est. De illius exequiis Eusebius scribens, refert, ab innumerabili populo una cum Sacerdotibus Dei non sine gemitu, et lacrymis pro Imperatoris anima preces oblatas esse. Ludit ingenio isthic etiam *Basnagius*. Moribundo, inquit, Principi nihil lustralis aquæ, nihil extremæ unctionis adhibitum, non viaticum ipsi quoque allatum. Quærit deinde etiam, an illius anima in flammas expiatorias iverit. At vero, sequiturne, ista prætermissa esse, quia Eusebius non memoraverit? Lustralis aqua, quæ nunc a nobis adhibetur in funeribus perinde cærimonia est, atque sint lumina; quæ circum corpus Constantini eodem Eusebio auctore accensa nec ipse carpit Basnagius: deinde estne quispiam, qui ignoret, cærimonias sensim esse inductas ad Religionis decorem, pietatisque per eas excitationem. Sacrorum vero Mysteriorum particeps erat factus paulo ante eadem die. Et Sarcasmo hic uti, qui condecebat, quod moribundo præbeatur Eucharistia? Quod vero attinet extremam unctionem, an non habet etiam præceptum oleo infirmos ungendi apud Apostolum Jacobum? Deni-

nique ex precibus, ab innumerabili populo cum Sacerdotibus pro anima Imperatoris oblatis, num Basnagius videre non potuit, creditas esse eo etiam tempore expiatorias flammas? Nam si has non credidissent, perinde ut in Confessione Augustana, et Helvetica, neque illi preces obtulissent pro Constantini anima. Poterat tamen hocce loco etiam quidpiam rectæ conclusionis Basnagius facere. Nam ex eo, quod pro anima Constantini oblatæ sint preces, concludere debuisset institutum orandi pro mortuis jam viguisse etiam in primæva Ecclesia, unde vero ab Augustana, et Helvetica Confessione discessum sit.

§. 63. Constantinus dum adhuc viveret, *Imperium* inter tres filios Constantinum, Constantium, et Constantem *partitus* est. Creditum antea fuit a multis, urbem *Romam* a Constantino esse *donatam* Silvestro Papæ, dum ab hoc fuisset baptizatus. Ipsum diploma ostendebatur, quod etiam Mansius insertum suæ Conciliorum Collectioni habet: attamen ipse etiam Baronius, quamvis donationem veram et ipse haberet, tamen diploma hoc fictum, et suppositium judicavit, cujus suppositionis multa in eo sint indicia. Ut alia prætermittam brevitatis causa, ponitur hoc diploma datum esse Constantino quartum, et Gallicano Coss. Non enim iste, verum Licinius erat collega Constantini in quarto Consulatu, qui annus 315. fuit a Christo nato. Nec etiam verum est, a Silvestro baptizatum esse Constantinum. In vicem vero collati sibi a Silvestro Baptismi dicitur Constantinus Romam Silvestro donasse. Qua ratione Roma, et cetera, quæ sunt Status Ecclesiastici ad Romanum Ponti-

ti-

tificem pervenerint, declarabitur adhuc postea Part. II. §. 36. *pag.* 424.

§. 64. Post mortem Constantini Constantium, cui Orientis Imperium obtigerat, illius Presbyteri, de quo dictum est supra §pho 59. opera, *Eusebius*, et *Theognis* nacti sunt sibi faventem, et addictum, qui nunc omnes vires intenderunt, ad Arianismum diffundendum. Disputationes primum inter aulicos excitaverunt: quæ ex aula in Urbem, hinc vero in provincias quaquaversus fluxerunt. Constantinus alter filius, cui Gallia, et Hispania obvenerat præter plura alia, perfecit suis literis apud Constantium, ut *Athanasio*, et pluribus aliis Episcopis, Eusebianorum nequitia in exilium actis, *facultas redeundi* ad suas Sedes concederetur. Postquam Athanasius rediit, Ariani Alexandriæ, ejusmodi turbas excitarunt, ut etiam cædes fierent, et quæ omnia fallaciter in eumdem Athanasium contulerunt. Oppugnabant ejus Episcopatum etiam ex eo, quod damnatus, ut dicebant, in synodo Tyriensi, absque novo concilii decreto Sedem suam Episcopalem resumpsisset: eumdem etiam detulerunt ad Constantium, quod frumentum pauperibus Alexandrinis, illius munificentia assignatum, intervertisset. Venerunt autem ex Aegypto Constantinopolim, qui testarentur, ista omnia falsa esse. Constantinus in bello, quod ei intercesserat cum Constante fratre, cadit. Hinc Ariani majorem concipiunt audaciam. Eusebius, qui ex Episcopatu Nicomediensi Constantinopolitanam Sedem Episcopalem occupaverat, exturbato Paulo sanctissimo Episcopo, fretus Constantii favore *Pistum* quemdam Alexandriam mittit pro Episcopo. Iste sibi petit ab Julio Papa communionis

li-

literas. Athanasius quoque in sua causa mittit legatos ad eumdem Julium. Cum diem statuisset Julius ad utriusque partis legatos audiendos; Pisti legati se Roma subducunt. Ex synodo Alexandrina centum fere Episcoporum declaratur Julio innocentia Athanasii. Dum *Antiochiae* dedicatio fit Ecclesiæ, Eusebius instituit Synodum Episcoporum in præsentia etiam Constantii Imp. In hac novum conditum est *symbolum*, in quo suppressum est, Dei Filium esse consubstantialem Patri. Deinde cum alios, tum istum etiam *canonem* statuerunt, Episcopum non posse manere Episcopum, si Episcopatum, ex quo per Concilium erat depositus, resumpsisset absque alterius concilii decreto, statimque istud in Athanasium vertentes *Gregorium* quemdam mittunt cum literis Imperatoris ad Philagrium Præfectum Aegypti; ut eum ad Episcopatum Alexandrinum imponeret. Fit hoc a Philagrio grassando fustibus, atque cædibus in eos, qui Gregorium renuebant suscipere, cumque direptione Ecclesiarum, et profanatione indignissima per ethnicos etiam, et Judæos. In reliqua etiam Aegypto Episcopi, abhorrentes a Gregorio, verberibus contunduntur, et vinculis constricti abripiuntur. Serapammon Confessor actus in exilium est. Potamon et ipse Confessor, eousque verberatus in cervicem est, donec percussores mortuum credidissent, quæ mors etiam secuta est. *pag.* 424.

§. 65. *Athanasius* mortem non evasisset, nisi se in latebras abdidisset: in quibus delituit, donec Romam ab Julio Papa vocatus fuisset. Eusebiani iisdem fictis criminibus, quibus illum jam prius appetierunt, accusaverant etiam Julio Papæ. Is igitur tam Athanasium,

quam

quam Eusebianos istius judicii habendi causa Romam evocaverat. Athanasius citationi obtemperans statim iter arripuit, Eusebiani ire Romam noluerunt. Gregorius autem pseudo - episcopus Alexandrinus Carponem quemdam Romam miserat literarum obtinendarum causa, quibus Pontifex testetur, se illum in sua communione habere. Cum annum, et dimidium illorum adventum *Julius* exspectasset, *concilium* celebravit, cujus sententia Athanasius, pluresque alii Episcopi, ab Arianis expulsi suis Sedibus, et Romam confugientes repositi sunt. Arguit Julius etiam Eusebianos, quod Synodum celebrassent absque se, cum Ecclesiastica regula interdictum sit, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam decerneretur. Hoc statutum fuisse in Concilio Nicæno, jam fuit supra §. 58. et proxime iterum demonstrabitur. Adversus illum canonem est hoc prolatum, cujus vi, quamvis a Romano Pontifice confirmatus non fuisset, ausi sunt Athanasium privare Episcopatu. *pag.* 432.

§. 66. Constantis Imperatoris auxilio etiam ex Constantii consensu fit *Synodus Sardicae* eum in finem, ut Athanasii, ceterorumque Episcoporum, qui erant expulsi suis Sedibus, causæ dijudicarentur denuo, et pleniore adhuc judicio. Episcopi Ariani cum et ipsi jussu Imperatorum venissent, male sibi conscii, et ne coram condemnarentur, Sardica fugerunt Philippopolim. In concilio, quod deinde actum est, innocentia Athanasii, aliorumque Episcoporum, Sedibus suis per Arianos exturbatorum comprobata est, adversarii autem condemnati sunt. Anno 347. hoc est habitum Concilium. Eusebius Nicomediensis, et Eusebius Cæsareensis jam non erant

in

in vita superstites. Epistolæ missæ sunt e Synodo ad Ecclesiam Alexandrinam, ad omnes Episcopos, ad Imperatores, et ad Julium Papam. In hac sic loquuntur Patres Concilii: *Hoc enim optimum, et valde congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibuscunque provinciis Domini referant Sacerdotes.* In concilio, seu potius conciliabulo Antiocheno, (supra §. 64.) Canonem condiderunt Ariani, vi cujus Athanasium, velut illegitime repetentem Episcopatum, iterum exturbaverant. Adversum hoc egisse Arianos, quod egerunt, judicatum fuit etiam in Concilio Sardicensi.

In Collectionibus Conciliorum vulgo poni solent *Canones viginti*, velut in hoc Concilio Sardicensi constituti. Quorum vero Canonum nulla fit mentio in epistola a Synodo missa ad Julium Papam, tametsi appareat, Patres istius Concilii voluisse referre omnia, quæ acta in eo sint. Inter hos Canones quoad ordinem tertius iste est: *Quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, et putat, se bonam causam habere, ut iterum judicium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Pontifici, et si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, et det judices. Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt.* Hunc vero Canonem Julius Papa allegaverat ante Sardicense Concilium adversum id, quod actum ab Eusebianis in Athanasium est. Luce igitur clarius est, esse hunc conditum canonem an-

ante Sardicense Concilium. Idem Julius istud hujus canonis vocat consvetudinem, quæ jam olim fuerit, et cujus memoria renovata, et confirmata sit in Magna Synodo, quæ citra dubitationem erat Nicæna. Sed et alii Pontifices Romani, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, eumdem hunc canonem constanter allegarunt, ut Nicænum, non ut Sardicensem. In antiquis quoque Mss. Codicibus, hi viginti Canones, qui nunc putantur Sardicenses, sunt conjunctim positi cum Nicænis testimonio Fratrum Balleriniorum. Per Arianos discerpti sunt Canones Nicæni, atque hi viginti collati ad Sardicense Concilium, ut ita illorum eludere possent auctoritatem, quibus Sardicense non esset œcumenicum Concilium. *Praesides* istius *Concilii* innotescunt ex inscriptione, facta in fronte epistolæ, quæ missa a Synodo est ad omnes Episcopos. Osius enim primus est positus, deinde Julius Romæ (Episcopus) per Archidamum, et Philoxenum Presbyteros, quos videlicet Osio suos etiam legatos Julius addiderat. Concilium hoc Sardicense fuit *oecumenicum*, utpote, cujus convocatio facta sit generaliter, cui per suos legatos præsederit Romanus Pontifex, cui deinde absentes etiam Episcopi subscripserint tam multi, ut teste S. Athanasio, omnium subscriptorum Episcoporum Actis Concilii numerus fuerit tercentenorum quadraginta quatuor. *pag.* 436.

§. 67. Episcopi Ariani *Philippopoli* ipsi quoque conciliabulum instituunt, atque hoc sub nomine Sardicensis Concilii vulgant. Dum domum redeunt, aversantur eos Orthodoxi, velut hæreticos, perfidiamque ipsis exprobrant. Idcirco decem *Adrianopoli*, Constantio jubente,

ca-

pite plectuntur. Ab eodem Constantio potestas datur ubique locorum exturbandi Episcopos Catholicos. *Constantis* Imp. patrocinium implorant Catholici Episcopi. Is mittit Salianum exercitus præfectum ad Constantium cum Vincentio Capuano, et Euphrata Coloniensi Episcopo. Insigni deprehensa *nequitia Stephani* Episcopi Ariani Antiocheni, pronus in eorum petitionem fit, ut revocentur Episcopi Orthodoxi ab exilio. Ad Athanasium ipse Constantius scribit epistolam, qua eum revocat. Revertitur summa Alexandrinorum lætitia. Rebellat adversus Constantium Magnentius. Facto prælio victoriam primus Constantio annunciat *Valens* Episcopus Mursensis, fingens, se hanc didicisse per Angelum. Idem Valens deinde, et Ursacius, alter Arianorum coriphæus, versant Constantium eo, quo volunt, omniumque primo adoriuntur iterum Athanasium, et fictis criminibus, etiam conspirationis habitæ cum Magnentio, appetunt. *pag.* 444.

§. 68. *Liberius*, qui a. 352. Julio successerat in Pontificatu, levamen afflictis Ecclesiæ rebus quærens, obtinuit a Constantio facultatem celebrandi *synodum* primum Arelate, deinde Mediolani. In hac utraque Episcopi Catholici exigebant subscriptionem Symboli Nicæni, Episcopi vero, Arii dogmati dediti, petebant subscriptionem in depositionem Athanasii. Arianorum parti non tantum adhæsit etiam Constantius, verum etiam edictum fecit de Episcopis omnibus pellendis, et mittendis in exilium, qui in condemnationem Athanasii subscriberé, et communionem cum Arianis inire detrectassent. Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, Diony-

sius Mediolanensis tunc deportati in Orientem ad exilium sunt. Ab *Syriano*, qui exercitui in Aegypto præerat, dum is acceptis mandatis de Episcopis Orthodoxis pellendis rem exequi Alexandriæ adgressus esset, quia nihil nominatim de Athanasio erat in mandatis Syriano datis, ei vero securitatem spoponderat Imperator, etiam jure jurando firmatam, Clerus, et populus petierat saltem aliquam dilationem, donec de Imperatoris voluntate accuratius constitisset. Is autem, quamvis juratam fidem dedisset de servandis istis induciis, deinde de improviso noctu Ecclesiam S. Theonæ, Athanasio, et populo sacras vigilias in ea agente, invadit more hostili. Itaque alii gladiis cæduntur, alii facto impetu ad casum propelluntur, et pedibus conculcantur. Sanctuarium erat obsessum a militibus ad comprehendendum Athanasium. A Clericis, et monachis per medios milites eductus est non sine quadam specie prodigii. Duobus tunc juvenibus, quorum alter in Episcopi cathedra se collocaverat cum petulantia, alter cum fronde naribus admota more Gentilium Ecclesiam intraverat, casus nimium tristis evenit ultore Deo. *Georgius* antea porcinæ carnis procurator pro militia rudissimus, et audacissimus ordinatus ab Arianis, et positus in locum Athanasii Episcopus. Cumque Orthodoxi ejus communionem fugientes derelictis Ecclesiis ad campos se recepissent, in istos sævitum est etiam crudelissime. Athanasius ad solitudinem se abdidit, et in ea latuit septem annis usque ad mortem Constantii.

Constantius cum Episcopos alios tentasset inducere per alios ad communionem cum Arianis, et renuentes in exilium egisset; erga *Liberium*

Pa-

Papam,, et *Osium* Cordubensem istud fecit per seipsum. Liberium cum prius donis adgressus esset, deinde comprehensum, et ad se Roma Mediolanum perductum, atque omnes illius minas spernentem, Beroeam Thraciæ civitatem in exilium egit, et in ejus Cathedram Felicem Diaconum immisit. *Osius* æque ab Imperatore Mediolanum accersitus rem coram eo ita egit, ut redire illum in Hispaniam ad suam Sedem siverit. At vero instigantibus Arianis denuo adgressus est per literas admodum minaces: quibus vero ille respondit cum summa loquendi libertate. Sirmium iterum deinde a Constantio evocatus est. Hic dicitur anno uno retentus, et verberibus affectus, tormentisque excruciatus cessisse, et communionem cum Arianis inivisse jam grandævus, quippe annos natus centum. Sunt vero ista adversus fidem istius narrationis, etsi hanc repererit apud permultos. Donatistis istud de Osio asserentibus S. Augustinus respondit: *Quod de Osio dicunt Cordubensi, quondam Catholico Episcopo, flagitandum est, ut probent.* Sulpicius Severus dicit, opinionem quidem fuisse hanc de Osio, sed hoc omnibus visum esse incredibile. Eidem narratiunculæ etiam S. Phæbadius denegavit assensum, et ut plura prætercam S. Athanasius eidem Osio conjunctim cum Liberio hoc præconium tribuit: *Sunt enim forma, et exemplar posteris nostris, ut pro veritate usque ad mortem decertent.*

Etiam de *Liberio Papa* vulgo credebatur victum demum a Constantio, atque territum ejus minis *Arianorum formulae* fidei subscripsisse, atque in eorum communionem concessisse. Refellitur vero hoc isto etiam encomio

 mio

mio, quod a S. Athanasio ei datum est, et modo productum, quo laudatur, quod usque ad mortem pro veritate decertaverit. Theodoretus quoque describens illius reditum ab exilio, prædicavit, esse egregium, omnique laude dignissimum, et admirandum, gloriosumque veritatis athletam. Etiam S. Basilius, S. Epiphanius, S. Siricius Papa, S. Ambrosius, dum illius mentionem faciunt, vocant semper Episcopum beatæ, et venerandæ memoriæ, et eximiæ sanctimoniæ. Ariani nequissime famam sparserant tam Osium, quam Liberium secum communionem inivisse, ut ita istorum quasi exemplo, et auctoritate alios etiam attraherent ad suam communionem. Id, quod in Liberio eos fecisse Sozomenus etiam testatur. Sulpicius quoque Severus, et Socrates perhibent, non illam consensionis in communionem cum Arianis fuisse causam, cur Constantius Liberium, exilio solutum, Romam redire permiserit, verum metu novæ seditionis post eam, quam recenter sustinuerat a Magnentio, et quod ipsum invitus fecerit ad petitionem Romanorum. Igitur qui historici rem aliter retulerunt ex rumore, quem Ariani sparserant, sumpserunt. S. Hilarius, et ipse Liberius etiam in suis epistolis, quæ produci solent velut testes initæ ab Liberio cum Arianis communionis, horum testimonia sunt interpolata, ideoque non authentica. *pag.* 449.

§. 69. *Felicem*, postquam Liberius ab exilio rediit, Romani urbe *expulerunt.* Inter Pontifices Romanos positus est in eorum Catalogo. Etiam Martyrologio insertus est ad diem 29. Julii. Dum a. 1582. correctio fiebat Martyrologii expunctus fuisset, nisi in Ecclesia SS. Cosmæ, et Damiani pridie eruta fuisset lamina hanc

ha-

habens insriptionem: *Corpus S. Felicis Papæ, et Martyris, qui damnavit Constantium.* Ex Actis Felicis falsis, et apocryphis istud accidit utrumque. Neque legitimus esse potuit Pontifex utpote vivente Liberio, et ab Arianis intrusus, nec unquam ab Romanis recognitus pro vero Pontifice. *Ariani* identidem *nova* sibi *symbola* composuerunt, dumque opinionibus etiam ab invicem discrepassent, alias etiam, atque alias sectas parturiverunt. Una earum nominatior fuit, quæ dicta est *Anomoeorum*, quæ Aetium habuit auctorem, quod Dei Filium Patri dissimilem esse assererent: siquidem ex Arianis alii, quamvis Filium non ejusdem cum Patre substantiæ dicerent; tamen ei similem in natura haberent. His nomen datum est *Semiarianorum*. Anomoei autem vocati sunt etiam *Eunomiani* ab Eunomio præcipuo Aetii discipulo. *pag.* 461.

§. 70. Constantius statuit convocare generale *concilium* ad Semiarianos, et Anomoeos inter se conciliandos, et ad ipsos etiam Catholicos cum his componendos. Valentis, et Ursacii consilio istud divisum per duo loca haberi voluit, et *Ariminum* pro Episcopis Occidentis, *Seleuciam* pro Episcopis Orientis designavit. Ariminum Episcopi convenerunt plures quadringentis, e quibus octoginta erant Ariani, ceteri Catholici. Ariani, quorum signiferi erant Valens, et Ursacius Catholicis suum symbolum a se Sirmii recenter confectum obtulerunt, ut ei subscriberent. Contra vero hi ab Arianis postularunt, ut Symbolo subscriberent Nicæno: et in Valentem, et Ursacium cum quibusdam aliis vehementius resistentes etiam anathema conjecerunt. Ex utraque parte deinde decem Episcopi mittuntur

tur ad Imperatorem ad perferendum, quid actum esset. Ariani celeritate usi prævenerunt Catholicos; neque istos postquam venissent, Imperator in conspectum admisit. Valens, et Ursacius in oppido Thraciæ, cui nomen *Nice*, quodpiam concilium suæ farinæ Episcoporum instituerunt, idemque symbolum statuerunt observandum esse, quod Arimini subscribendum obtulerant Catholicis. In hoc, suppresso vocabulo Homousii, posuerant, Filium esse similem Patri secundum Scripturas. Episcopos Catholicos, Arimino ad Imperatorem missos, cum ad idem oppidum perduxissent; minis, deinde et terrore Imperatoris impulerunt ad symbolum, ante a se damnatum, recipiendum. Episcopi illi decem, ubi Ariminum redierunt, exclusi a communione per Concilium sunt. Non eo minus Valens, et Ursacius institerunt urgere Episcopos Catholicos. Dicebant, controversiam omnem esse nonnisi de nomine, non de re, siquidem et ipsi profiterentur Filium Patri similem secundum Scripturas, atque anathema et ipsi conjecerant in eos, qui dicerent, Christum non esse Deum, et ex Patre natum ante secula, sed creaturam. Suscipiunt Catholici Arianorum illud symbolum, ipsosque Arianos in suam communionem.

Post peractum vero concilium Valens, et Ursacius, ceterique eorum socii inceperunt statim jactare, se non negasse, Filium esse creaturam, sed solummodo dixisse, non similem ceteris creaturis. *Tunc*, verba sunt S. Hieronymi, *Usiae nomen abolitum est, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.* Nempe Ariani ista jactabant, et quasi totum orbem in suam

per-

pertraxissent sententiam, gloriabantur. Hoc concilium, tametsi Episcoporum solius Occidentis, poterat adnumerari Conciliis generalibus, quemadmodum etiam Constantinopolitanum I. quamvis et ipsum actum ab Episcopis solius Orientis, si non depravatum fuisset. De hoc a Damaso Papa ad Episcopos sic scriptum est: *Numerus Episcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, præjudicii vim habere non debet, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ ceteris omnibus exspectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integre gesserat, neque aliis eisdem consentientibus.*

Concilium, quod *Seleuciae* habitum est, constitit ex Episcopis 160. e quibus Semiariani erant 105, Anomoei 40, Catholici 15. Actum autem est meris certaminibus Semiarianorum cum Anomoeis, Catholicis ob paucitatem suam nihil agere valentibus, et dum illi inter se digladiarentur, et impia, atque sacrilega lingva de Christo disputarent, aures etiam suas obturantibus. Tam Semiariani, quam Anomoei miserant deinde legatos ad Imperatorem. Is utrosque adegit ad subscribendum eidem formulæ, cui assensi sunt incaute Episcopi Ariminenses. Hoc pacto credebat se perfecisse omnium consensionem in unius, ejusdemque Arianismi professionem. Eamdem hanc formulam misit Constantius ad omnes Imperii provincias ejusdem per Episcopos omnes subscriptionis causa. Omnes tum Ecclesias ubique ejusmodi *persecutio* occupavit, cujusmodi erat sub ethnicis Imperatoribus. Anno 359. acta erant illa concilia. Anno 361. Constantius vita functus est: cum ejus morte tem-

tempestas etiam, quam turbulentissimam excitaverat, resedit. Gallum, patruelem suum, Cæsarem creaverat, eumdemque etiam ob nimiam sævitiam sustulerat. Julianum deinde, Galli fratrem, cum ad Cæsaris dignitatem evexisset, ille vero, absque illius consensu etiam nomen Augusti assumpsisset; Constantius bellum ei intulit, et progressus adversus eum, in finibus Ciliciæ cum periculum vitæ advertisset, baptizatus ab Euzojo, Episcopo hæretico, vivere desiit. *pag.* 465.

§. 71. Imperium totum mortuo Constantio ad *Julianum* pervenit. Julio Constantio patre, Constantini M. fratre natus est. Constantius, dum Imperium adeptus in propinquos suos sæviisset, Julianum ætas puerilis in vita servavit, Gallum infirmitas, unde videretur alioquin brevi moriturus. In quadam villa Cappadociæ ambo educati, et exculti literis etiam sacris sunt, atque Clero etiam adscripti, et lectores ordinati. Julianum autem postea, dum Constantinopoli operam philosophiæ dat, Maximus ejus magister ethnicus seduxit, spondens ei Imperatoriam dignitatem, idque quasi ex deorum oraculo, si ad eorum cultum transiisset: ne autem in suspicionem Imperii affectati apud Constantium incideret, monachum induit. *Imperator factus* aliquantisper adhuc se simulaverat Christianum: brevi autem se etiam aperte ostendit, esse ethnicum; quem idcirco Maris Episcopus magna loquendi libertate objurgavit. Ipsum etiam Baptismum victimarum sangvine in se eluere, et delere voluit. Habitum assumpsit philosophorum, professus se ex philosophiæ instituto imperaturum. Statuerat apud se, exterminare Christianam Religionem, sed alia ratione, quam hoc pri-

ores

ores Imperatores efficere conati sint, videlicet argumentis, et ratione Christianos erroris convincendo. Hac de causa librum etiam composuerat adversus Christianam Religionem. Neque tamen etiam aliis artibus abstinuit, ad Christianos vel imprudentes, vel illata ipsis necessitate adigere ad se, prout cogitabat, contaminandos superstitione gentilium. Sed neque a sangvine Christianorum se cohibuit, quin dum Antiochiæ, illo jubente, corpus S. Babylæ Martyris debuissent transferre, eo, quod in translatione illius cecinissent: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis*, iratus Diocletiani persecutionem paratus erat suscitare, nisi Thedori adolescentis, qui primus tormentis erat subjectus, invicta constantia, et tormentorum contemptu fuisset revocatus a suo proposito. Dum expeditionem parasset in Persas, amphitheatrum Jerosolymæ curavit exstruendum, facturus sibi spectaculum ex laniatu Episcoporum, monachorum, et omnium Christianorum Jerosolymam incolentium, confecto Persico bello. Gentilibus cum summam dedisset libertatem, isti Juliano connivente, multis in locis immane quantum grassabantur. *Georgius* pseudo-episcopus (de quo fuit §. 68.) Alexandriæ hoc tempore, quod irrisioni exposuisset in Mythræ templo ea, quæ ethnici illic exercebant nefanda, primum ludibrio habitus, postea exustus est: nec tamen ideo martyr docente S. Cypriano, Martyrem esse non posse, qui in Ecclesia non est. *Leges* quoque *Julianus* ejusmodi tulit, quibus opprimerentur Christiani, favoribus autem omnibus cumularentur ethnici. Ipsas etiam scientias docere interdictum fuit ab eo Christianis. Inter eos, qui viri celebres maluerint docen-

cendi munus deponere, quam a Religione desciscere, inprimis memorabiles fuerunt testimonio S. Hieronymi *Proaresius*, et Marius *Victorinus*, hic a S. Augustino etiam mirifice laudatus ab ea ratione, qua ex ethnico factus Christianus, fidei deinde professionem fecerit. Inter artes, quibus subvertere Christianam Religionem voluerit, illud quoque Juliano erat, quod promiscue omnibus Episcopis tam orthodoxis, quam etiam omnium quarumcunque sectarum in exilium missis facultatem redeundi ad suos Episcopatus concesserit, eum in finem, quem sperabat, ut se mutuis dissidiis, et contentionibus attererent, et conficerent. Tunc S. Athanasius quoque repetierat Alexandriam, cujus reditum ejusmodi fuisse describit S. Gregorius Naz. ut speciem clarissimi triumphi præbuerit. *pag.* 475.

§. 72. Eusebius Vercellensis, et Lucifer Calaritanus revertentes ab exilio, alter diverterat Alexandriam, alter Antiochiam. Alexandriæ in concilio, cui intererat Eusebius, cum alii essent, qui *tres hypostases* in Deo profiterentur, alii unam, Athanasii prudentia composita controversia est. Antiochiam ab exilio pariter reversus erat Meletius Episcopus Catholicus, sed a quo pars Catholicorum, quod ab Ariano Episcopo esset ordinatus, abhorrerent. His Catholicis, dictis Eustathianis, ab Eustathio (supra §. 60.) Episcopum, quo carebant, ordinavit Lucifer Paulinum. Quo factum est, ut duo Catholici Episcopi essent Antiochiæ. Luciferi hoc factum cum improbasset Eusebius, ille quoque arguit, male ab eo factum esse, quod consensum suum dedisset in illa Alexandrina Synodo in ejus statutum de Episco-

scopis, aliisque Clericis ab hæresi redeuntibus, sic recipiendis, ut in suis etiam gradibus sinerentur permanere. Exorta est deinde *secta*, dicta *Luciferianorum*, in schisma prolapsorum, dum se ab communione eorum segregassent, qui Ariminensibus Episcopis, cum factum suum retractassent, suam communionem non denegarunt. *Controversia* vero est, num istius sectæ ipse Lucifer auctor exstiterit, vel Luciferiani illius nomine tantum abusi sint ad conciliandam suo schismati auctoritatem. Testimoniis adversum se Lucifer non mediocriter gravatur. Sed habet etiam defensores. Quæ tamen testimonia ita sumi possunt, ut intelligantur de simultate illius cum Eusebio, quoad modum recipiendi sive Ariminenses, sive alios etiam aperte hæreticos, non quasi lapsis in crimen, quamvis pœnitentiam agentibus, denegandam esse censuisset communionem, quod erat Novatianorum, a quo dogmate talis vir, ab Ecclesia damnato certe abhorruit. Sozomenus, et Socrates manifeste dicunt, illum cum Ecclesia Catholica consentientem in Sardiniam reversum esse. In Calaritana Ecclesia illius memoria inter Sanctos colitur. Hæc scissio Catholicorum per duos Episcopos bifariam Antiochiæ duravit usque ad a. 413. *pag.* 485.

§. 73. S. *Athanasii* opera multi gentilium facti sunt Christiani. Quamobrem Julianus *pelli* illum jussit Alexandria, juxta Sozomenum, vel juxta alios, etiam occidi: qui vero percussorem suum eluserit, cymba, qua fugiebat, in ejus occursum conversa. Julianus etiam Judæos hortatus erat ad *templum* suum Jerosolymæ *reædificandum*. Quod cum facere ad-

adgressi essent; terræ motu, et ignibus e terra erumpentibus, omnis ille conatus in irritum cecidit. Crux quoque fulgens eodem tempore apparuit in cælo, et aliæ in Judæorum vestibus. Multi hoc viso prodigio ex Judæis Christianam amplexi sunt Religionem. Anno 363. *Julianus* ivit in bellum adversum Persas. In quo telo ancipiti per pectus trajectus, *periit. pag.* 493.

§. 74. *Jovianus*, a militibus acclamatus, suscipit Imperium. Pace cum Persis facta revertens simul atque fines Imperii ingressus est, lex ejus prima, quam sancivit, erat, ut Episcopi, qui fidem Nicænam inviolate servassent, ab exilio reverterentur, ipsisque Ecclesiæ ablatæ restituerentur. Cum alii hæretici, tum præsertim Ariani tentarunt illum in suas partes trahere. S. Athanasium honorificentissimis literis ad se evocatum; et amplexatus ad Episcopatum suum remisit, atque eos, qui ausi erant illum iterum falsis criminibus appetere, etiam verberibus mulctavit. Ethnicorum sacrificuli, quorum templa Jovianus jusserat claudi, se abdebant, philosophi eorumdem gentilium, qui in magno honore erant apud Julianum, palliis depositis, vulgarem vestitum assumebant. Jovianus jam Imperii sui mense septimo e vita decessit. *pag.* 497.

§. 75. *Valentiniano* ab exercitu delatum est *Imperium*, qui Valentem fratrem assumpsit in illius consortium, Orientemque ei tradidit. Eudoxius pseudo-episcopus Constantinopolitanus Anomoeorum id temporis princeps, Valentem ad suam sectam pertraxit, cumque illum baptizasset, utpote nondum baptizatum, jure jurando obstrinxit ad hanc sectam nunquam de-

deserendam, et ad dissidentes ab hac omnibus locis expellendos. Igitur *Valentis edicto* e suis Sedibus exturbabantur non solum Catholici, verum etiam sectarum omnium Episcopi, ipsi etiam Semiariani. *S. Athanasius* per præfectum Aegypti comprehendendus, ad patris sui sepulcrum se abdidit, et in eo latitavit quatuor menses. Cum propter illum Alexandriæ res prope seditionem fuisset, Valens scripsit præfecto Aegypti, ut Athanasium Sedem suam retinere sineret. Vixit adhuc deinde in tranquillitate usque ad a. 373. Petrus eidem successit in Episcopatu. Quod simul atque audivit Valens, misit Antiochia Euzojum Episcopum Arianum, et quemdam ex suis aulicis ad Petrum comprehendendum, et ad Ecclesias omnes Lucio tradendas, quem occiso Georgio, (Supra §. 71.) sibi Ariani Alexandrini Episcopum posuerant. Cum vero Ecclesiarum traditioni se se opposuisset populus, copiis militum immissis ii, qui se opposuerant, comprehensi ejusmodi tormentis excruciabantur, ut instar miraculi haberetur, si quis post tormenta supervixisset. Monachi, quod his firmis in Nicæna fide populus etiam adhæreret, in quamdam insulam, totam adhuc superstitioni ethnicæ deditam, deportati sunt: quam vero insulam hi totam ad Christi Religionem perduxerunt. *Valens* etiam per seipsum, quacumque contigerat ipsum iter facere, Episcopos ejiciebat e suis Sedibus, variis tormentis etiam affectos, nec non ceteros Nicænam fidem professos hostiliter vexabat. *Edessae* in Mesopotamia mandatum dederat de omnibus interficiendis, quicumque ad Ecclesiam convenissent. Eo autem magis cum concursus ad eam omnium factus esset, a cæde abstinuit, deterritus illius magnitudine. Episcopum vero cum toto

Cle-

Clero in Thraciam relegavit. Tomis in Scythia Pontica *Vetranionem* Episcopum cum Valens Ecclesiam ingressus tentasset, et is negasset se a Nicæna fide recessurum, relictoque Valente in aliam transiisset Ecclesiam, tota populi multitudo Episcopum secuta est Valente fremente. Ariani Constantinopoli vehementer afflixerant Catholicos. Octoginta ex his ordinis Ecclesiastici idcirco Valentem adierunt suppliciter. Hi navi impositi, et devecti in altum, incensa navi omnes consumpti sunt. Nullius vero magis, quam S. *Basilii*, cognomento Magni, Episcopi Cæsareæ in Cappadocia enituit virtus, et invicta Constantia adversus omnes minas, et terrores Valentis. Quem Valens admiratus, ejusque oratione fractus jam inclinare coeperat ad Basilium. Sed cum Ariani ei refricuissent memoriam juris jurandi a se dati in Baptismo, iterum se posuerat, ad decernendum Basilio exitium. Tres calami adhibiti ad scribendum hoc decretum, cum atramentum non reddidissent, et dextra ipsius subito tremore correpta fuisset, cœpto destitit.

Liberio *Damasus* a. 366. in Pontificatu successit. *Ursicinus* Pontificatum electo jam Damaso, invadit, facta seditione, et cæde hominum centum triginta septem. Faustinus, et Marcellinus Ursicini partibus addicti, falso in Damasum contulerunt causam harum cædium. His contra aliorum testimonia fidem non recte adhibuit Basnagius: idem immerito arguit eumdem Damasum luxus in mensa, et victu. Ursicinus cum mortuo Damaso, et Siricio in ejus locum electo, conatus fuisset denuo evadere ad Pontificatum, rursus in irritum ejus conatus cecidit. *pag.* 500.

§. 76. S. *Athanasius*, intelligitur sua sponte, dum adhuc viveret „ consultus erat a S. Basilio, communicato etiam consilio cum Meletio Antiocheno, et Eusebio Samosateno, qua ratione rebus in Oriente afflictis remedium ferri posset; censuerunt autem hac de re scribendum esse Episcopo Romano. *Damasus* Papa, Valente tantam ferociam exercente in Oriente, non aliud præstare poterat, quam per literas cavere, et docere, qui utpote a Sede Apostolica damnati, vitandi essent. *Eusebius* autem idem Samosatenus in militari habitu, et galeatus obibat Syriam, Phœniciam, et Palæstinam, ut Clericos ordinaret in iis locis, in quibus deerant. Is vero ab Ariana muliere, in hac sollicitudine pro Ecclesia, lapide ictus in capite occubuit. *Gothos* regionem ad mare Balthicum incolentes, atque hinc expulsos ab Hunnis, *Valens* receperat ad Thraciam. Hi autem provincias deinde Imperii deprædari cœperunt. Male successerat negotium ducibus, quos Valens adversus Gothos miserat. Cum ipse deinde Valens ad hoc bellum ivisset, victus, et vulneratus, in casamque rusticam deportatus, igne eidem casæ circumdato ab hostibus, periit. *pag.* 511.

§. 77. Dum Valens in Oriente fureret, omnia in summa pace erant in Occidente. Nam *Valentinianus* studiosissimus erat Religionis, Arianosque Episcopos, undique expulit ex Ecclesiis, quas sub Constantio occupaverant. Quadi, et Sarmatæ cum Pannoniam invasissent, atque victi pacem impetrassent, iterum vero bello suscitato, suisque rebus diffidentes ad pacem petendam venissent, Valentinianus ex ira, qua vehementi succensus in eos erat, decessit. *Grati-*

ti-

tianus filius cum Valentiniano fratre annos quatuor nato successerat patri, ad quem Valente sublato Orientis quoque Imperium devenerat. Hic e vestigio libertatem Ecclesiæ in Oriente restituit, et Episcopos Sedibus suis expulsos revocavit. Anomoeis, qui sub Valente grassabantur, conventicula etiam interdixit, itemque Manichæis, et Photinianis. Horum alterorum auctor erat *Photinus* Episcopus Sirmiensis, docens, unam esse tantum Dei personam, et Christum nonnisi hominem. Jam annis quadraginta orba Episcopo Catholico erat *Constantinopolis*, neque uspiam magis, quam hic prostrata erat Religio. S. Basilium, aliosque Episcopos cura incesserat instaurandæ isthic Religionis. Quamobrem hi S. *Gregorium Naz.* permoverunt, ut istum susciperet laborem. Presbyter erat factus a patre suo Gregorio Episcopo Nazianzeno, a Basilio autem Cæsareensi Episcopus ordinatus ad Episcopatum Sasimorum, quem novum erexerat, sed quem numquam adiit ob turbas istius Episcopatus novi enatas. Gratianus cum Valentinianus ejus frater impar ob ætatem rebus gerendis esset, *Theodosium* in consortium Imperii assumpsit, Orientemque ei tradidit. Nondum Constantinopolim pervenerat, jam Thessalonica edictum fecit, quo declaravit, velle se, ut omnes divinam Trinitatem æquali honore colant, et qui aliter sentirent, hæretici dicerentur, pœnas etiam istis comminatus. Demophilum quoque Episcopum Arianum Constantinopoli expulit, et Ecclesias omnes Catholicis tradidit.

Synodum postea idem Theodosius Constantinopolim *convocavit* eum in finem, ut Fides Nicæna, tantopere ab hæreticis impugnata, sta-

stabiliretur, et hæreses exstirparentur: nec non ut Constantinopoli Episcopus constitueretur. Gregorius enim Nazianzenus solummodo illius defectum supplebat. Anno 381. habitum est hoc Concilium. In eo Episcopi 156. fuerunt, omnes ex Oriente. Dum Gregorius Naz. administrasset Constantinopolitanum Episcopatum, *Maximus Cynicus* in eumdem se conatus est intrudere, a tribus Episcopis Aegypti factiose ordinatus. Huic in Concilio isto abjudicatus est Episcopatus, et Gregorio Naz. delatus. Non multo post Meletius mortuus, in ejusque locum Flavianus in ipso Concilio ordinatus est adversus obtestationem Gregorii Naz. dum alter Episcopus Catholicus Paulinus jam esset Antiochiæ, ne scissio Catholicorum continuaretur. Ad Concilium cum *Timotheus* Episcopus Alexandrinus advenisset, jam his rebus, quæ dictæ sunt, peractis, et adversus Episcopatum Gregorio collatum insurrexisset, quasi Canones Ecclesiastici impedimento essent, quominus illum possit gerere; eidem is ultro renunciavit. *Nectarius* nequidem adhuc baptizatus factus est Episcopus Constantinopoli. Ad hoc Concilium Theodosius *Macedonianos* etiam jusserat venire, sperans fore, ut revocentur ad Ecclesiam Catholicam, siquidem in dogmate de Consubstantialitate Filii cum Patre convenissent cum Catholicis, et tantummodo Spiritus sancti divinitatem negassent, deinde, quod iidem Macedoniani, pressi ab Anomoeis, sub Valente Imp. missa legatione ad Liberium Papam communionem petierint cum Catholica Ecclesia. Macedonius fuit Episcopns Constantinopolitanus Arianus, quem vero Anomoei exturbarunt, imposito ad Episcopatum Eudoxio, cujus jam facta mentio est. Non successerat vero eorum revocatio, qui ne-

que a Liberio Papa sincere communionem petierant.

Quod *ad Fidem attinet*, Episcopi istius Concilii, professi sunt, se fidem servare Nicænam, huicque contrarias hæreses omnes damnare, atque expresse etiam Arii, Aetii, et Eunomii, Photini, Marcelli, Pauli Samosateni, Macedonii, et Apollinaris. In *Marcellum* Episcopum Ancyranum ab Arianis, quos redarguebat, collatus erat per calumniam error Sabellii: quod cum creditum fuisset ab aliquibus, Sabellianis datum fuit etiam nomen Marcellianorum. *Apollinaris* Episcopus Laodicenus docuit, Christum habuisse solummodo corpus absque anima, nec carnem sumpsisse ex Maria, sed hanc tulisse secum e cælo, insuper confessus tres Divinas personas, tamen istas inæquales ponebat. *pag.* 515.

§. 78. Fidem Nicænam, quemadmodum dictum est, Concilium hoc professum est, et confirmavit: attamen *Symbolo fidei* Nicæno quæpiam addidit ad eamdem fidem magis declarandam contra istorum, de quibus modo dictum est, errores. *Canones* quoque conditi ab hoc Concilio sunt. In his est: Ne Episcopi terminos suarum regionum egrediantur: et post quod est: *Verum tamen Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea, quod urbs ipsa sit junior Roma.* Quæ vero verba ipsius Concilii non sunt. Nam cum istud sed tantum postea Episcopo Constantinopolitano quæsitum fuisset per ambitionem Natolii provocando ad hunc canonem in hoc Concilio Constantinopolitano conditum, et ab Episcopis, huic ambitioni Natolii suffragantibus petitum fuis-

fuisset, ut hunc canonem proferrent, hoc facere nesciverint. Leo M. quoque Episcopis Chalcedonensis Concilii allegantibus hocce statutum, negavit contineri in Actis istius Constantinopolitani Concilii. Theodoretus æque memorans, et recensens statuta hujus Concilii, nullam mentionem fecit istius statuti. Nonnisi ambitio Natolii, quærens quidpiam, in quo se fundaret, fabricata est hunc canonem arte veteratoria. Hoc Concilium, utpote constans ex solis Episcopis Orientis absque legatis etiam Romani Pontificis, evasit œcumenicum per solam confirmationem illius a Damaso Papa, quemadmodum ipse Photius etiam confitetur. *pag.* 528.

§. 79. Theodosius Imp. *edictum dederat*, adversum hæreticos, ut omnes Nicænam fidem profiterentur; atque iis Ecclesiæ traderentur, qui Constantinopoli communicarent cum Nectario, in Aegypto cum Episcopo Alexandriæ, in Orientis autem provinciis cum Diodoro Episcopo Tarsi. Hinc *Basnagius* conclusionem fecit, ex lege Theodosii luce clarius esse, Romanum Pontificem centrum communionis existimatum non fuisse. Romanum Pontificem esse centrum communionis neque modo existimant Protestantes, semperque tales erant, qui ea, quæ sentit, et docet Ecclesia, credere noluerint. Jamne vero hinc valebit conclusio, adversum ista? Etiamsi Theodosius sensisset, de Ecclesia Romana, quod non sit centrum communionis, ideone jam hoc certum esse deberet? Non sensit autem sic, qui statim initio sui Imperii edictum fecerat, ut omnes populi sui Imperii eam Religionem teneant, quam Petrus Apostolorum Princeps Romanis ab initio tradidit, quæ ex eo appareat, quod hodieque ibi

conservetur. Cur istos autem nunc Theodosius nominaverit, docet Sozomenus, inde esse, quod istos ipse probaverit, cum vidisset, et allocutus esset, atque de his egregia fama constiterit, quod Ecclesias suas sanctissime gubernarent. Nempe in solo Oriente, cujus finibus ejus Imperium continebatur, voluit Episcopos designare, cum quibus, qui communionem servarent, dignoscerentur Orthodoxi esse. Et cur non ad illa verba Christi, etiam magis, Basnagius intendit oculos: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam?*

Post hoc Constantinopoli habitum Concilium *Episcopi* Orientis Romam *vocati* sunt ad Concilium, jussi ire etiam per literas Theodosii. Quod illi concilium declinaverunt, et tantummodo Constantinopolim iterum convenerunt. Videbant enim se culpandos, quod Flavianum inconsulto ordinassent Episcopum Antiochenum, et Nectarium Constantinopolitanum, postquam causam suam Maximus Cynicus detulisset ad Sedem Apostolicam. Ordinationem autem Maximi, re magis comperta improbavit etiam Damasus Papa, de Nectario vero testatur Innocentius I. Theodosium Imp. huic petiisse Formatas literas a Romano Pontifice, ratus non aliter futurum firmum ejus Episcopatum. *pag.* 534.

§. 80. Ob edictum Theodosii, §pho superiore memoratum de Ecclesiis, quas jubebantur hæretici reddere, pluribus in locis ab his excitati erant tumultus. Ad hos sopiendos *Theodosius omnium sectarum* Episcopos jussit Constantinopolim venire, tentaturus illorum revocationem ad Ecclesiam: quod si successisset, videbat turbas omnes simul compositum iri. Hi cum con-

convenissent, quæstio ipsis posita est, illamne doctrinam probarent, quam veteres Ecclesiæ doctores tenuerunt, annon. Hærebant, nec statim respondere sciverunt. Postquam autem se recollegissent, et affirmassent, Ergo, ait Imperator, hosce doctores etiam dedebunt recognoscere, testes esse idoneos illius doctrinæ, quæ olim exstiterit in Ecclesia. Hic vero Episcopi non solum diversarum, verum etiam ejusdem sectæ invicem confligere cœperunt. Petiit deinde ab ipsis, ut ad certum diem quique suæ sectæ summam doctrinæ sibi præsentarent. Tunc scriptis illorum acceptis, cum his Imperator ad vicinum conclave recessit, atque deinde reversus, dixit sibi solam eam doctrinam placere, quæ unum Deum in tribus personis confitetur: et discerptis eorum scriptis, eam quam prius in hæreticos tulerat legem, confirmavit.

Præter eas, quæ jam memoratæ sunt, prodierunt ad hoc usque tempus notabiliores sectæ istæ: *Audeorum* a quodam Audeo in Syria conflata. Hi posuerunt Deum humana forma esse præditum, neque omnium, quæ in mundo existunt, conditorem. *Messalianorum*, quod eorum nomen fluxit ab Chaldaico *Metzalin*, quod *Precantes* significat. A labore enim omni abstinentes, solummodo mendicorum more semper precabantur manu porrecta ad accipiendum: in qua sua precatione ita cuncta, quæ sunt necessaria homini ad salutem, reponebant, ut nihil præterea, ne Baptismo quidem opus esse dicerent. *Aerianorum* auctore Aerio: qui cum Episcopatum ambivisset, assecutus vero eum non esset, venditabat deinde, se æqualem Episcopo, docens inter Episcopatum et Presbyteratum, quem ge-

gerebat, nihil intercedere. *Priscillianistarum*, a Priscilliano sic vocata, quæ ex Gnosticorum, et Manichæorum erroribus erat consarcinata, et a quodam Marco ex Aegypto in Hispaniam allata, Priscillianoque instillata. Itaque duo rerum principia etiam Priscillianistæ credebant, hominis omnia fato esse subjecta, esum carnium, et conjugium damnabant, qui tamen in vagam libidinem essent effusi. Ad sua autem occultanda omnem sibi licentiam dederant pejerandi. *Antidicomarianitarum*, qui Deiparæ virginitatem perpetuam negarunt, *Collyridianorum*, a placentis, quæ *Kollyrides* græce vocantur, et quas Virgini Deiparæ offerebant pro dea eam habentes. Circa idem tempus, seculo quarto ad finem vergente, *Helvidius* quoque, et *Jovinianus* eumdem, qui paulo ante dictus est, errorem adversus Deiparæ perpetuam virginitatem docuerunt, nec virginitatis majus esse meritum, quam conjugii. Joviniani autem etiam præterea fuit, inter abstinentiam, et ciborum sumptionem nullam esse distantiam, peccata esse omnia æqualia, itemque in cælo Justorum præmia. *Bonosus* etiam Episcopus Sardicensis, cujus sectatores dicti sunt Bonosiaci, asserebat, Mariam Deiparam post editum Christum alios genuisse liberos: in Christo autem duos posuit filios, alterum existentem ante hunc mundum conditum, non tamen æternum, alterum, qui coeperit esse, quando ex Maria natus est. *Vigilantius* Presbyter Barcinonensis, sed ex Gallia oriundus, negavit Martyrum Reliquias esse venerandas, eos, qui has venerarentur, vocans Cinerarios, et idololatras; negavit Sanctis in cælo cultum esse exhibendum, et eorum patrocinium implorandum; idem cælibatum

quo-

quoque Clericorum, et abdicationem bonorum temporalium per vitæ monasticæ professionem insectabatur, magnam ob ista a Basnagio, aliisque Protestantibus laudem consecutus. Ista, adversus quæ Vigilantius scripsit, et quæ etiam nunc in Ecclesia Catholica obtinent, vocat Basnagius plebejam Reliquiarum religionem. At vero S. Hieronymus scribens contra Vigilantium affert exempla venerationis Sanctorum reliquiis exhibitæ ab omnibus Ecclesiarum populis, ab omnibus Episcopis, ab ipso quoque Constantino M. et Arcadio Imperatoribus. *pag.* 540.

§. 81. *Theodosius* Imp. adhuc severiorem, quam priores fuerint, quas et ipse, et alii Imperatores tulerant, *legem sanxit* adversum hæreticos, interdictumque est ipsis omnibus conventiculis, etiam in privatis ædibus, et ordinatione Clericorum, nec non exclusi sunt privilegiis pluribus, quæ concessa erant aliis civibus. Sic constricti magis sunt, quod leges prius latas ausi essent infringere, imo etiam violentiam adversus Catholicos exercere. Ariani, qui se putabant, totum orbem facturos Arianum, ne sedibus suis pellerentur, simulabant se Catholicos. Valenti, et Ursacio, aliisque pluribus non est creditum. Fraudem cum similiter struxisset *Auxentius*, qui in locum Dionysii a Constantio Imp. acti in exilium immissus ad Episcopatum Mediolani erat, et S. Hilarius testatus fuisset non esse ei credendum, et pertentandi illum facultatem obtinuisset ab Imperatore Valentiniano, sicque confessionem suam concinnasset, ut mendacio tegeret illud quod sentiebat, permissus erat in Episcopatu. Quo mortuo *Ambrosius*, qui Aemiliæ cum potestate Consulari præfectus, missus erat Mediola-

num

num ad præcavendas turbas in electione Episcopi, infante proclamante omnium consensione factus est Episcopus, quantumvis nimiopere reluctatus.

Maximus præfectus exercitus opera cujusdam Andragathii *occidit Gratianum* Imperatorem, Galliamque, Hispaniam, et Britanniam, quæ sub Gratiani imperio erant, occupavit. In Italia, reliquisque provinciis, ad Imperium Occidentis pertinentibus, Valentinianus Gratiani frater gerebat imperium, aut potius Justina ejus mater, illius nondum satis matura ætate. Erat religione Ariana, et Arianis impense dedita. Mediolanum intravit rursus Arianus Episcopus, Auxentium se vocans, tametsi proprio nomine vocatus esset Mercurinus, ejus audaciæ, ut Ambrosium quoque provocaverit ad secum disputandum: ad quam vero is non se demisit. *Sirmii* in Illyrico cum Episcopo mortuo dignitas vacasset Episcopalis, et Justina eum in finem Sirmium ivisset, ut Arianus Episcopus succederet; eo ipse etiam Ambrosius profectus est, effecitque, ne fieret, quod illa se effecturam existimabat. Vix alii præter eos, qui in aulæ erant obsequio, et milites Gothi supererant Ariani, et Ecclesiæ omnes tenebantur ab Catholicis Mediolani. Gothos *Ulphilas*, eorum Episcopus, gratiam captans Constantii Imperatoris traduxerat ad Arianismum. Paschatis festo imminente, *Valentinianus*, svadente matre, *petiit Ecclesiam* ab Ambrosio pro Arianis, ejusmodi cum imperio, ut si mos non statim gestus esset, Sacerdotes ex Ecclesia ejicerentur, et si resisterent, etiam gladio ferirentur. Istud, mandato Imperatoris ad se allato, Ambrosius negavit se posse facere. Missi erant milites Gothi ad Ecclesiam oc-

occupandam: qui vero fracti oratione Ambrosii, re infecta redierunt. Decreverat exilium Imperator in Ambrosium. Sed neque hoc viderat, qua ratione effectum posset dare absque seditione populi, qui undique concurrerat ad Ambrosii custodiam sic, ut paratus esset pro illo etiam mori. Tam isto metu, quam etiam miraculis permotus, quæ tunc facta Mediolani sunt, dum Ambrosius corpora Martyrum Gervasii, et Protasii invenisset, ad basilicamque transtulisset, Valentinianus destitit premere Ambrosium, sed non Justina, quæ in eum percussorem etiam immiserat, cui vero brachium, volenti gladium stringere, obriguit, crimen autem confessus, sanum recepit. *Maximus*, qui Gratianum occidit, parabat etiam *Italiam invadere*, et omne Occidentis Imperium sub suam potestatem redigere. Ad Ambrosium tunc non tantum Valentinianus, verum etiam Justina se vertit, et legationem ei ad Maximum pacificatoriam commiserunt. Simulavit Maximus, se pacis cupidum, et bene affectum erga Valentinianum, ut incautum opprimeret. Cum invasisset Italiam, Valantinianus cum Justina matre, et Galla sorore Thessalonicam fugit, Theodosiique imploravit auxilium. Ad quod ferendum cum in Occidentem venisset cum exercitu; Maximus duplici prælio superatus, captusque, a militibus purpura exutus, et capite minutus est, nec exspectata Theodosii sententia. *pag.* 553.

§. 82. Theodosius Maximo debellato, quod factum est a. 388. mansit triennium in Italia. *Thessalonicae* tempore ludorum Circensium incolæ ejus civitatis a Butherico Magistro militum petierunt, ut aurigam velut necessarium ad edendum

dum spectaculum e carcere, ad quem erat missus ob crimen, dimitteret. Quod cum negatum fuisset, Thessalonicenses Buthericum, pluresque alios ex magistratibus occiderunt, eorumque corpora per plateas raptaverunt. Ad Ambrosii, aliorumque Episcoporum preces Theodosius veniam illis promiserat. Postea vero, Rufino, aliisque aulicis svadentibus, dum ludi rursus rediissent, de improviso immissus est miles ad cædem promiscuam Urbis per horas tres, et occisa sunt millia hominum septem sine discrimine, et innocentes cum nocentibus. Post id factum *Ambrosius Theodosium*, Ecclesiam volentem ingredi, aditu prohibuit. Post octo menses die Natali Domini flebat Theodosius in palatio, id sibi non licere, quod mendicis etiam concessum esset. Ad spem erectus a Rufino, atque hoc etiam præcurrente ad Ambrosium, cum et ipse hunc secutus esset, et petiisset, ut absolvatur, ille vero prius pœnitentiam ab eo exegisset, hanc sibi ab Ambrosio impositam ita suscepit, ut deinde receptus ad Ecclesiam in eo loco, qui pœnitentibus erat destinatus, pœnitentiam egerit publice humi stratus, et vim lacrymarum profundens: qua nonnisi peracta et percepta absolutione admissus est ad Sacra etiam mysteria sumenda.

§. 83. Eodem fere tempore *Constantinopoli* res etiam ad pœnitentiam attinens accidit ejusmodi. Matrona quædam ad *Poenitentiarium Presbyterum* accedens delicta, post Baptismum a se perpetrata, singillatim confessa erat. Presbyter præcepit mulieri, ut jejuniis, et orationibus continuis vacaret. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiæ scili-

cet

cet Diaconum cum ipsa stupri consvetudinem habuisse. Id cum dixisset, Diaconus quidem Ecclesia ejectus est, populus vero graviter commoveri cœpit. Cumque eam ob causam Ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam, Ecclesiæ Presbyter, Nectario svasit, ut Pœnitentiarium Presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio, et pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem sineret accedere. Hinc autem, quod a Socrate, et Sozomeno relatum est, Basnagius, Dallæus, et jam ipse etiam Calvinus conclusionem formarunt adversus legem arcana peccata confitendi, Sacerdoti, quæ ab Apostolis imposita non sit. Secus enim Nectarium eo temeritatis processurum non fuisse, ut Divinam legem sua auctoritate perfringeret, viri boni indignum facinus clamitassent, Chrysostomusque Præsul legem renovasset. Baronius, pluresque alii e nostratibus istud, quod fecit Nectarius cum interpretati fuissent de pœnitentia publica, adversum hos Basnagius pluribus exemplis, et documentis probavit, publicam poenitentiam perstitisse Constantinopoli etiam post Nectarium, atque unde consequens voluit esse, a Nectario secretam peccatorum confessionem esse abrogatam. Ejusdem Socratis testimonio constat, cujus hæc tota etiam narratio est, Presbyterum Pœnitentiarium tantum post exortam hæresim Novatianorum, et persecutionem Decianam ob eorum multitudinem, qui lapsi erant, institutum esse, et dumtaxat in Oriente. Igitur, si Basnagius secretam peccatorum confessionem colligavit cum hoc Presbytero Pœnitentiario, consequens esse det etiam est necesse, ut quemadmodum hoc Presbytero submoto desierit secreta peccatorum confessio, ita hæc solummodo etiam

in-

inceperit cum hocce Presbytero pœnitentiario, nec ante viguerit. Si vero ista secreta confessio non ita connexa fuit cum Presbytero Pœnitentiario, ut esse non potuerit, antequam constitutus fuisset iste Presbyter, nec valere potest conclusio desiisse secretam etiam confessionem, desinente Presbytero Pœnitentiario. At non desiise secretam peccatorum confessionem Constantinopoli sub Nectario, et perstitisse etiam sub S. Chrysostomo, qui ei in Episcopatu successit, idem ipse etiam docet Chrysostomus Homil. 20. in Joan. cujus hæc verba sunt: *Qui crimen commisit, si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, et ad confessionem facinorum festinare, et ulcus ostendere medico, qui curet, et non exprobret, atque ab illo remedia accipere, ac soli ei loqui nullo alio conscio, et omnia dicere cum diligentia; facile emendabit peccatum. Confessio enim peccatorum abolitio est delictorum.* S. Ambrosius quoque *Exterior*, inquit, *peccatorum confessio pars est poenitentiae. Nam qui vult justificari, fateri debet delictum suum.*

Certis criminibus, nisi fuissent occulta, publica per Canones Ecclesiæ erat constituta poenitentia. Eos, qui affecti erant ejusmodi crimine, ante pœnitentiam peractam publice, Episcopus, vel Presbyter prohibebat aditu Ecclesiæ, id, quod §pho superiore vidimus factum esse ab Ambrosio erga ipsum etiam Imperatorem Theodosium. In Oriente ob multitudinem lapsorum in adjutorium Episcopi assumptus est Presbyter iste, qui dicebatur Pœnitentiarius, ad providendum, ut publicam pœnitentiam agerent ii, qui ei obnoxii essent, et arcerent eos, qui tales absque hac pœnitentia auderent ad percipienda my-

ste-

steria accedere. Istius igitur Presbyteri Pœnitentarii munus Constantinopoli a Nectario abrogatum fuit, unumquemque pro arbitrio, et pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem sinente accedere. *pag.* 567.

§. 84. *Valentinianus II.* a matre Justina, quæ se Arianis dediderat, et ipse in Religione corruptus, a Theodosio autem Imperatore, dum ei in auxilium adversus Maximum venisset, objurgatus idcirco, non tantum errorem deposuit, et Religionis studiosissimus fuit, verum etiam S. Ambrosium, velut filius patrem tenerrime amavit, et coluit. Non diu autem superstes in vita fuit. Vienna ex Gallia in Italiam volens reverti, Ambrosium ad se vocavit, ut ab eo baptizaretur. Hic antequam ad eum venire potuisset, Arbogastes, magister militum Valentinianum strangulavit: quem Ambrosius oratione funebri laudans, *Credamus*, inquit, *quod detersa labe peccati adscendit* (in cælum) *quem sua fides lavit, et petitio* (Baptismi) *consecravit.* Arbogastes deinde *Eugenium* antea rhetorem, deinde Imperatori a secretis exercitui obtulit, et ejus acclamatione *Imperatorem* creavit. Adversus hunc, quod invasisset Imperium, Theodosius denuo cum exercitu in Occidentem venit: quem cum devicisset pietate magis, quam armis, ultra in Orientem reversus non est. Mediolani a. 395. vita functus. Ante obitum *Honorium* filium Constantinopoli ad se vocavit, eique Imperium Occidentis tradidit, *Arcadium*, alterum filium in Oriente successorem designavit: et quoniam neutrius ætas adhuc satis idonea erat ad regendum, huic *Rufinum*, illum eumdem, cujus jam mentio facta est, illi *Stilichonem*, suum socerum, tutorem dedit:

qui

qui ambo Imperii pestes et pernicies fuerunt, Gothos, aliasque barbaras nationes excitando ad lacessendas Imperii Romani provincias, ut prætextum invenirent, dejecto Arcadio, et Honorio, velut imperitis ad regendum, ad se trahendi Imperium. Itaque per has barbaras nationes tam provinciæ Imperii in Oriente, quam in Occidente afflictæ, et devastatæ sunt miserrime, atque ipsa etiam Roma a Gothis capta, atque direpta. Nec tamen sive Rufinus, sive Stilicho id, quod summo scelere quæsiverunt, assecuti sunt, potiusque suum exitium invenerunt. *pag.* 582.

PARS II.

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICAE.

A SECULO V. USQUE AD FINEM SECULI VIII.

§. 1. *Origenes*, jam cum adhuc viveret, incusatus fuit errorum, in quos incurrerit in suis libris. Ab iis, qui libros hos incaute legerant, erroresque hinc Origenis suxerant, seculo ineunte quinto nova Origenistarum secta enata est. *Monachi*, incolentes regionem Aegypti, quæ Nitria vocabatur, in hunc impegerant scopulum. Eodem tempore, et eadem in regione erant monachi, qui credebant Deum corporeum, atque membris, quibus homines sunt, instructum, eo, quod ista dicerentur de Deo in Scriptura sacra, dum alteri juxta Origenem ea etiam, quæ proprie intelligenda in Scriptura sunt, traherent ad improprium, et metaphoricum sensum. Unde in-

inter monachos magni exorti erant conflictus. *Theophilus* Episcopus Alexandrinus adversus errorem de Deo corporeo sermonem in Ecclesia habuit. Hinc monachi istius sententiæ ita exarserunt, ut eorum turma ex eremis Alexandriam advolaverit etiam animo Theophilum occidendi; quos ille placavit, ostendens se quoque alienum ab Origenistis. Hos omnino deinde in binis synodis, Alexandriæ habitis, etiam damnavit. Quin assumptis copiis militaribus monachos Origenistas Nitriam incolentes invasit, atque e cœnobiis expulit. Hi cum in Palæstinam se recepissent, istinc quoque pulsi ab Episcopis sunt. Aliis alio dilapsis, quinquaginta Constantinopolim perrexerunt, et Joannis Chrysostomi Episcopi patrocinium imploraverunt, secus ituri ad Imperatorem, eique Theophili facinora expondituri. Chrysostomus Theophilo ipsos studuerat reconciliare. Quod cum non successisset, monachi, quod minabantur, fecerunt. Arcadius Imp. concilium Episcoporum haberi jussit, accersito etiam Theophilo. Qui vero Chrysostomum etiam velut Origenistam traduxerat, adeo ut S. Epiphanus Episcopus Salaminæ in Cypro, pariter Constantinopolim veniens, illius etiam conspectum vitaverit. *pag.* 3.

§. 2. *Theophilus* judicium, quod in eum accusatoribus monachis erat constitutum, vaferrime in *Chrysostomum* convertit. Chrysostomus in suis concionibus invectus erat in vitia tam virorum, quam feminarum, inprimis fastum, et superbiam perstrinxerat. Hoc ii, quorum istiusmodi erant mores, detulerant ad Eudoxiam Imperatricem, quasi in hanc Chrysostomus etiam suos direxisset sermones. Itaque Imperator, cui questa est Eudoxia, ipsi Theophilo commisit, ut

in

in Synodo Episcoporum judicium exerceret in Chrysostomum. Hæc synodus habita est Chalcedone, quæ Civitas vix uno milliari distat Constantinopoli in ejus suburbio dicto *ad Quercum*. Theophilus multos etiam Clericos pecuniis conduxerat ad libellos dandos contra Chrysostomum. Nec ex Episcopis deerant, qui illius accusatores fierent, reprehensi ab eo, aut etiam depositi ex Episcopatu. Ad hanc synodum Chrysostomus citatus, negavit se venturum, nisi prius ex hac exclusus esset Theophilus: sed provocationem suam misit per tres Episcopos ad œcumenicam synodum, qui indignissime sunt excepti. Chrysostomus eo nomine, quod non se stitisset concilio, damnatus, mandato Imperatoris deportatus est in exilium. Seditione vero idcirco exorta Constantinopoli, jam altera die reductus est summa lætitia populi. Episcopi, adversarii Chrysostomi in fugam se dederunt, ipse etiam Theophilus: quem si populus comprehendere potuisset, in mare præcipitem egisset. Is monachos deinde, quos vexaverat sponte in gratiam recepit, ut sui accusationem sopiret.

Intercesserant duo tantum menses, et *nova tempestas* excitata est adversus Chrysostomum. In vicinia Ecclesiæ, quæ Sophia dicta est, *statua argentea* erat erecta Eudoxiæ Imperatricis. Theophanes Urbis Præfectus ludos ad hanc statuam instituit, Paganorum moribus haud dissimiles. Chrysostomus idcirco Theophanem reprehendit. Is rem sic ad Eudoxiam retulit, quasi Chrysostomus obsisteret venerationi, quæ a populo Imperatrici exhiberetur. Fit denuo Episcoporum concilium, ad quod Theophilus quoque erat vocatus: qui tamen non est ausus ve-

nire, metuens periculum, quod jam expertus erat: sed misit tres Episcopos sui loco, dato Canone quem perferrent, qui in Arianorum Antiocheno conciliabulo contra S. Athanasium erat constitutus. *Supra Part. I.* §. 64. Actus rursus est in exilium. In vigilia Paschatis a. 404. qua id actum est, Presbyteri Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ne se contaminarent communionem servando cum Episcopis istius conciliabuli, sacras functiones in thermis agere instituerunt: hinc vero cum pulsi fuissent, profanatis per milites ipsis etiam Sacris, et ad campum se contulissent, inde quoque per milites dispulsi sunt. *Chrysostomus* per Pansophum, et tres alios Episcopos, Romam missos, *causam suam* detulit ad Innocentium I. Papam. Eadem de re Episcopi quadraginta, et Clerus Constantinopolitanus literas ad eumdem Innocentium misit. Is Theophili judicium rescidit, et ut novum concilium fieret, decrevit, ipsi etiam Theophilo præcipiens, ut se in eo sisteret. *Thessalonica* etiam per Imperatores Arcadium, et Honorium erat constituta, ubi hoc concilium haberetur. Erant missi legati ab Innocentio Episcopi quinque, Presbyteri duo, et unus Diaconus. His iter interclusum est Constantinopolim, et literæ, quas ferebant, vi ereptæ. Chrysostomus autem ductus est primo Cucusum locum Armeniæ, ubi nulla securitas erat vitæ propter incursiones continuas hostium, deinde Arabissum in eadem Armenia adhuc deteriorem locum: hinc quoque dum adhuc Pityuntem in ora maris Pontici deportaretur, et Comanam jam in Pontica regione pervenisset, mortuus est. Eudoxia mense septimo post, Arcadius anno altero decessit, item ceteri Chrysostomi adversarii cito, et atrocibus

mor-

morbis consumpti sunt. In locum Chrysostomi *Arsacius* fuit positus Episcopus, sed a quo abhorrebant omnes, gravem idcirco persecutionem perpessi. Huic *Atticus* successerat: qui cum Innocentium pro se deprecatus fuisset, veniam, et communionis literas ea conditione impetravit, si nomen Chrysostomi, jám vita functi, diptychis inseruisset: quod ille fecit, atque hoc pacto eos etiam, qui ab ipso dissidebant, sibi quoad communionem adjunxit. *pag.* 7.

§. 3. Anno 412. *secta Pelagianorum*, et alio nomine Cælestianorum exorta est auctore Pelagio, et Cælestio ejus discipulo. Pelagius errorem hausit a Rufino monacho Aquilejensi, qui vero eumdem suxerat ex libris Origenis. Pelagio Cælestius Romæ se adjunxerat. Hinc ad errores suos disseminandos primum in Siciliam, deinde in Africam profecti sunt. Cælestio manente Carthagine, Pelagius in Palæstinam se contulit. *Caelestium* Paulinus Diaconus Mediolanensis jam a se cognitum ad *Aurelium* Episcopum Carthaginensem detulit. Habitum est concilium, in quo damnatus est propter has assertiones: Adamum, mortalem factum, moriturum fuisse, etiamsi non peccasset; Adamum seipsum tantum per peccatum, quod commisit, non genus humanum læsisse; Parvulos, dum nascuntur in eo statu esse, in quo Adam erat, antequam peccasset; Nec per peccatum Adami omne genus humanum mori, neque etiam istud omne per Christum resurrecturum esse; Legem mittere ad regnum cælorum, quomodo et Evangelium; Homines ante adventum Domini fuisse impeccabiles, id est, sine peccato. Ab sententia istius concilii Cælestius appellavit ad Romanum Pontificem: qua

vero appellatione neglecta Ephesum ivit, ubi ad Presbyteratum irrepsit.

Pelagius Jerosolymæ probitatis specie in animum se insinuaverat Joannis Episcopi. Disputationibus vero exortis ob ea, quæ spargebat, Joannes instituit concilium, nullum tamen judicium tulit, ut integram causam reservaret Innocentio I. R. P. A duobus Episcopis Herote, et Lazaro cum *Pelagius* delatus fuisset ad *Eulogium* Cæsareensem in Palæstina Episcopum, rursus habitum est Concilium Diospoli quatuordecim Episcoporum, quos Pelagius fefellit, atque hoc pacto se damnatione exemit. Qua Pelagii absolutione illius sectatores audaciores facti monasterium S. Hieronymi, quia adversus Pelagium scripserat invaserunt, et incenderunt, nec a cædibus abstinuerunt. Anno 416. iterum *duo Concilia* in Africa Carthagine, et Milevi sunt habita: quæ sua statuta confirmationis causa ad Apostolicam Sedem miserunt. Pelagius quoque misit literas ad Innocentium Papam, quibus exposuit, quid crederet, sed verbis ambiguis, petiitque, ut si quid minus perite et caute scripsisset, hoc is vellet corrigere. Hæ literæ Zosimo, qui Innocentio in Pontificatu successerat, sunt redditæ. Innocentii morte audita Cælestius etiam propere venit Romam, libellumque sui purgandi causa eidem Zosimo obtulit, et si quis forte ignorantiæ error ei obrepsisset, petiit ipse quoque a Pontifice, ut istud corrigeret. Pontifex scripserat Episcopis Africanis, Pelagium et Cælestium non debuisse damnari, siquidem mentis obstinatio ab ipsis abfuerit. Dilatus Cælestius, donec ab Episcopis Africanis rescriptum esset, ac deinde vocatus, ut errores, de quibus erat accusatus, damna-

mna-

mnaret, Roma aufugit, atque ob hoc a Zosimo Papa scriptis amplissimis perdamnatus est.

Basnagius etiam in hac agendi ratione Zosimi cum Cælestio, invenit, quod carperet. Dicit, se illum non posse non accusare negligentiæ, qui hæreticum libellum catholicum esse pronunciaverit, dum docet ex Cathedra. Qua vero ratione Zosimus Cælestii libellum dixerit Catholicum, idque omnino recte, demonstravit S. Augustinus: *Voluntas*, ait, *emendationis, non falsitas dogmatis approbata est; et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia et hoc catholicæ mentis est, si quæ forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta, ac demonstrata respuere. Profecto quidquid interea lenius actum est cum Caelestio, servata dumtaxat antiquissimae, et robustissimae fidei firmitate, correctionis fuit clementissima svasio, non approbatio exitiosissima pravitatis.* Scripta amplissima, ut ea vocavit Marius Mercator, quibus damnatus a Zosimo Cælestius est, epistola fuit, quam S. Augustinus appellavit *Tractoriam* missam quaquaversum ad omnes Episcopos subscriptionis causa. Qui subscribere noluerunt, sententia excommunicationis percussi sunt, suisque Episcopatibus privati, non tantum Sacerdotali, verum etiam Imperiali decreto. Hi octodecim erant, atque inter hos præcipuus Julianus Episcopus Eclanensis. *pag.* 20.

§. 4. In Collectionibus Conciliorum, et apud Scriptores Ecclesiasticos occurrit *Concilium Carthaginense*, quod a. 419. ponitur esse habitum ab Episcopis 217 in *causa Apiarii* Presbyteri Siccensis, qui ob crimina sua

lo-

loco motus cum confugisset ad Zosimum Papam; is Faustinum Episcopum, Philippum et Asellum Presbyteros in Africam miserit ea de causa, ut Apiarius, quem judicasset innocentem esse, reponeretur ad Presbyteratus gradum, idque legatos ursisse vi Canonis Nicæni, sed qui ex Sardicensi Concilio sumptus fuerit, in Nicæno autem Concilio non exstiterit. Attamen ab Episcopis Africanis repositum esse Apiarium, non tamen in Siccensi, verum Tabracensi Ecclesia: cumque etiam hic rursus ex Presbyteratu dejectus fuisset ob crimina, is vero etiam nunc ad Cælestinum Papam recurrisset, iterumque ab hoc illius reponendi causa legati in Africam venissent, sed is crimina sua confessus fuisset, scripissse Africanos Episcopos Cælestino Papæ, ne a se excommunicatos in communionem suam ultra reciperet, quia hoc etiam a Concilio Nicæno definitum sit, et abstineret etiam a suis Clericis in Africam mittendis, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi videatur velle inducere. Est autem res hæc tota, quæ fertur acta inter Zosimum, et Episcopos Africanos nonnisi ficta, et ne figmentum quidem adornatum bene. Nam ille canon, qui dicitur ab legatis Zosimi sub nomine Canonis Nicæni non recte productus, est revera in Nicæno Concilio conditus, non in Sardicensi. Id, quod jam supra Part. I. §. 66. declaratum est: sed neque istud quod constitutum hoc canone est, initium sumpsit a Nicæno Concilio, quem Julius I. Papa morem antiquum vocat, a Concilio Nicæno solummodo confirmatum. Romanus Pontifex habet sibi datum a Christo Primatum jurisdictionis supra universam Ecclesiam. Qualis igitur iste Primatus jurisdictionis esset, si Romano Pontifici non esset jus reci-

cipiendi appellationis? Istius figmenti compositor fuit auctor Codicis, qui Africanus vocatur, quemadmodum satis luculenter me ostendisse puto in Dissertationis meæ VII. in Selecta argumenta Hist. Eccl. §. 4. ad quam lectorem jam etiam in Institutionibus ejusdem Historiæ remisi. *pag.* 31.

§. 5. S. *Augustinus* in epistola *ad Sixtum* doctrinam Orthodoxam exposuit de Originali peccato, et de Gratia. Hæc perlata etiam est ad *Adrumetinum* cænobium in Africa. Quam cum monachi legissent, disputationes inter eos coortæ sunt, dum inter hos fuissent, qui existimaverint, Gratiam sic asseri a S. Augustino, ut liberum hominis sufferatur arbitrium. Itaque Valentinus cœnobii præses, rem S. Augustino significavit. Quapropter is librum composuit *de Gratia, et libero arbitrio,* et ad Valentinum misit: dumque ex hoc etiam libro unus eorumdem monachorum conclusionem fecisset, eum, qui male ageret, non esse arguendum, sed solum modo pro hoc Deum, ut gratiam ei det, orandum, eo quod S. Augustinus in hoc libro prædicaverit, omnia bona nostra opera esse Dei dona, alterum etiam librum idem Augustinus *de Correptione, et Gratia* confecit, et monachis misit Adrumetinis. Etiam in Gallia non omnibus probabatur doctrina S. Augustini de Gratia, idque præsertim Massiliæ. Tametsi enim Originale peccatum, et Gratiæ divinæ necessitatem ad salutem confiterentur; tamen initium fidei dicebant venire a nobis ex solisque naturæ viribus, nec non et perseverantiam: quibus idcirco *Semipelagianorum* nomen datum est. Dum a. 529. Episcopi *Arausicam* ad dedicationem

Ec-

Ecclesiæ convenissent, *Caesarius* Episcopus Arelatensis hac occasione synodum instituit. Adversus errores Pelagianorum, et Semipelagianorum Felix IV. R. P. Fidei orthodoxæ expositionem miserat ad eumdem Cæsarium, subscriptionis causa per Episcopos: quod proinde ab his factum in hac synodo est. Hæc Synodus Arausicana II. est. Cum tamen adhuc a quibusdam obmurmuratum fuisset, idem Cæsarius alteram rursus synodum, pluriumque Episcoporum *Valentiae* celebravit. Quæ tam hic, quam Arausicæ statuta sunt, Sedes Apostolica confirmavit. Hinc ista pro indubitatis Fidei regulis habita semper sunt. *pag.* 34.

§. 6. In errore *Praedestinatianorum*, quo decretum in Deo ponitur sicut de aliis gratia, et salute æterna donandis, ita aliis in exitium mittendis, ut illud vitare non possint, primus *Lucidus* Presbyter Gallus reperitur fuisse circa a. 474. utpote quem sit videre in libello, quem Episcopis obtulit concilii Arelatensis, eo tempore habiti. Idem iste error erat collatus in Gotteschalcum, qui isto nomine etiam damnatus fuit in Moguntina Synodo a. 848. cui Rhabanus præsederat, iterum anno subsequente in concilio Carisiaci habito præside Hincmaro Rhemensi Episcopo, in quo is etiam tamdiu flagellis cæsus est, donec libellum suum, in quo sententiam suam de Prædestinatione expresserat, in ignem projecisset. Immerito autem fuisse hunc accusatum, et punitum testes sunt S. Remigius Episcopus Lugdunensis, S. Prudentius Episcopus Trecensis, pluresque alii: id quod patescit ex ipsius etiam Gotteschalci his verbis: *Quia, quos præscisti* (verba ad Deum sunt directa) *per ipsorum pro-*

propriam miseriam in damnabilibus perseveraturos esse peccatis, illos profecto, tamquam justissimus judex, prædestinasti ad interitum. Indubitate vero iste error fuit Valdensium, Joannis Viclefi, Joannis Hus, et omnium apertissime Ioannis Calvini. *pag.* 39.

§. 7. Post Sisinnium, qui Attico successerat, cujus supra §pho 2. facta est mentio, evectus ad Episcopatum est Constantinopoli *Nestorius*, antea monachus, et Presbyter Antiochenus. Insurrexit statim in omnes hæreses, idque cum violentia excepta Pelagiana: verum ut uni suæ aditum patefaceret, quam a Theodoro Mopsuesteno, cujus erat discipulus, hauserat. *Dogma suum* per Anastasium Presbyterum cœpit proferre, prædicantem publice in Ecclesia: Nemo, ut Mariam vocet Deiparam. Deum enim ex homine non potuisse nasci. Hoc eodem officio functus deinde est Dorotheus Episcopus Marcianopolitanus, anathema etiam jactans in eum, qui diceret Mariam esse Deiparam. Demum idem hoc fecit ipse etiam Nestorius: tam in sermonibus publice in Ecclesia habitis, quam scriptis quaqua versum sparsis. Ei vero monachus quidam, deinde Eusebius, adhuc tunc laicus palam occlamaverat: populus autem sic in Nestorium exarserat, ut præcipitem dare in mare voluerit. Nestorii scripta cum in Aegyptum venissent, *Cyrillus* Episcopus Alexandrinus epistolam ad monachos Aegypti misit, ut eis caveret adversus Nestorii errores. Res cum innotuisset etiam Cælestino I. Papæ (per Cyrillum ei est significata) Nestorius semel, atque iterum literas ad eumdem Cælestinum dederat, conatus verborum involucris suas assertiones defendere. Pontifex quoque scripsit epistolam Nestori,

rio, sed mittendam ei per Cyrillum, atque huic commitendo, ut nisi intra decem dies, suum damnavisset errorem, excommunicationis a se in illum constitutæ, exequeretur sententiam. Nestorius hac Cælestini accepta epistola, cui Cyrillus suos etiam duodecim *anathematismos* adjunxerat, directos adversum Nestorii errores, a Theodosio II. Imp. petiit, ut fieret Synodus œcumenica, tumultuum incusato Cyrillo. Facta est convocatio Episcoporum Ephesum. Dies erat præstituta septima Junii a. 431. *Concilium* tamen incepit tantum die 22. Junii. Convenerunt Episcopi circiter ducenti. Candidianum Comitem Imperator miserat ad Concilium, sed ea lege, ne quæstionibus, quæ circa Fidei dogmata inciderint, se immisceret. Nestorius Ephesum venerat, sed ad Concilium citatus venire noluit. Lata in illum depositionis ex Episcopatu, et excommunicationis sententia tali totius Ephesinæ civitatis plausu est, ut populus in laudes Dei solutus cum facibus, et thuribulis Episcopos ex Ecclesia, in qua celebrabatur Concilium, ad hospitia deduxerit.

Post dies quinque *Joannes Antiochens* cum Syriæ Episcopis advenit Ephesum. Hic non tantum non accessit ad Concilium, sed etiam Episcopos, qui ad eum invitandum venerant, indignissime habuit, ita ut cæsi etiam et plagis affecti per Irenæum Comitem sint. Instituit deinde seorsim Conciliabulum quadraginta Episcoporum, condemnavit anathematismos Cyrilli, et in ipsum etiam Cyrillum, et reliquos omnes Episcopos illius cum Cyrillo Concilii jecit anathema. Die 10. Julii legati etiam Romani Pontificis advenerunt, Arcadius, et Projectus Episcopi, Philippusque Pres-

Presbyter. Hi petierunt, ut sibi exhiberetur judicium, latum in Nestorium, Concilium autem ab his, ut illud sua subscriptione confirmarent. Condemnatus est deinde etiam Joannes Antiochenus cum universo suo conciliabulo. Ex istius conciliabuli Episcopis fuit etiam Theodoretus Cyri Episcopus in Syria, qui scriptis suis incesserat non tantum anathematismos Cyrilli, verum ipsam etiam Synodum Ephesinam.

Utrumque concilium *misit* sua *statuta* ad Imperatorem. Tam itinera omnia, quam aditus omnes Constantinopoli ad Aulam obsederunt fautores Nestorii, ne Concilii legitimi ullæ possent ad Imperatorem literæ pervenire. Tandem cuidam mendico hæ inclusæ arundini commissæ sunt, ad monachos directæ, Constantinopoli habitantes: qui velut ad supplicationem prodeuntes cum cantu ad Imperatoris aulam easdem detulerunt. Imperator primum utriusque concilii Acta volebat haberi missa in irritum, et novum institui concilium excluso Nestorio, Cyrillo, et Memnone, qui Ephesinus erat Episcopus: quin Cyrillum et Memnonem ad custodiam etiam jussit poni. Petiit deinde ut legati ad se mitterentur ex utraque parte. Ex parte una iverunt Arcadius et Philippus legati Romani Pontificis cum sex Episcopis, ex altera Joannes Antiochenus cum septem Episcopis suæ factionis. Videbatur Imperator propensior in hanc partem alteram esse. Res se repente convertit. Non tantum enim Imperator in locum Nestorii per Concilium damnati, et depositi e dignitate Episcopali dedit facultatem alterius Episcopi ordinandi, Maximianus is fuit, sed etiam Nestorium in exilium egit, ejusque libros jussit comburi: insuper Nestorianis prohibuit

omnia

omnia conventicula, et Simonianorum nomine eos voluit compellari.

Septem sessiones habuit hæc Synodus. In earum ultima *Charisius* Presbyter indicavit per duos Presbyteros factionis Nestorianæ esse Symbolum, quod Theodorus Mopsuestenus composuerat, allatum in Lydiam, et sparsum. Hoc symbolum est reprobatum, et statutum factum, ne quis symbolum quodpiam conscriberet, et proferret præter illud, quod a Nicænis Patribus est factum. *Acta Synodi* sunt missa ad Romanum Pontificem, et ab eo confirmata. Joannes Antiochenus etiam per Imperatorem adactus est ad dicendum anathema Nestorio. Rediit deinde in gratiam etiam cum Cyrillo: etiam Sedi Apostolicæ, datis ad eam literis, est reconciliatus. Ita factionis duce resipiscente, ceteri etiam Episcopi, qui ei adhæserant, ad concordiam redierunt.

Convocatio Episcoporum ad hoc Concilium facta est per Theodosium Imp. sicut jam supra dictum est. Misit vero ad hoc etiam Cælestinus Papa suos legatos: proinde convocationem habuit ratam. Idem Papa jam prius executionem totius negotii constituti a se, commiserat eidem Cyrillo ita, ut sententiæ promulgationem in Nestorium, si non resipisceret, jusserit eum facere in Episcoporum concilio. Quamobrem toti negotio a Romano Pontifice præpositus, *præsidem* etiam *egerat* istius Ephesini Concilii, jam ante adventum legatorum, Roma missorum. Istos autem mittendo, Pontifex noluit auferre Cyrillo, quod ei tribuerat. Itaque præses concilii mansit etiam postea, sed adjunctis jam etiam legatis, Roma missis. Itaque in Sessioni-

bus

bus quoque, earumque Actis, Cyrillus et primus nominatur ex considentibus Episcopis, et disertissime dicitur, Cælestini Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinuisse. Photius quoque in Nomo canone scribit, Cælestinum, cum non potuisset adesse Ephesi Cyrillo permisisse, huic Synodo præsidere. Utque constaret eum habere jus, et auctoritatem Papæ sedisse cum Phrygio, et condemnasse Nestorium. *Basnagius* contendit Cyrillum proprio jure præsidem egisse Concilii. Ex his, quæ modo dicta sunt, credo, satis apparere, rem se ita non habere. *pag.* 44.

§. 8. *Eutyches* Archimandrita Constantinopolitanus unus eorum fuit, qui se adversus errorem Nestorii opposuerunt maxime. Dum autem istius convellere volebat errorem, ipse in contrarium incidit ita unam Christi personam asserens, ut etiam unam nonnisi naturam in eo poneret, docendo, dum Filius Dei assumpsisset humanam naturam, hanc esse absorptam a natura divina, nec perstitisse. Ad hunc disseminandum errorem etiam librum composuit, quem *Tomum* appellavit. In concilio Episcoporum Constantinopoli habito a Flaviano ejus Urbis Episcopo Eutyches damnatus, recurrit per literas ad Leonem Papam, cognomine Magnum, querens se injuste damnatum, spondensque se correcturum, quidquid Pontifex sua sententia improbasset. Sed hæc verba solummodo erant. Rem etiam Flavianus perscripserat Leoni eidem, suamque petiit ab eo confirmari sententiam, quam tulerat in Eutychetem. Præstitit hoc Leo, simulque in epistola sua, data ad Flavianum Incarnationis mysterium luculentissime exposuit. Chrysaphius eunuchus fautor Eutychetis Dioscorum Episco-

pum

pum Alexandrinum induxit, ut a Theodosio Imp. peteret convocationem synodi. Fecit, cupiens ipsum etiam Leonem interesse isti concilio. Leo quamvis existimasset abstinendum a concilio, nec istius convocandi sufficientem causam esse; tamen ne Imperatoris piæ voluntati refragaretur, misit legatos, Julium Episcopum Puteolanum, Renatum Presbyterum, et Hilarum Diaconum, qui vicem ejus præsentiæ implerent.

Ephesi istud quoque *concilium* institutum est die 8. Aug. a. 449. quod ex centum triginta constitit Episcopis. Dioscorus sibi in eo locum principem arroganter vindicavit, neque literas Leonis ad Concilium datas, et per legatos allatas, sivit legi. Harum autem lectione prætermissa lecta sunt Acta Concilii a Flaviano contra Eutychetem habiti. Eutyches deinde obtulit confessionem suæ fidei, quin tamen exposuisset illud, propter quod erat accusatus, atque damnatus. Absolvitur et cum eo monachi triginta septem pariter ob eumdem, qui Eutychetis erat, errorem damnati: e contrario autem Flavianus, et Eusebius Doryleensis, qui quemadmodum Nestorio se fortiter objecerat; ita Eutychetem etiam frustra a se monitum ad Flavianum detulerat. Contradixerunt legati Romani Pontificis: sed neglectui habita est contradictio. Ad vocem Dioscori irrumpit caterva militum, cujus ductor erat Barsunas archimandrita cujusdam monasterii in Syria, armata gladiis, et fustibus. Proponitur charta pura, in qua per modum subscriptionis Episcopi jubentur sua nomina apponere. Terrore adacti Episcopi 96 adscripserunt sua nomina: ceteri cum fuissent delati ad Imperatorem, ac si Nestoriani essent, isque delationi huic credidisset,

acti

acti sunt in exilium. *Flavianus* cum ad Romanum Pontificem appellasset, et appellationis libellum etiam illico legatis tradidisset, fustibus contusus, et calcibus, ab ipso etiam Dioscoro in ventrem ita cæsus est, ut triduo post e vita excesserit. Nec ipsis legatis Romani Pontificis erat securitas. Primus Hilarus fuga se eripuit: quem secuti sunt ceteri. E quibus Leo cum intellexisset, res quomodo actæ sint, Acta concilii omnia rescidit, et in irritum misit. Is deinde petierat a Theodosio, ut aliud fieri posset concilium ad sananda vulnera, quæ inflicta sunt Religioni per latrocinium Ephesinum, sic enim illud deinde concilium appellabatur, sed impetrare ab eo non potuit.

Acta istius Ephesini concilii habent *Dioscorum* illius præsidem: jamque supra etiam dictum est, Leonem Papam hoc etiam ipsum in Dioscoro arguisse, quod sibi sumpsisset præsidere. Idem Leo in epistola ad concilium scripsit de suis legatis, se illos misisse, ut vicem ejus præsentiæ implerent. Ex his tamen Actis istius Concilii *Basnagius*, quamvis hoc ipse etiam vocet latrocinium Ephesinum, argumentum petiit adversus Romanum Pontificem, cujus legatis non competat in Conciliis generalibus præsidere, et Patriarchas antecedere. Mirabilis est hæc argumentatio, et velle definire quid legitimi juris sit, ex eo, quod a latronibus fit. Adversus sententiam in se latam ab hoc concilio Flavianus statim ad Romanum Pontificem appellavit. suumque libellum appellationis legatis tradidit. Istud quoque *Basnagius* non vult habere factum jure, et legitime, atque novum inauditumque fuisse illis temporibus, Concilii œcumenici, quale Ephesi-

sinum fuerit, majestatem unius Episcopi Romani subsidere, ut suo nutu dumtaxat, atque arbitrio illius decreta refigeret. Novum istud, et inauditum fuisse Basnagius dicit. Neque enim in anterioribus œcumenicis conciliis erat aliquis, qui innocenter fuisset damnatus, justamque appellandi causam habuisset. Novum vero, et inauditum non fuit ut irritum fieret, quod a Romano Pontifice non esset confirmatum utpote jam a Concilio Nicæno, Constantinopolitano, et Ephesino factum, ut Acta sua ad Apostolicam Sedem confirmationis causa mitterent. Qui suæ alicujus rei confirmationem ab alio petit, facto suo declarat, hujus potestatem eam esse, ut nisi res per illum confirmata fuerit, vim habitura non sit. Secus enim neque confirmationem peteret: et Concilia œcumenica, quæ hanc petierunt, non petere istam, verum potius vitare debuissent, ne se, hanc, petendo, inferiora esse Romano Pontifice, ultro profiterentur. Nam profecto ejus, qui statutis sua confirmatione vim dat, major auctoritas, et potestas est, quam sit eorum, qui statuta illa composuerunt. Basnagius noluit recognoscere in Romano Pontifice Primatum jurisdictionis supra universam Ecclesiam, quam solummodo repræsentant œcumenica concilia, quæ eidem in Petro collata est a Christo, istis verbis: *Pasce oves meas;* hinc in illo istud novum, atque in auditum est, Flavianum a sententia istius Ephesini concilii appellasse ad Romanum Pontificem, atque eo etiam minus congruenter ab istius concilii quasi majestate contra Romani Pontificis eminentiam supra Concilia petiit argumentum, quando ipse etiam dixit, hoc fuisse latrocinium. *pag.* 63.

§. 9.

§. 9. *Theodosius* anno jam altero post istud Ephesinum verius latrocinium, quam Ecclesiasticum concilium absque hærede decessit. *Pulcheria* ejus soror *Marciano* nupsit tantum eum in finem, ut viam ei sterneret ad Imperium, quod etiam summa Senatus, et exercitus consensione adeptus est. Marcianus protinus datis ad Leonem Papam literis petiit, ut legatos mitteret ad res turbidas componendas inter Episcopos. Hi cum Constantinopolim venissent, *Anatolius*, qui in locum Flaviani positus erat Episcopus, *synodum* celebravit, in qua epistolæ, quæ erat ab Leone missa, et allata per legatos, subscripsit, Nestorioque et Eutycheti anathema dixit, nec aliter quam hocce modo ab Leone impetraturus communionis literas, eo quod suspectum habuerit de hæresi Eutychiana: quod idem factum est ab aliis Episcopis, Presbyteris, archimandritis, qui interfuerunt eidem Synodo exceptis paucis. Episcopi, qui acti erant in exilium, sunt revocati, contra vero Eutychetis errore affecti pulsi in exilium. Oecumenicam etiam synodum voluit haberi Marcianus Imp. quam etsi jam non necessariam censuisset Leo Papa, tamen suum ei consensum denegare noluit. Indicta est hæc Nycæam in Bithynia: hinc vero translata *Chalcedonem*. Dioscorus venerat cum decem Episcopis, et synodo cum his habita, tam temerarius fuit, ut in Leonem Papam anathema conjecerit.

Chalcedone die 8. Octob. a. 451. *incepit Concilium*, duravitque usque ad diem 1. Nov. Convenerunt Episcopi 630. Legati a Leone Papa missi erant Paschasinus, et Lucentius Episcopi, Bonifacius, et Basilius Presbyteri. In prima sessione cum Dioscorus quoque consedisset cum re-

liquis Episcopis, dimotus inde est utpote qui reus sedere non deberet inter judices. In subsequentibus deinde sessionibus lectum est Symbolum Nicænum, epistolæ S. Cyrilli ad Nestorium, et Joannem Antiochenum, et epistola Leonis Papæ ad Nectarium: cui acclamatum est ab universo Concilio: *Haec Patrum, haec Apostolorum fides. Anathema, qui non ita credit.* Anathema quoque dictum est in Nestorium, et Fidei definitio facta adversus errores Nestorii, et Eutychetis. Episcopi, quorum suspecta erat fides, adacti etiam separatim sunt ad anathema dicendum Nestorio, et Eutycheti. Ex his fuit Theodoretus Cyri Episcopus, et Ibas Edessenus, quorum scripta non erant expertia labis Nestorianæ. Post eam, quæ sessio 15. erat Concilii, legatis Romani Pontificis, et magistratibus discedentibus, soli Episcopi Orientales manserant congregati, et *statutum* fecerunt, ut Sedes Episcopalis Constantinopolitanæ Ecclesiæ post Romanam proximum obtineat locum, quasi renovando et confirmando id, quod jam constitutum fuisset a centum, et quinquaginta Patribus Concilii Constantinopolitani. Num tale statutum factum in illo Concilio, et non magis Anatolii ambitione confictum sit, expensum jam est supra *Part.* I. §. 78. Huic autem molitioni in subsequentis diei sessione, quæ fuit ultima, legati Romani Pontificis contradixerunt; Leo quoque Papa hocce statutum in irritum misit, ea solummodo, quæ de Fide erant tractata, et definita, confirmavit. *pag.* 76.

§. 10. *Dioscorus* Gangram in Paphlagonia deportatus, ubi anno tertio post obstinatus in hæresi mortuus est. Eadem deportatio obtigit *Eutycheti:* quin constet, quando, et ubi sit mor-

mortuus jam septvagenarius tum, cum spargere suum errorem cœpisset. His ducibus hæreseos sublatis, et tot Episcoporum Concilio firmata fide orthodoxa, tamque patenter declarata, quis non confidisset animo, et spe, hæresim penitus prostratam esse? Illa vero ita se statim post Concilium erexit, ut se magis etiam dilataverit, et usque in hodiernum adhuc diem perstet. *Theodosius monachus* a Concilio in Palæstinam revertens, clamabat, quacunque ibat, fidem esse proditam in Concilio Chalcedonensi, epistolam etiam Leonis Papæ, quæ lecta est in Concilio, proferens, et ostentans, sed a se nequissime corruptam: tantumque profecit, ut ad hoc credendum et plebis, et monachorum magnam partem, ipsamque etiam Eudociam Imperatricem viduam, quæ Jerosolymæ habitabat, induxerit. Iidem monachi, et plebs cum ab Juvenali Episcopo seditiose petiisset, ut anathema diceret Concilio Chalcedonensi, isque fuga mortem evasisset, eumdem Theodosium sibi Episcopum ordinandum curarunt, qui deinde in omnes grassabatur verberibus, facultatum direptione, et domorum incensione. *Athanasio Diacono*, quod Theodosium monuisset, ne tantopere sæviret, ex Ecclesia protracto caput amputatum est, ejusque corpus per plateas raptatnm, et canibus objectum. Simili furore actum est in plures alios, donec is militari manu compressus fuisset, Juvenalisque repositus ad Episcopatum. Alexandriæ, dum post Concilium in locum Dioscori Episcopus consecratus fuisset *Proterius*, æque seditionem ingentem fecerat populus. Qua ægre sopita, cum idem Proterius habito Concilio Episcoporum Timotheum Aelurum monachum et Petrum Moggum Diaconum cum quibusdam aliis excommuni-

casset, qui illius seditionis præcipua erant capita, iterumque idcirco plebs seditionem fecisset, *Aelurusque* usus insigni astutia se ad Episcopatum ingessisset, a seditiosis Proterius non tantum occisus est, sed etiam ejus corpus ejusmodi furore discerptum, ut suis dentibus ipsa etiam illius viscera laniaverint. Ab eodem Aeluro Episcopi, et Clerici, qui cum eo communionem inire noluerunt, pulsi ex Aegypto Constantinopolim ad Imperatorem confugerunt *Leonem Thracem*, qui Marciano successerat. Hic cum voluisset Concilium œcumenicum haberi, Leo Papa respondit ad ejus literas, quibus hoc petebat, istud haud condecens esse, ut ad omnem hæreticorum tumultum statim fiat concilium, atque res jam decisæ, quasi adhuc dubiæ, novo subjiciantur judicio: sed rogavit Imperatorem, ut sua potestate uteretur ad grassatores istos coercendos. Imperator habito tamen adhuc consilio cum Episcopis Metropolitis, et quibusdam monachis notæ sanctitatis, Aelurum comprehensum in Chersonesum jussit deportari. In cujus locum Timotheus Solophaciolus factus est Episcopus. *pag.* 88.

§. 11. Leo Imp. Zenonem ex Isauria oriundum ad præfecturam Orientis evexerat. Hic Antiochiam, quæ Caput præfecturæ erat, *Petrum Gnapheum*, quod fullonem significat, monachum secum duxerat, secta Eutychianum. Iste Antiochiæ Trisagio adjecit verba: *Qui crucifixus pro nobis*: in quam additionem consenserant tam Eutychiani, quam etiam Apollinaristæ; siquidem hi utrique etiam in eo convenerint, quod in Christo non crederent integram, et perfectam humanam naturam, dum Apollinaristæ in Christo negarent animam humanam, Eutychiani autem di-

dicerent, humanam naturam in illo absorptam esse a divinitate, ac proinde utrique ponerent divinitatem in Christo passam esse, et quo sensu utrorumque istud: *Qui crucifixus pro nobis*, orthodoxum non erat. Martyrius Episcopus Antiochenus pertæsus turbas, Antiochia discessit: cujus Sedem Fullo idem invasit: dum autem decreto Imperatoris ejiciendus fuisset, sui ejectionem fuga prævertit.

Leoni Thraci a. 474. mortuo successit *Zeno* in Imperio, eo quod illius gener esset. Fuit homo vitæ turpissimæ; objurgatus idcirco a socru Verina, et timens ne etiam, ea jubente, occideretur, aufugit in Isauriam. *Basiliscus* Verinæ frater est deinde evectus ad Imperatoris dignitatem. Hic e vestigio, et Aeluro, et Petro Fulloni redeundi ad Sedes Episcopales, quas prius insederant, dedit facultatem, præterea edictum fecit, quo omnes jubebantur epistolæ Leonis, de qua jam dictum est, et Actis Concilii Chalcedonensis anathema dicere. Motus vero ingens populi cum consecutus fuisset Constantinopoli, et Zenonem audivisset appropinquare cum exercitu Imperii recuperandi causa, revocavit suum edictum. Zeno autem potitus est Urbe, et Basiliscum cum uxore, et prolibus ad Lymnarum, castrum in Cappadocia, inclusit, et fame enecuit. Fullonem illico ex Episcopatu Antiocheno ejecit Zeno, Aelurum sivit manere quod alioquin brevi moriturus diceretur, ut factum est. In ejus locum Eutychiani Petrum Mongum ad Episcopatum intruserant: quem vero Zeno Imp. pelli jussit. In cujus locum cum Stephanus fuisset electus, hunc Eutychiani crudeli supplicio sustulerunt. Antiochiæ, Petro Mongo pulso, cum Timotheus Solopha-

phaciolus fuisset repositus ad Episcopatum, nec multo post mortuus, et Joannes Talaja fuisset in ejus locum factus Episcopus Antiochenus, Acacii Episcopi Constantinopolitani factione perfectum est, ut hoc pulso ex Episcopatu, Petrus Mongus rursus obtineret Episcopatum Antiochenum.

Dum autem omnia turbarum plena essent, Zeno edictum fecit, quod *Henoticon* fuit appellatum, volens dissidia conponere, quæ fervebant circa Religionem. Tantum vero abest, ut sublata sint dissidia, ut aucta etiam sint. Dissidentes Catholicos, et heterodoxos volebat componere, et interse conjungere cuique parti quidpiam tribuendo, sed quod pars altera alteri nollet concedere. Quin cum Petrus Mongus Henotico subscripsisset, multi etiam ex iis, qui ei prius adhæserant, ab eo recesserunt, non ferentes Henoticon, quod per illud Chalcedonense Concilium non esset aperte damnatum, dicti postea Acephali. *Joannes Talaja* Romam ivit, et *Felici Papae* libellum obtulit pro se, et contra Acacium. Quamobrem Felix legatos misit in Orientem ad Zenonem poscens, ut synodus Chalcedonensis firmaretur: quæ tamen etiam legatio Acacii, qui Henotici svasor Zenoni erat, nequitia, effectum nullum habuit. *pag.* 94.

§. 12. Zeno mortuus est a. 491. eique *Anastasius* successit in Imperio. Jamque Acacio quoque in Episcopatu Constantinopolitano successerat *Flavitas*, huic vero post quatuor menses mortuo *Euphemius*. Uterque appetiit communionem cum Romano Pontifice: sed neuter obtinuit, quod Flavitas communionem etiam petiisset a Petro Mongo Antiocheno Episcopo hære-

re-

retico, Euphemius vero Acacium Episcopum Constantinopolitanum, de quo supra dictum est, e dyptichis delere noluerit: attamen steterat pro Chalcedonensi Concilio. Hujus successor in Episcopatu *Macedonius* æque assertor Chalcedonensis Concilii, cum cogere eum Anastasius Imp. voluisset ad condemnandum idem Concilium, respondit, se absque universali sÿnodo, cui Romanus Episcopus præsideret, facturum nihil esse: quem ideo Anastasius falsis criminibus circumventum in exilium egit, prout et alios Episcopos eamdem ob causam. Idem ad abolendam memoriam ejusdem Chalcedonensis Concilii, Acta illius concremavit: etiam Trisagion cum illo additamento, de quo fuit §pho superiore, cantari in Ecclesia jussit. Hinc orta populi seditio est, et Anastasii statuæ dejectæ, de alioque Imperatore eligendo jam etiam agi cœptum est. Retentus tamen in dignitate est, cum absque diademate supplex populo factus esset, metuens etiam vitæ suæ. Per Vitalianum, qui exercitui præerat, et quem pars populi sibi etiam Imperatorem depoposcerat, adactus, cum semel, atque iterum legationem ad Hormisdam Papam misisset, et ab hoc petiisset, ut legatos Constantinopolim mitteret concordiæ redintegrandæ causa cum Romana Ecclesia; tamen hoc nonnisi fucatum, et simulatum erat. Fulmine prostratus in suo palatio a. 518. periit.

Justinus loco humili natus, factus miles, ad ipsam Præfecturam prætorii evectus, posthabitis Anastasii propinquis summa omnium voluntate electus est Imperator. Cum ut moris erat ad Ecclesiam deduceretur, populus ardentissimo studio petiit ab Joanne, Episcopo id temporis Constantinopolitano, ut Chalcedonense Concilium,

S.

S. Leonis, ceterorumque, qui addicti eidem Concilio erant, nomina dyptichis insererentur, expungerentur vero Severi, qui hoc tempore Episcopus Antiochenus nullum diem prætermiserat, quo non anathema conjecisset in Concilium Chalcedonense, et reliquorum eidem Concilio adversantium, nec ante exire ex Ecclesia sivit, occlusis etiam foribus, quam hoc perfectum fuisset. Ad Hormisdam etiam Justinus e vestigio literas misit suum ei studium declarans erga Religionem. Itaque Pontifex legatos misit Constantinopolim, instructos, quibus, et qua ratione communionem cum Apostolica Sede deberent impertiri: qui honorificentissime sunt excepti. Composita sunt omnia, et *refloruit* integritas Religionis, et pax, postquam annis quatuor, et sexaginta Ecclesiæ Orientis etiam inter seipsas divulsæ fuissent, nisi quod adhuc Dorotheus Episcopus Thessalonicensis in ipsos Romani Pontificis legatos, in Orientem missos, malitiam, et nequitiam admiserit, quæ vero etiam ipsa compressa fuit. *pag.* 107.

§. 13. Quo tempore legati Romani Pontificis, de quibus modo dictum est, morabantur Constantinopoli, eodem venerant *monachi* plures e *Scythia.* Moesia hæc fuit inferior, sita ad Pontum. Hi cum jam domi contentionem habuissent cum Episcopis, de quibusdam quæstionibus, et præsertim illa, utrum dici possit, unum e Trinitate passum esse, et crucifixum, eamdem excitarunt etiam Constantinopoli. Monachis, istud asserentibus, contradixerat Victor Presbyter. Hunc illi accusarunt apud legatos Papæ hæreseos Nestorianæ: simulque ab his contenderunt, illa verba *Unum e Trinitate* ect. esse addenda ad Concilium Chal-

Chalcedonense. Negarunt legati, ipsosque monachos in suspicionem hæreseos Eutychianæ vocarunt. Quamobrem Maxentius illorum primus apologiam pro se confecit, legatisque obtulit. Quatuor ex ipsis, Achilles, Joannes, Leontius, et Mauritius *Romam perrexerunt*, quærentes illud obtinere, quod eis negatum Constantinopoli fuit. Respondere ipsis distulit Pontifex, usque ad reditum legatorum ex Oriente. Quam illi moram ferre noluerunt, et Roma se subduxerunt, illa addita insolentia, ut suam assertionem de uno e Trinitate passo et crucifixo ad Urbis statuas appenderint, et questibus, antequam discederent, Urbem impleverint, ut ad sui commiserationem inducerent populum, unde seditio etiam potuisset oriri. Monachi autem Constantinopoli, dicti Acœmetæ, dum disputant adversus Scythæ monachos, in eum errorem impegerunt, ut in locum unius, quem passum e Trinitate Scythæ monachi dixerunt, in Christo duos ponerent, quorum alter passus, alter passus non sit. Qui cum idcirco redarguerentur ab Epiphanio Episcopo Constantinopolitano, qui Joanni successerat, Romam recurrerunt. Quia vero nec Romano Pontifici cedere voluerunt, Joannes II. is erat, sed suæ sententiæ pertinaciter inhæserunt, Pontifex ab omni Ecclesia Catholica pronunciavit, factos esse extorres. Scytharum vero monachorum illud peccatum fuit, quod illud, Unum e Trinitate passum, et crucifixum esse, contenderint, ad fidei definitionem factam a Chalcedonensi Concilio necessario addendum esse, neque nisi isto addito futuram perfectam definitionem. *pag.* 123.

§. 14. In Persiam jam per Simonem Apo-

sto-

stolum lumen Evangelii esse illatum, docet Clemens Alexand. Ut autem insectationes ubique fere locorum passa est Religio, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, Act. 14. v. 21. ita factum est etiam in *Persia*. Omnium gravissima erat persecutio, quam *Sapor* Persarum rex excitavit a. 342. Sedecim millia Martyrum, quorum saltem nomina colligi potuerint, memorantur a Sozomeno. Alteram rursus circa a. 420. nimis etiam sævam instituit Isdegerdes, vel Vararanes ejus filius. *Abdas* Episcopus fervore quidem Religionis, sed cui defuerit moderatrix omnium virtutum prudentia, ansam dederat, templum incendendo igni, quem pro Deo colebant Persæ, sacrum. *Acacius* Amidanus Episcopus ex ditione Romanorum stitit eamdem persecutionem. Multi Christianorum, ut se eriperent cruciatibus, transfugerant ad ditiones Romani Imperii. Quos cum Rex Persarum repetiisset, denegati vero ei fuissent, Romanis bellum intulit. Millia septem Persarum a Romanis capta, et fame jam fere ad mortem adacta, Acacius emit, cibo refecit, et viatico instructos domum remisit. Hoc admiratus Persarum Rex, pacem cum Romanis composuit, a persequendis Christianis destitit, ipsumque Acacium, magno ejus videndi desiderio ductus, a Theodosio Imp. sibi mitti petiit.

Hunni e sua regione, ultra Maeoticam paludem sita, egressi, vel sponte sua, vel pulsi a Tartaris, cum alias regiones, tum etiam Pannoniam a. 374. invaserunt, et gentes, quæ eas regiones prius incoluerant, suis finibus expulerunt. Quæ dum et ipsæ novas sibi sedes quæsivissent, motus quidam quasi generalis exstitit nationum

omni-

omnium. Ex his Gothi, et Vandali erant religione Ariani, ceteri omnes ethnici. Hinc pronum est intelligere, quam hæc adversa tempora fuerint ubique locorum Christianis. Sed nulli magis feri, et immaniores Vandalis. *Gensericus* eorum Rex in Africa, quam occupaverat, eo animo fuit, ut sublatam funditus voluerit habere Catholicam Religionem. Ecclesiæ Catholicorum ubique ab Arianis occupatæ, Episcopi ejecti, qui ad Arianismum nollent transire, tormentis excruciati, et interfecti. Genserico cum *Hunnericus* filius successisset, initio se placabiliorem Catholicis ostenderat, et ad petitionem Zenonis Imp. iisdem concessit, ut Carthagine iterum possent habere suum Episcopum. Is deinde Eugenius fuit. Sed instigatus ab Arianis Episcopis rediit cito ad sævitiam, quam pater exercuerat. Eos, qui veste Vandalica induti Ecclesiam ingrediebantur, erant videlicet hi Catholici, palis dentatis in caput injectis, earumque ope crinibus comprehensis, et contortis jussit retrahi. Episcopos, Presbyteros, aliosque clericos in desertum locum curavit abducendos, et afflictos vehementer in itinere, quibus nihil præter hordeum, quo viverent, datum sit, sed et hoc ipsum etiam brevi denegatum. *Disputationem* deinde Carthagine Hunnericus instituit Arianorum Episcoporum cum Episcopis Catholicis, qua istos, si fracti, et devicti essent, ut futurum credebat, ad Arianismum compelleret. Ante diem, disputationi præstitutam, Deus miraculo declaravit, qua in parte veritas esset Religionis. *Felix* quidam cæcus, in civitate omnibus notissimus, divinitus monitus ter, ut ad Eugenium Episcopum iret, ejusque preces sibi expeteret, quibus lumen oculorum recepturus sit, cum hoc fecisset, nec desti-

sti-

stitisset Eugenium orare, donec ei oculorum lumen precatus a Deo fuisset, voti compos factus est.

Ubi dies venerat disputationi constituta, ante omnia alia Lætum, unum e Catholicis Episcopis Hunnericus *jussit cremari*, ut sic terrore ceteris incusso, ad non audendum resistere, victoria Arianis compararetur. Hi vero nequidem congredi, et conferre cum Catholicis ausi sunt, illorum eruditionem reformidantes, sed solummodo in eos conviciis insurrexerunt, ac deinde in eosdem Catholicos causam contulerunt, cur disputari non potuerit. Fit *edictum a Rege*, quo Catholicis interdictum est omne exercitium Religionis, ipsa etiam baptizatio. Tortoresque missi per omnes Africæ provincias, qui omnes ubique locorum Catholicos fustibus, igne, aliisque cruciatibus adigerent ad Arianismum. Incolæ civitatis Typsanensis in Mauritania cum adversus edictum convenissent, prout antea, ad Mysteria divina celebranda, his jubente Rege dextra amputata, et *lingvae* radicitus *excisae* sunt: qui tamen etiam postea sic, quemadmodum antea etiam absque lingvis loquebantur. Hoc miraculum, et illud quod patratum per Eugenium Episcopum erat in Felice cæco cum percrebuisset tota Africa, Arianique pudore suffunderentur, *Cyrilla* patriarcha Arianorum, ut suo miraculo illa refutaret miracula, conduxerat hominem aureis quinquaginta, ut se cæcum simularet, et Cyrillæ opem imploraret. Qui cum deinde huic manus imposuisset, ille ingenti oculorum dolore subito percussus, ipsum visum etiam amisit: per Eugenium autem Episcopum eumdem recuperavit. Hunnerico mortuo *Gundabun-*

dus

dus nepos ex fratre in regno successit, qui pacem illico reddidit Catholicis, et Episcopos ab exilio revocavit: sed jam post biennium, hoc mortuo, Trasamundus cum successisset in regno, persecutionem suscitavit. Prohibuit, ne Episcopis mortuis alii sufficerentur: cumque hoc observatum non fuisset, utpote damnosum Religioni, Episcopos omnes in Sardiniam relegavit. Ceteros partim promissis, partim minis attrahere conabatur ad Arianismum: iisdem quæstiones etiam solebat proponere, ut si respondere nescivissent, superatos induceret ad eumdem Arianismum. *Fulgentium* præsertim Ruspensem Episcopum, audita fama eruditionis ipsius, ex Sardinia Carthaginem accitum, ista ratione sæpius pertentaverat: sed qui triumphum semper reportans gloriam Catholicorum auxit, Arianos pudore affecit.

Trasamundus morti proximus *Hildericum* filium Hunnerici, qui ei successurus erat in regno, jure jurando obstrinxerat, ne Catholicis Ecclesias, et jura sua redderet: qui vero antequam Rex inauguratus fuisset, et hæc omnia Catholicis concessit, et Episcopos ab exilio revocavit. Hildericum *Gilimer* ejus consobrinus e regno dejecerat; istudque occupaverat. Justinianus Imperator, cui Hildericus fœdere erat conjunctus, bellum intulit Gilimeri, eoque devicto totam Africam sub Romanorum imperium revocavit. Ita Religio quoque Catholica in Africa ad pristinam rediit libertatem. *pag.* 131.

§. 15. Ille motus, quasi universalis gentium, de quo dictum est superiore §pho, tristis colentibus orthodoxam Religionem, tamen non caruit

etiam *emolumento* ejusdem Religionis. Namque istæ feræ, et barbaræ nationes, Christianis immixtæ, Christianam didicerunt Religionem. *Franci*, qui Galliam occupaverant, ceteris præiverunt. *Chlodovaeus* eorum Rex Chlotildem Chilperici Burgundiorum Regis filiam Christianam duxerat uxorem. Hæc nullam occasionem omiserat svadendi marito, ut Christianus fieret. Jam eousque flexerat, ut filios, duos ex Chlotilde susceptos, permiserit baptizari. In bello deinde cum Alemannis, rebus desperatis, ad Christum se vertens vovit, in illum se crediturum, si victoriam de hostibus retulisset. Illico hostes, qui superiores erant, primum cedere inceperunt, deinde etiam terga verterunt. Cum deinde populo suum propositum declarasset, etiam hunc pronum in sua vota habuit. Anno 496. die natali Christi baptizatus est. *Sigismundum* Regem Burgundiorum *Avitus* Episcopus Viennensis in Gallia ex Arianismo una cum populo eduxit. Jamque ejus etiam patrem *Gundebaldum* eousque perduxerat, ut agnoverit veritatem Catholicæ Religionis: sed dum procrastinaret professionem facere Religionis, priusquam reconciliaretur, mortuus est.

In *Britanniam majorem* jam primis Ecclesiæ seculis venit Christiana Religio: siquidem Tertullianus dicat, Britannorum Romanis inaccessa loca fuisse Christo subdita. Circa medium seculi quinti Britanni a Saxonibus, et Anglis Germaniæ populis, regionem ad Albim incolentibus, extrusi erant ad extremam insulæ, qua ad Austrum spectat, oram. Istos autem adhuc ethnicos *Augustinus*, a S. Gregorio M. missus, ad Christianam Religionem perduxit: primum-

mumque *Edilbertus* Rex Cantiorum cum decem millibus Anglorum baptizatus est, ac postea ad alia etiam regna Angliæ, in quæ septem erat divisa, Religio propagata est. Ex *Anglia* autem eadem *Religio* processit in Frisiam primum, ac deinde in alias regiones Germaniæ per Vinfridum monachum Anglum, alio nomine *Bonifacium*, eoque successu plantavit Religionem Christianam in Germania, ut illius Apostolus meruerit appellari, quamvis alii etiam fuerint viri Apostolici plures, qui in convertendis ad Christum Germaniæ populis laboraverint. *Gothi*, qui in Hispania sibi sedem comparaverant a. 587. ab Ariana hæresi per Leandrum Episcopum Hispalensem ad Catholicam Religionem perducti sunt. *Croatae*, ab Avaribus expulsi suis finibus, cum in Illyrico consedissent, circa a. 630. Religionem Christianam amplexi sunt. Etiam in Oriente his temporibus incrementa cepit Religio. In Armenia hoc factum per eos est, qui *Tzani* appellabantur. *Gethes* quoque Herulorum Rex, qui regionem ad fluvium Vistulam incoluerunt, cum toto suo populo Religionem suscepit Christianam. Idem factum esse perhibetur sub Justiniano Imp. ab *Horda* illorum Hunnorum Rege, qui sedes habebant ad Bosphorum, idem circa a. 312. ab *Alamundaro* Saracenorum Phylarcho. Sed haud firmæ omnes hæ nationes fuerunt, et constantes in Religione. *pag.* 145.

§. 16. Post Anastasium Papam vita functum a. 498. *Symmachus* electus in ejus locum est a majore parte Cleri, voluntate atque studio majore ipsius etiam populi. Festus vero Patricius cupiens habere Papam, qui approbet Henoti-

ti-

ticon Zenonis, quod se promiserat effecturum Anastasio Imp. ad quem legatione erat functus, factionem comparaverat, quæ elegit *Laurentium*. Cum deventum esset plane ad cædes, Theodoricus Rex Gothorum, ipsiusque Italiæ idcirco Episcopos Romam ad Synodum convenire jussit. Causa adjudicata est Symmacho non tantum ab Episcopis, verum etiam ab ipso Rege. Alia deinde via idem Festus cum factione sua adgressus est Symmachum, ut ex Pontificatu etiam eum exturbaret, denuo multis perpetratis cædibus Sacerdotum, et Clericorum. De crimine adulterii eum detulerunt ad Theodoricum. Itaque ille rursus Romam jubet convenire Episcopos ad inquirendum, verumne esset, de quo *delatus* esset *Symmachus*. Declararunt Episcopi, sibi fas non esse convenire, nisi convocati essent ab ipso Symmacho. Significavit ipsis Rex, se convocationem ad ipsius Symmachi petitionem fecisse. Nec tamen Episcopi, postquam convenissent, atque auctoritatem Ordinis corrigendi ipse etiam Symmachus illis dedisset, in causa Romani Pontificis voluerunt judicium exercere, sed hanc soli Deo relinquendam esse censuerunt. Exierat fama, Episcopos Italiæ convenisse ad judicium instituendum de Symmacho Papa. Quæ res non mediocriter turbavit omnes ubique Episcopos, et ab his undique venerant Romam epistolæ, quibus Episcopi Italiæ inhibebantur judicium exercere de Symmacho. Harum una adhuc superest S. Aviti Viennensis Episcopi in Gallia. *Sicut subditos nos esse*, sunt illius verba, *terrenis Potestatibus jubet arbiter caeli, ita non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferiore eminentior judicetur. - - - In ceteris Sacerdotibus potest, si quid forte nutaverit reformari:*

at

at si Papa vobis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare. Apostolici muneris Sacramentum ita Dominum, ad omnium Apostolorum officium pertinere voluisse, docet S. Leo M. ut istud in Petro principaliter collocaverit, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne, diffunderet. Si in Episcopis, etiam omnibus simul sumptis, auctoritas est judicium exercendi de Romano Pontifice; isti erunt supra Romanum Pontificem, non hic supra illos. Ubi igitur erit illius Primatus, isque jurisdictionis, ac plena potestas regendi universalem Ecclesiam? Ab illo autem velut a capite dona sua Christus in corpus omne diffundit. Itaque, si caput non maneat caput, in quo principaliter Christus dona sua collocavit, quomodo ista in corpus omne fluent, et diffundentur? Ad præcavendum, ne personæ Ecclesiasticæ falsis criminibus infamari possent, quod sæpius factum est a perversissimis hominibus, inductum est in pluribus locis, ut Episcopi semper circa se haberent aliquot Presbyteros, vel Diaconos. Hi in Occidente vocabantur *Concellanei*, in Oriente Syncelli. *pag.* 156.

§. 17. *Justinus* Imp. omni cogitatione, et cura intentus ad Religionem, hæreticis omnibus adimi jusserat Ecclesias, omneque illis interdixerat exercitium suæ religionis. Id, cum erga Arianos etiam factum fuisset, Theodoricum affecerat pessime, utpote Arianum. Quamobrem *Hormisdae*, qui Symmacho in Pontificatu successerat, legationem injunxit ad Justinum Imp. qua efficeret, ut ab hoc Ecclesiæ restituantur Arianis, et qui transiissent ad Religionem Catholicam, ad Arianismum remitterentur, qui secus

omnes Catholicos in Italia daturus sit ad gladium. Hormisdas respondit, ut quod facturus esset, faceret citius. Se vero ab Justino hoc non petiturum. Nihilominus impositus navi devectus est Constantinopolim, quem Justinus excepit summo honore, et gaudio. Declaraverat Hormisdas, se illud non petiturum ab Justino, cujus causa missus erat a Theodorico. Attamen cognita malignitate Theodorici, Justinus abstinuit ab Ecclesiis ulterius Arianis subtrahendis. Hormisdam, postquam rediit cum Patriciis, qui illius erant viæ comites, Theodoricus interfecisset, nisi Justinum Imp. timuisset. Itaque solummodo in carcerem eos conjecit, ubi habiti adeo duriter sunt, ut Hormisdas brevi defecerit, mortuusque sit. Theodoricus autem edictum fecit de Catholicorum Ecclesiis, ut has Ariani pro se occuparent. Eadem die, quam præstituerat huic rei, ex fluxu ventris decessit. Hormisdæ in Pontificatu successit *Felix IV.* sub quo Arausicanum II. concilium, et alterum Valentinum habitum est adversus Semipelagianos, de quibus jam supra §. 5. dictum est. *pag.* 17.

§. 18. Severus Episcopus Antiochenus Eutychianus ex Episcopatu pulsus latitabat Alexandriæ, itemque Julianus æque ob hæresim Eutychianam e suo Episcopatu ejectus. Ab his quidam monachus quæsiverat, corpus Christi essetne corruptibile dicendum, vel non. Cum eorum unus in unam, alter in alteram partem responsum dedisset, inter Eutychianos exortæ sunt duæ novæ sectæ *Corrupticolarum*, et *Phantasiastarum*. Mortuo Timotheo Aeluro a factione una Theodosius erat electus Alexandrinus Episcopus, ab altera Gajanus. Theodosius prævalente altera factione,

se

se se Constantinopolim receperat. Ibi eidem quæstio erat proposita, utrum Christus, ut homo, sciverit diem judicii. Istud cum Theodosius affirmasset, alii autem negassent, rursus enatæ sunt sectæ aliæ duæ *Theodosianorum*, et *Agnoitarum*. Theodosiani deinde dicti sunt etiam *Jacobitæ* ab Jacobo istius sectæ propagatore in Syria, et Armenia. Præter has ex Eutychianismo pullularunt adhuc sectæ, *Tritheitarum* auctore Joanne Philopono, tres in Deo naturas ponentium, quia etiam tres Personæ divinæ sint; *Dioscorianorum*, *Severianorum*, *Gajanitarum*, *Themistiorum*, *Barsacianorum*, trahentium nomen a suis auctoribus. Justino mortuo Justinianus nepos ex sorore successit in Imperio. Is Severianos, quæ sectarum, quæ modo dictæ sunt, erat potentior, Constantinopolim venire jussit, et conferre cum Episcopis Catholicis: qui interrogati, cur negarent in Christo duas naturas, responderunt, quia istud sit adversus doctrinam Patrum, nominatim Dionysii Areopagitæ, Cyrilli Alexandrini, et eorum, qui affuerint in synodo Ephesina I. Responsum ipsis est, Dionysii opera fuisse veteribus incognita, Cyrilli opera, unde testimonia peterent, esse interpolata: apud alios Ephesini Concilii Patres, quos allegaverant, nihil eorum, quod dixerant, erat repertum. Philoxenus unus Episcopus e Severianis, pluresque e clericis, et monachis errorem deposuerunt.

§. 19. *Justinianus* Imp. quemadmodum jam supra §. 14. demonstratum est, Africam, devictis Vandalis, recuperavit. Hoc successu animatus cogitationem convertit *ad Gothos* quoque Italiæ possessione *pellendos*. Cum jam Dalmatia, et Sicilia capta ab exercitu Justiniani

esset, Theodatus Rex Gothorum datis ad Romanum Pontificem, *Agapetus* is erat, et Senatum literis minatus est, se omnes illos interfecturum cum Senatorum etiam uxoribus, et liberis, si Justinianus non desisteret a bello. Hac de causa Agapetus profectus est Constantinopolim ad Imperatorem: sed is occasionem recuperandæ Italiæ omittere noluit. Jam Neapoli etiam expugnata Theodatum Gothi interfecerunt, et Vitigem unum ex ejus bellиducibus, Regem fecerunt. Qui cum etiam superatus fuisset, et Constantinopolim abductus, libertatem etiam Italia assecuta est, et rediit sub Romanum Imperium. Dum Agapetus Constantinopoli esset, *Anthimum* Trapezunte ad Episcopatum Constantinopolitanum translatum, favore Theodoræ Augustæ, eo quod contra Canones hoc factum esset, et quod idem Anthimus secta Severianus esset, ex Episcopatu ejecit, et Mennam suis ipse manibus Episcopum consecravit. Hinc *Baronius* in Annalibus argumentum instituit ad demonstrandum Romani Pontificis Primatum. Istud *Basnagius* conatus est refellere exemplis aliorum etiam quorumdam Episcoporum, quæ vero non sunt paria. Nam quod inter hæc affert a Theophilo Alexandrino esse Joannem Chrysostomum et consecratum, et depositum, probat potius contrarium, utpote cujus depositionem a Theophilo factam Innocentius I. in irritum miserit, ipsumque etiam Theophilum idcirco ad dicendam causam in judicium vocaverit. Anatolium Dioscorus Episcopus Alexandrinus posuerat ad Episcopatum Constantinopolitanum; sed cujus Episcopatus eo usque firmus non fuit, donec Leo M. indulgentia erga eum usus, Formatas literas ei misisset. Omitto hic cetera memorare exempla, adducta a Basnagio,

gio, quæ sunt jam producta in Institutionibus. Agapetus Constantinopoli supremum diem obiit.

Agapeto *Silverius* successit in Pontificatu. *Theodora Augusta* ab hoc petierat, ut Anthimum reponeret ad Episcopatum Constantinopolitanum. Quod cum is se facturum negasset, Theodora mandante a Belisario belliduce Pataram, Lyciæ civitatem, missus in exilium est, et Vigilius electus, qui cum Agapeto munere functus Diaconi Constantinopoli erat, et auro ab ea accepto promisit, si Pontifex fieret, se Anthimi, Severi, et Theodosii, de quibus jam supra fuit, fidem approbaturum, quo ipso auro etiam usus est ad comparandum sibi Pontificatum. Has etiam dederat literas scribens, se eam, quam illi, fidem et tenuisse et tenere. Hoc autem fecit vivente adhuc Silverio, ac proinde nullus adhuc tum Pontifex. Ejusdem Vigilii non bonis artibus Silverius Patara deportatus est in insulam Palmariam, ubi fame enectus est. *Quaestio est*, quomodo tamen Vigilius legitimus Pontifex fuerit. Electio illa ipsius vivente Silverio erat nulla. Clerus autem mortuo Silverio perstitit in ea erga Vigilium sua voluntate, qua jam illum prius elegerat. Ita deinde assecutus Pontificatum est, quem etsi malis artibus quæsitum magna animi fortitudine gessit. *pag.* 169.

§. 20. *Origenistarum* factio ad hoc tempus, quo Justinianus Imperio præfuit, ita increverat, præsertim inter monachos, etiam in audacia, ut eorum trecenti cum fustibus, et ligonibus adversum eos venerint, qui ab ipsis dissentirent, et ex monasterio expulerint. Hi cum recurissent ad Justinianum Imp. is scriptum confecit

cit

cit adhibito Menna Episcopo Constantinop. et Pelagio Rom. Pontificis Aprocrisiario, quo novem errores Origenis anathemate feriuntur, speciatimque isti, Animas hominum præexstitisse, sed in deterius conversas, supplicii causa esse missas in corpora; animam Christi quoque præexstitisse, et unitam fuisse Verbo, antequam Verbum caro factum esset; Christum in futuro seculo crucifixum iri pro dæmonibus, nec horum, et impiorum hominum futurum perpetuum supplicium. Subscriptionis causa scriptum hoc missum est cum ad alios Episcopos, tum etiam ad Vigilium Papam. Origenistæ cum se huic decreto opponere ausi non fuissent, ejusmodi *fraudem machinati* sunt. Theodorus antea monachus deinde Episcopus Cæsareensis in Cappadocia Justiniano, cui erat percharus, consilium dedit, ut si vellet Acephalos (supra §. 11.) ad unitatem Ecclesiæ revocare, in quo laborabat, curaret condemnanda scripta Theodori Mopsuesteni, et Theodoreti adversus Cyrillum anathematismos, nec non epistolam Ibæ ad Marim: nam ideo Acephalos abhorrere a Concilio Chalcedonensi, quod ista, Nestorii erroribus infecta, tamen intacta ab hoc Concilio relicta essent.

Itaque Justinianus librum composuit adversus *Tria Capitula*, sic enim vocari solent illa tria scripta modo memorata, et per Episcopos subscribendum curavit. Sed adversabantur Episcopi Illyres, Itali, Galli, Hispani, et omnium maxime Afri, quorum plures etiam idcirco ab Imperatore mulctati exilio sunt. His, qui adversabantur, videbatur per damnationem Trium Capitulorum læsum esse Concilium Chalcedonense. Ad turbas componendas, quæ non medio-

cres

cres excitatæ erant, Justinianus *Vigilium* Papam ad se *Constantinopolim* elicuit, eum in finem, ut ab hoc etiam obtineret subscriptionem in damnationem Trium Capitulorum. Nolebat vero hoc facere. Cum tamen Imperator ursisset, fecit hanc subscriptionem in Concilio septvaginta Episcoporum, hoc tamen addito expresse: *Salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis.* Hoc Vigilii *Judicatum* fuit appellatum: quo habito Justinianus Episcopus ubique locorum compellebat ad faciendam damnationem Trium Capitulorum. Ignis vero hinc vehementior accensus, ita ut Episcopi Africani, Illyriciani, et Dalmatæ ab ipsius Vigilii communione recesserint, et schisma fecerint. Justinianus ad ipsius etiam Vigilii petitionem convocavit generale Episcoporum concilium. Vigilius autem suum *Judicatum* recepit, et denunciavit, eum, qui usque ad tractatum universalis Concilii aliquid fecisset de illis Capitulis, futurum alienum a communione Sedis Apostolicæ.

Synodus indicta Constantinopolim est ad diem 5. Maji 553. Convenerunt Episcopi 165, plerique ex Oriente, pauci ex Occidente. Instabat Vigilio Imperator, ut refragantibus quantumvis Afris, et Illyricianis cum Orientis Episcopis damnaret Capitula. Quod cum Vigilius non fecisset, Justinianus tamen eorum damnationem in Ecclesia, et in publicis Urbis locis affigi jussit. Vigilius vero ad se convocavit Episcopos, et declaravit, Quicunque edictis consensum præbere voluerit, sciret se ab Apostolicæ Sedis communione suspensum. *Justinianus* mandatum dat de Vigilio comprehendendo. Is fugit in Ecclesiam. Ex hac per prætorem, cujus officium erat

fu-

fures, et homicidas comprehendere, magna cum violentia abstrahebatur ex Ecclesia: sed dimissus cum populus concurrisset in ejus defensionem. Cum securitate sibi promissa tamen vidisset circa domum, in qua degebat, appositas excubias, iterumque Chalcedonem ad Ecclesiam S. Euphemiæ confugisset, non prius redivit, quam Imperator suum edictum de damnatione Capitulorum sustulisset.

Invitatus deinde, et rogatus, ut Concilio præsideret, renuit ire propter paucitatem Episcoporum ex Occidente; cumque etiam altera vice id petitum ab eo fuisset, dixit, se intra dies viginti suam editurum sententiam. Quam deinde etiam edidit sub nomine *Constituti.* In hoc errores Theodori Mopsuesteni damnavit, personam adhuc ipsius relinquens, sed quam postea etiam damnaverat: in Theodoreti quoque scriptis, et Ibæ epistola ea, quæ essent erroribus Nestorii, et Eutychetis affecta, anathemate percussit, cavens, ne horum personæ censura aliqua tangerentur, quos, ejuratis erroribus, Concilium Chalcedonense in communione sua retinuisset. Interdixit autem Vigilius, ne quis post hanc suam definitionem ullam moveret quæstionem. Attamen Episcopi istius Concilii in Sessione octava, eademque ultima post hoc Constitutum Vigilii non tantum scripta, sed etiam ipsum Mopsuestenum, nec non ea, quæ Theodoretus impie conscripsit, et epistolam Ibæ anathemate percusserunt. Hinc *Natalis Alexander* argumentum sibi petierat pro eminentia Concilii œcumenici supra Papam. Ipsi vero Patres hujus synodi testabantur in suo hocce statuto, quo istud anathema

evi-

evibrarunt, se omnia juxta tenorem apicum lectorum, et ab Apostolica Sede acceptorum, peregisse. *Basnagius* autem Vigilium levitatis arguit, quod hæc Capitula, quæ prius damnare noluerit, postea tamen damnaverit. Merito erant damnanda, quia erant omnino impia, ad offensionem tamen multorum vitandam, et ne quod dissidium accideret, judicaverat abstinendum hac condemnatione: siquidem id sine ullo dispendio posset fieri, quandoquidem errores illis Capitulis contenti, jam sufficienter alioquin damnati essent. Idem declaratione facta, in quantum illa Capitula damnarentur, ut id nulli damno esset Chalcedonensi Concilio, caverat, ne quod schisma accideret. Accidit tamen, non Vigilii, sed illorum qui suæ opinioni præfracte inhærendo istud fecerant. *Africani* falsitatem istius suæ opinionis citius adverterunt, et Illyriciani, tardius Episcopi Veneti, et Istriæ. Ab hac synodo ipse etiam *Origenes* una cum suis erroribus damnatus est. Id manifestum fit ex anathematismo undecimo octavæ sessioni subjecto; cujus damnationis mentio fit etiam in synodo œcumenica sexta, et septima. *pag.* 178.

§. 21. *Vigilius* rediens Constantinopoli mortuus Syracusis est. Ei successit Pelagius I. illius antea apocrisiarius Constantinopoli. Consecratus autem est nonnisi post menses tres; quod eousque illius consecratio dilata sit, donec consensus Imperatoris Constantinopoli allatus fuisset in illius electionem. Reges Gothorum istud exercuerant. Orientis vero Imperatores recuperata Italia idem continuarunt. Est autem consecratus a duobus Episcopis, et uno Presbytero. Infamatus erat *Pelagius* quasi Vigilio, cujus

erat

erat Diaconus, mortem accelerasset. Subtraxerant se idcirco ab eo alii Episcopi: quos postea sibi reconciliavit jurejurando contestans se istius criminis expertem. *Basnagius* autem ex hoc facto conclusionem fecit, a Presbytero etiam Episcopum posse consecrari, immemor, Ischyram, quem ordinaverat Presbyterum Colluthus Presbyter, non fuisse agnitum Presbyterum. In consecratione Episcopi per tres Episcopos, unus tamen eorum est consecrator: duo alii tantum assistunt, et manus imponunt, quemadmodum manus cum Episcopo, ordinante Presbyteros, impónunt omnes etiam præsentes Presbyteri. *Justinianus* Imp. qui se solebat immittere ad negotia Religionis, ulterius, quam ad eum spectaverit, et ad ipsas decisiones quæstionum Fidei, demum eo decidit, ut statutum fecerit, Christi corpus jam ante ejus resurrectionem a morte fuisse ejusmodi, quod nec esuriem, nec sitim vel aliam similem molestiam, et dolorem sentire potuerit. Istudque dare iterum omnibus credendum volebat. *Aphtartodocitarum* iste error est vocatus.

Gothorum regnum in Italia *Totilas* instaurare voluerat, jamque Romam etiam ceperat: per Narsetem autem belliducem etiam iste devictus ab Justiniano Imp. est. Narsetem deinde exauctoravit Imperator Justinus II. qui Justiniano successerat propter exactiones, quibus nimiis presserat Italiam. Ille ab Imperatrice etiam læsus dicto indecoro, *Longobardos* ex Pannonia in Italiam evocavit, qui eam sibi subjecerunt. Hi prius ethnici, atque ideo etiam Christianis infesti, a. 591. Religionem Christianam susceperunt. Pelagio I. in Pontificatu successit Joannes III. Huic Benedictus I. isti Pelagius II.

quem

quem in Pontificatu secutus est Gregorius cognomento Magnus Pelagii antea Apocrisiarius Constantinopoli, qui Eutychium Episcopum Constantinopolitanum asserentem carnem, in qua a morte surrecturi sumus, non futuram veram carnem, errroris convicerat. *pag.* 193.

§. 22. *Joannes* cognomento *Jejunator* Episcopus Constantinopolitanus in Synodo Constantinopolitana a. 588. assumpserat titulum Patriarchæ œcumenici. Hoc ita improbavit Pelagius II. Papa, ut Apocrisiarium suum prohibuerit cum Joanne Missarum solennia celebrare. Gregorius M. istud etiam nomen blasphemiæ esse dixit, cujus nominis arrogantia, omnes Sacerdotes honore Sacerdotii exspolientur. Nempe Gregorius credebat, Joannem in tali sensu sibi titulum Episcopi œcumenici sumpsisse. Si vero per Episcopum œcumenicum intelligatur is Episcopus, qui in universum orbem tenet Primatum, qui totius Ecclesiæ caput est, qui sibi pascendi, et regendi universalem Ecclesiam habet a Christo traditam plenam potestatem; nullum dubium esse potest, quin isti nomen congruat œcumenici Episcopi, atque is etiam vere sit. Itaque hoc datum est Leoni M. ab ipsis etiam ejus legatis in Chalcedonensi Synodo, et a pluribus aliis: quo tamen ipsos Pontifices non esse usos Joanni eidem testabatur S. Gregorius. Sed nec in hac significatione poterat competere eidem Joanni Episcopo Constantinopolitano, in quo sit arrogantia Primatus supra universalem Ecclesiam, et quem dum ille sibi arrogaverat, insurrexit adversus Primatum, quem Christus in cathedra S. Petri constituit, nec illum in hac perstare voluit.

Quod

Quod quale sit, satis sua sponte quisque potest videre, et intelligere.

Anno 590. dum Romæ sæviret pestilentia, idem S. Gregorius *Litaniam*, id est supplicationem per triduum instituit, ordinatam admodum concinne. In Gallia quidam Episcopi *Judaeos* vi adigebant ad *Baptismum.* Hoc Gregorius prohibuit. Episcopus Tarracinensis Judæos ex loco, ubi habebant synagogam, abactos primus in alio loco permiserat aliam sibi synagogam struere, postea autem eos etiam hinc expulerat. Cui scribens S. Gregorius, *Si ita est*, ait, *volumus, ut conquerendi causam tollas: quippe infideles mansvetudine, benignitate, hortatu ad Christianam Religionem attrahendi sunt, non autem minis, et terrore arcendi.* Quidam *Petrus* ex Judæo Christianus *neophytus* ad synagogam Judæorum contra Episcopi prohibitionem vi adhibita intulit, et statuit in ea effigiem Christi e cruce pendentis, et Deiparæ. Laudavit Gregorius Episcopum, quia rem prohibuerit. Imagines vero cum ea, qua dignum est veneratione jussit e synagoga auferri. In Sicilia in prædiis Romanæ Ecclesiæ Gregorius Judæos attrahere studuit tributa vel relaxando, vel minuendo. *Serenus* Massiliensis Episcopus, sacras *Imagines* confregerat, et ejecerat ex Ecclesia, quod plebs erga has limites venerationis egressa esset. Gregorius laudavit Episcopi zelum, ne quid manufactum adorari posset, sed culpaverat, quod eas confregerit. Idcirco enim picturas in Ecclesiis adhiberi, ut hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Itaque Episcopum jussit Imagines ad Ecclesiam referre, una vero etiam edo-

ce-

cere populum melius. In Sardinia *Presbyteri* infantes a se baptizatos etiam sacro *Chrismate* in fronte ungebant. Hoc Gregorius primum prohibuerat, deinde vero concessit, ubi Episcopi deessent, cum vidisset Presbyteros idcirco contristatos.

In Sicilia *Subdiaconi* habebant uxores. Gregorius iis tantum permisit habere uxores, qui has duxissent nulla sponsione facta continentiæ. Attamen ad Diaconatum non permisit eos promoveri; nec ordinari posthac Subdiaconum, nisi spopondisset continentiam. *Centuriatores Magdeburgenses* habent narratiunculam de Gregorio, illum Sacerdotibus cum interdixisset matrimonia, deinde eadem concessisse, postquam ex ejus piscina sex millia capitum infantium suffocatorum per piscatores extracta fuissent, et intellexisset eorum infantium hæc esse capita, qui nati essent ex Sacerdotum illegitimo concubitu. In hujus rei testimonium Magdeburgenses afferunt epistolam a S. Uldarico scriptam, et missam ad Nicolaum I. Papam, cælibatum Clericorum urgentem. Auctor vero libri de rebus ab Uldarico actis docet Nicolaum I. viginti annis prius vita functum esse, quam Uldaricus natus sit. Ut cetera omittam adversus istam narratiunculam, undenam patuit capita hæc esse infantium suffocatorum? et cur sola capita erant injecta in piscinam, non ipsa etiam corpora? *Mauritius* Imp. legem tulerat de militibus, et iis, qui publicis administrationibus essent implicati, ad monasticum statum non recipiendis. Legem hanc Mauritius ad literas Gregorii sic temperavit, ut rationibus obnoxii, si se his nondum expedivissent, prohiberentur admitti ad monasticum statum,

tum, milites vero ne admitterentur, antequam per triennium probata fuisset eorum conversio, sincerane esset. *pag.* 199.

§. 23. Adversus *Mauritium* exercitus rebellaverat, cui se exosum fecerat propter tenacitatem, et stipendiorum tenuitatem, maxime autem per suam inclementiam, qua duodecim millia militum suorum, in bello ab hoste captorum, sivit potius perire, quam ut eos vili pretio, quod petebatur, redemisset. *Phocas* in ejus locum factus Imperator, a summa crudelitate orsus Imperium est, quam exercuit in Mauritium ejusque liberos. Laureatæ imagines Phocæ, et Leontiæ ejus conjugis Romam allatæ, eo momodo exceptæ sunt, quo antea Imperatorum aliorum imagines. Quibus cum acclamatum esset: Phocæ, et Leontiæ vita, eas Gregorius Papa jussit reponi in oratorio S. Cæsarii Martyris intra palatium. Hoc Gregorii factum Basnagius valde detestatur. *Hem*, exclamat, *Phocæ carnificis imaginem inter Martyres Summi Pontificis manu collocatām! Hoccine fecisset illustris ille Ambrosius, qui Theodosium privatorum dūmtaxat sangvine madentem Sacris admittere noluit?* Ambrosius erga Theodosium, quamvis sangvine madentem, servavit etiam debitam subjectionem. Gregorius Phocæ, Imperatori facto, præstitit venerationem, quam moris fuit, ei exhibere. Hancne potuit denegare, nisi se erexisset contra illum? Hocne ergo magis Basnagius laudandum dixisset? Nec Phocæ imaginem Gregorius inter Martyres collocavit, sed tantum in Oratorio S. Cæsarii Mart. intra palatium. Cum *Cyriacus*, successor Joannis Jejunatoris in Episcopatu, continuasset titulum œcumenici Episcopi usurpare,

nec

nec Mauritius, idcirco interpellatus a Gregorio, Cyriacum sua auctoritate coercuisset, et eadem de causa etiam Phocas a Bonifacio III. Papa appellatus fuisset, is edictum fecit, *Ut Sedes Apostolica B. Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, id est, Romana Ecclesia.* Hinc passim Scriptores Protestantes assertionem faciunt, Romanam Ecclesiam tantummodo Phocæ dignitatem Primatus debere in acceptis. Annon autem jam Concilium Nicænum Can. 6. professum est, Ecclesiam Romanam semper habuisse Primatum? Ab eodem Phoca Bonifacius III. Romæ Pantheon obtinuit, quod Deo in memoriam Deiparæ Virginis, et omnium Martyrum dedicavit. *pag.* 210.

§. 24. *Phocas* nullatenus moribus suis commendabatur, vino, veneri deditus, crudelis. Quamobrem cito in despectum venerat, ut in theatro publice cantilenis traduceretur, seditiones fierent in provinciis, et hæretici, nec non et Judæi sumerent audaciam vexandi Catholicos, et grassandi in eos etiam cædibus. *Chosroes* II. Persarum Rex etiam sumpta causa belli contra Phocam quod Mauritium sustulisset, invasit provincias Romani Imperii, et ferro atque igne vastatis earum pluribus, appropinquabat jam mœnibus Constantinopolis. Senatus *Heraclium*, præfectum Africæ hortatus est ad suscipiendum Imperium. Quod cum fecisset, Phocas comprehensus, prius manibus, atque pedibus, deinde capite truncatus est. Hoc tempore capta a Persis Jerosolyma, etiam veneranda ligna Crucis Christi ablata sunt. Christianos Persæ vel ipsi trucidaverant, vel exiguo pretio Judæis vendiderant, quos hi exquisitis suppliciis, eorumque cruciatibus se se oblectantes,

in-

interemerunt. Supra nonaginta millia Christianorum erant, qui in Palæstina sic perierint. Jam etiam Alexandriam in Aegypto, Carthaginem in Africa tenebat Chosroes, nec ullis conditionibus acquiescere voluit, ut pacem daret, nisi Heraclius cum toto populo suo Christum abnegasset, solemque adoraturus esset.

In his angustiis *Heraclius* se totum *ad Deum* vertit, atque suam omnem in eo locans fiduciam novas vires comparavit adversusChosroem, atque in expeditionem profectus Christi imaginem, velut signum exercitus ipse manu sua gestabat. In prima statim expeditione ipse prior adgressus Chosroem, irrupit in Persidem, hostes, qui eum a tergo adgressi erant, profligavit, castra cepit, et diripuit ingenti præda potitus. Post hanc expeditionem primam, quæ a. 622. facta est, Chosroi Heraclius svaserat pacem: qui vero nihil de hac audire volens, etiam exercitum expedivit ad fines Romanorum vastandos. Igitur subsequente anno iterum Heraclius invasit Persidem, arma contulit cum Chosroe eo successu, ut is deserto exercitu fugerit. Eumdem successum habuit tertia, et quarta Heraclii expeditio contra eumdem Chosroem. Tunc autem Chosroes etiam Avares, Bulgaros, Sclavos, Gepidas, concitaverat ad bellum, et ad directe adgrediendam Constantinopolim, suo etiam misso exercitu duce Salbara. Heraclius divisit exercitum, et parte ejus una secum retenta, alteram miserat ad defendendam Constantinopolim. Sub ipsis mœnibus commissum est prælium tanta hostium strage, ut mare purpureum colorem induerit. Adhuc unam postea Heraclius fecerat expeditionem a. 628. tumque bellum confectum est. Chosroes iterum ita de-

devictus, ut consistendi locum nuspiam reperiret, in fuga Medarsanem successorem sibi destinaverat: quod *Siroes* ejus filius, natu maximus, indigne ferens, ipse etiam adversus illum insurrexit, et captum cum magna acerbitate interfecit. Idem deinde statim pacem ab Heraclio deprecatus est, et obtinuit iis, qnibus Heraclius voluit conditionibus. Tunc ligna Crucis Christi etiam recuperata sunt, et reportata Jerosolymam. In illa calamitate, dum Syria, et Palæstina a Persis afflicta fuisset vehementissime, et qui horum manus effugere poterant, confugissent Alexandriam in Aegyptum; his omnibus subvenerat *Joannis*, cognomento *Eleemosynarii* Episcopi Alexandrini in miseros, et afflictos summa benignitas, et largitas. *pag.* 217.

§. 25. Ex Eutychianismo cum jam plures novæ sectæ pullulassent, nunc sub Heraclio alia rursus exorta est, *Monothelitarum* dicta. Hujus inceptor erat *Theodorus* Episcopus Pharanitanus in Arabia in suis epistolis ad *Sergium* Episcopum Constantinopolitanum, et ad *Paulum Monóculum* Severi sectatorem. Error istius sectæ in eo constitit, quod in Christo poneret unam tantum voluntatem, et operationem, quam Theandricam vocabant. Theodorus ambos illos in hanc suam assertionem pronos habuit. Ad *Heraclium*, dum exercitum duceret per Armeniam, venerat Paulus Monoculus, cumque ille hunc, velut hæreticum aspernatus fuisset, Paulus ex Heraclio quæsivit, una ne vel duæ voluntates, et operationes prædicandæ de Christo essent. Heraclius dubius hærens *Cyrum* Psasidis Episcopum super hac quæstione consuluit: cumque iste etiam se dubium esse dixisset, ad

Sergium Heraclius recurrit: qui concilio Episcoporum habito, non tantum ex sua, verum etiam istius concilii sententia, errorem, quo jam ipse captus erat, Heraclio propinavit, ille vero hausit. Cyrus quoque eumdem errorem, Sergio præeunte secutus, et ad Episcopatum Alexandrinum provectus pariter concilii, quod congregaverat, auctoritate stabilire studuit. Huic concilio cum affuisset *Sophronius* professione monachus, obtestabatur Cyrum, ne rem istam pergeret vulgare. Cum flectere non potuisset, ad Sergium Constantinopolim ivit, patrocinium quæsiturus doctrinæ orthodoxæ, nesciens, hunc ipsi Cyro etiam fuisse erroris ducem.

Sophronius ad Episcopatum Jerosolymitanum evectus est. Cum ergo ejus auctoritas majus habere pondus cœpisset, nec dubitaret Sergius id, quo se opponeret, ad Romanum etiam Pontificem ab eo facile perlatum iri, ut ipsum præveniret, et delationi, si facta esset, fidem auferret, literas, plenas fallaciæ, ad Honorium I. Papam misit. In Actis Concilii œcumenici Constantinopolitani VI. duæ positæ sunt *epistolae Honorii* ad Sergium. In earum altera probat, assertionem unius voluntatis in Christo, factam a Sergio: quia profecto *a Divinitate assumpta sit nostra natura, non culpa;* in altera dicit, *non oportere nos unam vel duas operationes definientes prædicare, sed pro una quam dicunt, oportet nos unum Operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri.* In hanc sententiam Honorius etiam ponitur rescripsisse Sophronio, dum is Acta Concilii a se habiti, in quo errorem Monothelismi damnaverat ad Honorium misisset. Hæ tamen Honorii epi-

sto-

stolæ, quemadmodum adhuc demonstrabitur, non retinuerunt suam integritatem, sed sunt interpolatæ. Sergius *Ecthesim* composuit, quæ vox expositionem significat, Heracliumque induxit, ut hanc suo nomine sineret edi. In hac est: *Nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam, vel duas dicere*, intellige voluntates, et operationes in Christo. Hanc Severinus, et Joannes IV. post Honorium Romani Pontifices damnarunt, alibi quoque ei occlamatum, magnæque turbæ excitatæ sunt. Congruit vero istud in Ecthesi cum eo, quod etiam ab Honorio rescriptum erat Sergio. Hoc indicat, epistolam esse secundum Ecthesim transformatam, ut huic per illam accederet fulcrum. Pyrrhus, successor Sergii in Episcopatu, ultra progressus, unam solummodo operationem jam expresse prædicaverat, idque quasi juxta rescriptum, et epistolam Honorii ad Sergium. Ad vindicandam famam Honorii Joannes IV. Papa in epistola ad Constantinum Imp. Heraclii filium, docuit, Honorio fuisse scriptum a Sergio, quosdam esse, qui dicerent, duas in Christo contrarias esse voluntates, atque secundum hoc Honorium etiam respondisse, duas in Christo mentis, et carnis non esse, quemadmodum in nobis, adversantes invicem voluntates. Pyrrhus conscius veneni, quo Constantinus per novercam sublatus est, ne poenas daret, fugit in Africam. Ibi illum *Maximus*, Abbas, Romam per Africam pergens, coram pluribus Episcopis adgressus, ita disputando pressit, ut errorem suum recognoverit: idem Maximus etiam Monothelitas arguit de corrupta epistola Honorii ad Sergium.

In locum Constantini *Constans* factus est Imperator; in locum Pyrrhi Paulus Episcopus

Constantinopolitanus. Ad literas ab Joanne IV. ad Constantinum datas Constans Ecthesim abrogavit, quin tamen istam Paulus ex valvis Ecclesiæ, ubi erat affixa, sustulerit; insuper etiam induxit Constantem ad novum edictum faciendum, quem *Typum* vocarunt. In quo, *Sancimus*, ait Imperator, *nobis subjectos non habere licentiam invicem a præsenti de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcunque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam.* Pyrrhus venerat Romam, et quoniam errorem deposuerat, honorifice erat susceptus a Theodoro Papa. Rediit autem ad eumdem errorem a Constante Imp. allectus et spe inductus recuperandi Episcopatus, quem deseruerat. Quo facto ab eodem Theodoro anathemate percussus est. Paulus vero ejus erat audaciæ, ut ad *Martinum I.* qui Theodoro in Pontificatu successerat, Typum miserit, utque eum subscriberet, imperando nomine Imperatoris. Is vero habuit *Synodum* Episcoporum 105. a. 649. in Laterano: in qua Ecthesis Heraclii, et Typus Constantis damnatus est, nec non Cyrus, Sergius, Pyrrhus, et Paulus, missis ex Synodo literis quaquaversus ad omnes Episcopos. Etiam ad Constantem nomine Martini, et Concilii datæ sunt literæ, quibus rogabatur, ut fidem orthodoxam sua etiam auctoritate tueretur, omni eo, quod actum per Henoticum et Typum erat, refuso in eos, qui svasores, et opifices istorum decretorum erant.

At vero Constans, Paulo instigante, misit *Olympium Exarcham*, qui, Martinum, nisi subscripsisset Typo, comprehenderet, aut interficeret. Hoc alterum cum tentasset, idque

in

in Ecclesia, Martino sacrificante, is, cui hoc mandatum dederat, cæcitate percussus est. Iterum vero *Theodorus Calliopa* cum eodem mandato Constantis venerat Romam. Qui Martinum comprehensum, et navi impositum avexit noctu. Dum navis, quæ illum vehebat, Constantinopolim appropinquasset, sparsum est tota urbe advenire Martinum Dei hostem, hæreticum, perduellem, proditorem, qui Romam, et Italiam tradere hostibus voluerit. Saraceni irruperant in Siciliam. Olympius Exarcha, ille idem, qui Martinum occidere voluerat, contra hos infeliciter pugnaverat amittendo etiam exercitum. Is Martinum, venerari cœperat viso illo prodigio, quo cæcitate percussus est is, cui mandatum occidendi Martini dederat. Olympius insimulatus est proditionis, qua factum sit, ut Saracenis victoria cesserit. Conscium vero istius proditionis, nec de Olympio comprobatæ, maligne etiam fecerant Martinum, ad causam prætexendam iis, quæ acta in eumdem Martinum sunt. Ubi advectus est Constantinopolim, permissus est in portu jacere in grabato, erat enim summopere podagricus diem totam, ut quasi tam insignis maleficus plebi exponeretur videndus. Deinde postquam tentus fuisset in carcere mensibus tribus, productus in judicium est, quod in eum exercuit *Troilus* Præfectus ærario, illiusque criminis nomine damnatus est: et postquam deductus ad aream palatii, et in confluxu multitudinis, spectante Constantio ex fenestra, anathema ei dictum fuisset, exutus vestibus usque ad interulam in compedibus, et manicis præcedente carnifice cum stricto gladio in manu reductus ad prætorium est. Postera die venit Constans ad Paulum Episcopum, extremo morbo laborantem, narraturus cum gloriatione,

quæ

quæ pridie essent acta in Martinum. Qui se vertens ad parietem, *Heu mihi!* ait, *et hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum*, imminente morte pressus scelerum suorum conscientia. Tribus adhuc fere mensibus tentus in custodia, missus deinde est Chersonesum in exilium: ubi eodem anno, fame etiam excruciatus, mortem obiit. Dum Roma Martinus abduceretur, Calliopa Clero præceperat, ut alium Pontificem sibi eligerent. Martinus negavit istud unquam factum esse, nempe ut vivente Pontifice alium Clerus eligat, *sed in absentia Pontificis*, ait, *Archidiaconus*, *Archipresbyter*, *et Primicerius locum præsentant Pontificis.* Attamen deinde vivente adhuc Martino electus est *Eugenius*, sed non citra consensum ipsius Martini id factum esse cognoscitur ex ejusdem Martini epistola ex Chersoneso Romam data. Metus erat, ne per Imperatorem quispiam intruderetur ad Pontificatum, isque etiam hæresi Monothelitarum contaminatus. Paulo mortuo Pyrrhus recuperavit Episcopatum Constantinopoli. Isto etiam non multo post mortuo Petrus in ejus locum est positus Episcopus æque Monothelita. *Maximus* Abbas is, qui Pyrrhum in Africa erroris convicerat, etiam eodem tempore, quo Martinus, Roma abductus est cum Anastasio discipulo, et altero Anastasio Apocrisiario Romanæ Ecclesiæ. Hi quoque multas adversitates pertulerunt, quod consentire noluerint in errorem Monothelitarum. Extremum lingva excisa, et dextra amputata deportati sunt in exilium. *pag.* 225.

§. 26. *Constans* in Oriente invisus omnibus factus ob illa, quæ egit adversus Martinum Pontificem, et in Theodosium fratrem, quem

Dia-

Diaconum curaverat ordinandum, postea vero etiam interfecerat, atque etiam ut mutatione loci vitaret speciem istius, quæ ei identidem in somnio occurrerat propinantis sangvinem sibi ad bibendum, reliquit Constantinopolim et discessit in Occidentem, quo et sedem Imperii statuerat transferre. Romam cum venisset, in S. Petri, aliisque Ecclesiis obtulerat pretiosa dona, sed etiam, quidquid æris erat ad Urbis ornatum, abstulit. Syracusas in Siciliam deinde transiit, et tam enormibus tributis Italiam oppressit, talique cum acerbitate ista exegit, ut homines in desperationem ipsius etiam vitæ venerint: sed neque Ecclesiis pepercerit, quas exspoliavit rebus pretiosis omnibus. Anno quarto, postquam in Siciliam habitatum venerat, Andreas, cujus patrem Troilus administrum habuit sceleris in Martino Papa capiendo, et Roma abducendo, illiusque cubicularius, situlam in balneo in ejus caput impegit eousque, donec halitum in eo superesse vidisset. Syracusani quemdam Mizizium adegerunt deinde, ut se Imperatorem sineret dici. Quo audito *Constantinus* filius Constantis, a patre jam Augustus creatus, protinus cum classe in Occidentem advolavit, sibique Imperium, occiso Mizizio, vindicavit.

Is cum advertisset dissidium inter Ecclesias, istius tollendi causa scripsit ad Donum Romanum Pontificem, et petiit, ut legatos mitteret Constantinopolim concordiæ inter Ecclesias constituendæ causa. Dono prius mortuo, quam hæ literæ ad eum venissent, *Agatho*, qui Dono successit in Pontificatu, hoc deinde præstitit. Missi vero sunt habito prius concilio Episcopi tres, vice Episcoporum omnium Occidentis; Presbyteri Theodo-

odorus, et Georgius cum Joanne Diacono, quos Agatho illis addiderat suo adhuc etiam nomine. Hi literas tulerunt et ex Concilio illo, de quo modo dictum est, datas, quibus ipse etiam Pontifex subscriptus erat primo loco, et a solo etiam Agathone. In utrisque dogma Catholicum de duabus voluntatibus, et operationibus in Christo est expositum, et demonstratum. Facta etiam Episcoporum Orientis convocatione cœpit Concilium Constantinopoli in basilica intra palatium, quæ *Trullus* appellabatur die 7. Novemb. a. 680. Episcoporum, qui convenerunt, fuit numerus 166. quidam vero etiam habent plures. Omnium primo legati Romani Pontificis quæsiverunt ex Episcopis Orientis, cur novam invexissent doctrinam in Ecclesiam de una voluntate, et operatione in Christo. Episcopi Orientis, et præ ceteris *Macarius* Episcopus Antiochenus responderunt, nihil a se novæ doctrinæ esse invectum, sed esse doctrinam hanc traditam a Conciliis, et a Patribus. Allati sunt Codices, Acta continentes Conciliorum quinque œcumenicorum, ad hoc tempus habitorum. In his repertum est, vel eam quæ una voluntas prædicaretur de Christo, esse intellectam solam Divinam, vel etiam aperte prædicari de Christo duas tam voluntates, quam operationes. In Actis vero Concilii œcumenici quinti, quod secundum erat Constantinopolitanum, in quo Concilio maxime confidebant Episcopi, errori Monothelitarum addicti, erant tres quaterniones a principio additi: in iisdem Actis etiam epistola Vigilii Papæ pariter erat corrupta. Etiam Patrum testimonia, quæ iidem Episcopi protulerant, collata cum aliis codicibus erant truncata, et vitiata. His visis, et demonstratis, cesserunt ceteri Episcopi, Macarius autem

tem mansit in pertinacia, qui damnatus, et depositus ex Episcopatu est: quidam, iique perpauci, a sententia Concilii appellarunt ad Romanum Pontificem. Hi Romam missi sunt. Quidam monachus *Polychronius* nomine adversus definitionem Concilii promisit, se veritatem ejus, quod Monothelitæ crederent, etiam miraculo patefacturum, et mortuum sibi curavit adferendum, quem sit suscitaturus. Cum ad videndum hoc miraculum populus undique confluxisset, res autem ei non successisset, ut tandem ipse etiam dixerit, se illum non posse suscitare, irrisus a populo, et anathema ab omnibus in eum jactum est. Acta Concilii ad Leonem II. qui Agathoni ante finitum Concilium successerat, confirmationis causa missa sunt.

In Actis hujus Concilii Sess. 13. est, cum Sergio, ceterisque hæreseos Monotheliticæ præcipuis capitibus etiam *Honorium* Papam damnatum et anathemate percussum esse, ob epistolam illam ad Sergium datam, de qua fuit supra, et quam Concilium judicaverit, alienam existere ab Apostolicis dogmatibus, et a definitionibus sanctorum Conciliorum, cunctorumque probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum. Idem anathema in eumdem Honorium repetitur Sess. 18. et in epistola e Synodo data ad Agathonem Papam. Eadem Honorii damnatio legitur in epistola Leonis II. ad Constantinum Imp. qua confirmavit Concilium: etiam in Synodo Nicæna II. recensetur inter Monothelitas, et in Concilio Constantinopolitano VIII. dicitur propter hæresim damnatus. *Honorium* nec affectum fuisse isto errore, neque damnatum docui in Dissertatione mea XI. in Selecta argumenta

Hist.

Hist. Eccl. his argumentis. Dum Pyrrhus rumorem sparsisset, Honorium in epistola ad Sergium, unam tantum voluntatem docuisse de Christo, Joannem IV. id, quod jam supra memoratum est, literis ad Imperatorem datis arguisse falsum hoc esse, et Honorio injuriosum, idemque hoc factum esse a Maximo in disputatione cum Pyrrho, qui huic etiam objecerit, quod epistolam Honorii per versionem e latino in græcum corruperint; deinde quod Martinus Papa in epistola ad Ecclesiam Antiochenam, et Jerosolymitanam, cum Sergium, Cyrum, Pyrrhum, ceterosque hæreseos signiferos memorasset, in contrarium de Romanis Pontificibus dixerit: *Qui non permiserunt, eos fidei thesaurum surripere.* Qua enim fronte istud asserere Martinus potuisset, si Monothelitis Honorius etiam solummodo connivisset?

Sed acta tam hujus Concilii sexti, quam etiam septimi, et octavi, nec non et epistola Leonis II. aliud testantur. Hoc omnino in his monumentis, prout nunc sunt, existit. Attamen hinc res nondum est evicta, si monumenta hæc sincera non perstiterunt, interpolationemque subierunt. Hanc autem, in Actis Concilii sexti, ut de his primum loquar, factam esse, advertere licet manifeste. Nam Patres hujus Concilii in epistola Synodica, ut ista se nunc habet, dicunt ex sententia Agathonis, prius per ejus sacras literas lata, se anathemate interfecisse Honorium. Atqui hoc non est reperire in literis Agathonis: sed potius contrarium est. Laudat enim in his Ecclesiam Romanam, quod a tramite Apostolicæ traditionis numquam erraverit, et prolatis his Christi verbis ad Petrum: *Ego pro te rogavi, ut non*

defi-

deficiat fides tua, et tu conversus confirma fratres tuos, asseveraverit, istud suos prædecessores semper fecisse, cunctis esse agnitum. Caditne in Concilium, ut asseveret se illud fecisse secundum Pontificis literas, quod non tantum in his non erat, sed cui potius contrarium prædicabatur? Quod si tentassent etiam Patres istius Concilii afferre auctoritatem epistolæ Agathonis, annon legati Romani Pontificis hoc de Agathone falsum esse arguissent? Et Leone etiam Papa ad Synodicam hanc rescribens mendacium approbasset, et insuper in Honorii damnationem adversus illud, quod Agatho de Apostolica Sede prædicavit, quæ numquam a tramite Apostolicæ traditionis erraverit, subscripsisset? concessitne etiam errasse Honorium, cui illam consensionem in errorem Sergii, jam Joannes IV. docuit, et testabatur, fuisse nonnisi ei affictam, et impositam calumniose? Quod si autem ista credi prudenter non possunt, consequens est, ut nec Acta Concilii sexti, neque epistola Leonis manserint intemerata, et absque interpolatione: deinde si Honorio nihil fuit commune cum Sergii errore, si nulla illius damnatio facta est in Concilio sexto, nec in Actis concilii septimi, et octavi id, quod in his est de damnato ob hæreseos labem Honorio, verum esse potest: sed vel ex corruptis jam Actis Concilii sexti, illa etiam Concilia in falsam opinionem inducta sunt, vel etiam horum conciliorum acta non sunt interpolationis expertia: quod alterum magis etiam venit existimandum: siquidem in Concilio octavo facta sit professio, cui Episcopi omnes subscripserunt juxta formulam ab Hadriano II. ad Concilium missam: *Prætermitti non potest sententia Jesu Christi dicentis: Tu es Petrus, es super hanc Petram ædifica-*

cabo Ecclesiam meam. Quod effectus probavit: quia in Sede Apostolica semper Catholica Religio est immaculate conservata. pag. 244.

§. 27. Inter concilia in eorum Collectionibus existit etiam Concilium *Trullanum*. Sub Justiniano II. Constantini illius, de quo sermo fuit superiore §. cognomine Pogonati filio, ponitur esse celebratum in palatii Imperatorii ea parte, quæ Trullus appellabatur. In ejus statim principio, et in allocutione ad Imperatorem causa exponitur, cur sit celebratum, ut Canones, qui in duabus præcedentibus Synodis nulli conditi sint, prout hoc factum est in Conciliis quatuor primis, sancirentur, per quos populi a deteriore vivendi ratione ad meliorem revocarentur. Hæc Synodus etiam appellata est *Quinisexta* (πενθέκτη) quod instituta sit in supplementum quintæ, et sextæ Synodi. Si quid unquam ab historicis diversimode, discordando inter se, et contrarie narratum est, istud tenet in enarratione istius Trullani Concilii. Proferam primo statuta, quæ in hoc concilio ponuntur esse facta, unde etiam nosci possit istius concilii ingenium. *Canone* 1. statutum fit de Fide servanda, quæ per Apostolos, et sex Concilia tradita est. *Can.* 2. de octoginta quinque Canonibus Apostolorum observandis, quasi qui a Patribus suscepti, et confirmati sint. Obsignamus deinde, inquiunt, reliquos etiam Canones, qui a nostris sanctis Patribus expositi sunt, idque in Nicæno, aliisque pluribus Conciliis: quibus vero admiscentur etiam concilia ab Arianis habita haud bonæ notæ, nec non illud concilium, quod a S. Cypriano sit habitum, unaque approbatur rebaptizatio hæreticorum, quæ sit ab Episcopis Africanis sancita in hoc concilio. *Canone*

6. De-

6. Decernunt, ne Hypodiaconus, Diaconus, vel Presbyter, post sui ordinationem contrahat, sed si velit matrimonium inire, ante ordinationem istud faciat. *Canone* autem 12. istud Episcopo denegant, quod oporteat Pontificem ad perfectam continentiam vitam suam dirigere, ne status Ecclesiasticus ullo probro afficiatur. Jamne vero si Episcopus per matrimonium suum probro afficeret statum Ecclesiasticum, idem probrum non redundabit per matrimonium Presbyteri, et Diaconi in eumdem statum Ecclesiasticum? num isti ad hunc statum non pertinent? *Canone* 13. Quoniam, inquiunt, cognovimus Romanæ Ecclesiæ pro canone traditum esse, ut Diaconi, vel Presbyteri profiteantur se non amplius suis uxoribus conjuncturos; nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis servantes conjugia hominum, qui sunt in Sacris, deinceps firma, et stabilia esse volumus: insuper pœnam etiam depositionis in eos decreverunt, qui ausus esset Diaconum, vel Presbyterum uxorum usu prohibere. Apostolicæ perfectionis hunc antiquum canonem vocant, quem sequantur, Cum tamen *Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes fuerint*, quæ sunt verba S. Hieronymi. Et quomodo iste antiquus est, vel in ipsis etiam Orientis Ecclesiis, de quibus iterum idem S. Hieronymus dicit: *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Aegypti, et Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* Ab isto Canone fluunt matrimonia Cleri in Græca Ecclesia. *Canone* 55. siquidem audiverint in Romana Ecclesia in Quadragesima sabbatis jejunium observari, in Clericos his diebus jejunantes depositionis, in laicos excommunicationis pœnam decreverunt. *Canone* 36. statue-

tuerunt quasi post Concilium Constantinopolitanum I. et Chalcedonense, *Ut thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, et in Ecclesiasticis negotiis, ut illa emineat.* Universe Trullanum hoc concilium habet canones 102.

Humbertus Cardinalis in Refutatione Tractatus a Niceta adversus Latinos editi; *Nos*, ait, *scientes sextam Synodum ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas institutiones congregatam, Capitula, quæ nobis sub ejus auctoritate exponitis, omnino refutamus, quia prima et Apostolica Sedes nec ea aliquando accepit, nec observat, quia aut sunt nulla, aut ut vobis libuit, depravata.* Namque istos Canones, ut auctoritatem ipsis conciliarent, Græci solent sub nomine Canonum sextæ Synodi allegare, cum tamen in fronte Trullani Concilii, quemadmodum jam demonstratum est, ipsi profiteantur, in Synodo sexta nullos canones editos esse. Hoc Trullanum concilium esse habitum sub Justiniano II. Imp. Constantini Pogonati filio, habent Anastasius Biblioth. Beda, et Ado Viennens. qui istos Canones etiam ad Sergium I. Papam miserit, iterumque ad Joannem VII. confirmationis gratia: quam tamen a neutro obtinere potuerit. Videtur autem magis aliquod tantum *conventiculum* fuisse nonnullorum Episcoporum per factionem Episcopi Constantinopolitani, quemadmodum ex eo canone elucet, quo is rursus quæsivit se attollere supra totum Orientem, imo etiam æquare se Romano Pontifici ultra eam etiam, quæ Anatolii erat ambitio in Concilio Chal-

Chalcedonensi: ex quo solo etiam cernere licet, quam hoc congruerit cum eo, quem Christus in Petro instituit Primatum, et quem discerpere voluerint, discerpendoque sufferre Episcopi illius conventiculi. Illud enim nec fuisse concilium, aut habuisse formam alicujus concilii, ubi Trullani hi Canones confecti sunt, argumento est, quod neque Theophanes, quamvis Canonum istorum mentionem fecisset, neque Cedrenus, neque Zonaras, neque Constantinus Manasses, scriptor et ipse Græcorum Annalium, neque Glycas, tametsi Græci, Concilium istud Trullanum habeant, atque ejus mentionem ullam faciant: alii vero Græci, quærentes dare auctoritatem his canonibus, qualem habent ii, qui conditi sunt ab œcumenico concilio, ei, quod compositum primo fuit, siquidem hiare vidissent, aliud, atque aliud superaddendo, ut verisimilem facerent, suam narrationem de his canonibus, et de hoc concilio Trullano, quasi in quo conditi sint, a se invicem discesserint, et inter se discordaverint. *pag.* 261.

§. 28. *Mahometes* Arabs, volens Judæos, gentiles, et Christianos conjungere in unum corpus Religionis, quamdam compagem confecit harum religionum, usus adjutore Batira hæretico Jacobita, Sergio monacho Nestoriano, et quibusdam Judæis. Formam istius suæ novæ religionis in libro, quem *Alcoranum* vocavit, exposuit. Meccha, ubi in natali suo loco spargere cœperat suam doctrinam, ob enata dissidia fugere coactus, cum ad locum Sareth, postea vero *Medinath Talnabi*, quod urbem Prophetæ significat, se recepisset, et viribus collectis Miraculum reversus esset, adegerat Mecchanos ad se recipien-

endum veluti Prophetam. Ab illa fuga, quam Arabica lingva *Hegiram* vocant, Mahometani ducunt suam etiam æram, quæ a. 622. die 16. Julii accidit. Mahometi a 632. mortuo in principatu, quem obtinuit supra Arabes, successit Abubecher ejus socer, qui se *Calipham* vocavit, id est, successorem, et vicarium, quo se nomine alii etiam longo tempore vocarunt, qui divisi in plures dynastas, rem eorum publicam moderabantur. Mahometani dicti sunt etiam Ismaelitæ, et Agareni, a quibus parentibus se ferrent descendere, nec non Saraceni, quod vagos, et latrones in Arabica lingva significat. Namque tales fuerunt, tantumque viribus invaluerunt, ut ipsi Romano Imperio formidabiles fuerint, nec tantum Orientis plurimas provincias occupaverint, verum etiam in Galliam, Italiam, aliasque Occidentis regiones irruptiones fecerint, et depopulationes iis intulerint.

Heraclius, dum hoc facere incepissent, erat Imperator, et qui tam felix erat contra Chosroem, et Persas in recuperandis Romani Imperii provinciis, quæ ab his erant occupatæ, Saracenis succubuit, genti, cui vix ad hoc tempus nomen aliquod erat. Deum adjutorem habuit adversus Persas; ab hoc derelictus est, dum se Monothelitis socians, Religioni non se eum, quem decebat, exhibuit. Persiæ Sultanus (dominatorem in Arabica lingva significat) adversus Calipham, Syriæ dominantem, *Turcas* in auxilium advocaverat, populum origine Scythicum, et montes Caucasios inter mare Caspium, et Pontum Euxinum incolentem. Quibus cum deinde reditum intercludere voluisset, ab his superatus, et regno exutus. Ab hoc autem tempore, qui fuit

an-

annus 1037. Turcæ in Saracenis deprimendis semper ulterius processerunt, et regiones, quas Saraceni tenebant, sibi subjecerunt, ac demum etiam Graecorum imperium everterunt: Erant initio ethnici, a Saracenis autem religionem Mahometanam didicerunt, et assumpserunt. Attamen quatuor sunt Mahometanorum *sectae*, quarum unam Persæ, alteram Aethiopes, et Arabes, tertiam Tartari, quartam ii, qui proprio nomine Turcæ vocantur, constituunt. Deum unum colunt, cujus prophetam magnum Mahometem habent. Preces certas singulis diebus peragunt, et peregrinationes, quas sacras volunt esse, Meccam, et Medinam instituunt: etiam certis temporibus jejunia observant, sed ita, ut postquam tota die cibo abstinuerunt, noctem deinde in comessando et in voluptate se volutando, quali libet, transigant. Credunt, et exspectant etiam post mortem obventuram sibi felicitatem, sed quam ipsam etiam totam in voluptatibus, quæ sensus demulcent, reponunt. Studiosi admodum fuerunt sectæ suæ propagandæ, idque partim sæviendo in eos, qui ad Mahometanismum nollent transire, partim alliciendo, etiam tributorum remissione. Ipsorum autem Mahometanorum conversionem ad Christianam Religionem difficilem facit, quod nullum patiantur fieri de Religione sermonem, et Mahometanus exardescat statim ad cædem ei inferendam, qui vel suspicionem ostendit se habere de falsitate Mahometanæ religionis. *pag.* 273.

§. 29. *Justinianus* II. Imp. acerbus nimis et crudelis in imperando, quadam die mandatum dederat, ut subsequente nocte omnes Constantinopoli interficerentur. Ea ipsa nocte erupit seditio adversus ipsum, Leontio Patricio classicum

canente. Captus et ad Circum ductus, nasoque mutilatus, relegatus in Chersonesum est, Leontiusque Imperator factus. Nondum tertium Imperii annum impleverat, et exercitus re male gesta contra Saracenos in Africa, in Leontiique conspectum venire timens Absimarum Imperatorem proclamavit; a quo Leontius naribus præcisis inclusus ad monasterium est. Justinianus autem se recollegerat, et cum Bulgarorum auxilio recuperasset Imperium, tam Absimarum, qui Tiberii nomen assumpserat, quam Leontium e monasterio protractum, capite plecti jussit. Idem Justinianus *Constantinum* Romanum Pontificem ad se Constantinopolim per literas invitaverat. Ex Anastasio Bibliothecario intelligitur, iterum quæsivisse confirmationem Canonum Trullanorum a Romano Pontifice, et quamvis hanc etiam nunc non obtinuerit, tamen ipsum in denegatione hac acquievisse. Justinianum dum in Chersoneso esset, Chersonenses molientem recuperationem Imperii, Tiberio tradere voluerunt. Quod quamvis non perfecerint, Bulgaris prius ei auxilium ferentibus, tamen talem iram in illos, redditus Imperio, conceperat, ut classem miserit ad Chersonenses omnes sine exceptione ulla ætatis, vel sexus interficiendos. Quamobrem hi Avares in auxilium advocarunt, et *Bardanem*, qui ab Justiniano pulsus apud illos exulabat, Imperatorem proclamarunt: cumque is Constantinopoli exercitum admovisset, ab Constantinopolitanis etiam susceptus, Justinianus autem occisus est.

Bardanes, qui factus Imperator, nomen Philippici assumpserat, erat non tantum corruptissimis moribus, vinoque, et veneri deditus, verum etiam *Monothelita*, a quodam monacho

cho seductus, tamque hæresi addictus, ut ne palatium quidem Imperatorium prius ingredi voluerit, quam imago, repræsentans sextam Synodum, collocata in ejus vestibulo, fuisset dejecta. Exemplar quoque ejusdem sextæ Synodi archetypum igni tradidit, præterea Episcopos Constantinopolim ad Synodum convocavit eum in finem, ut ipsius edictum de abrogatione sextæ Synodi per eos subscriberetur. Eos, qui subscribere renuerunt, afflixit, et in exilium egit. Jam post annum, et menses sex e throno dejectus est, et effossis etiam oculis carceri mancipatus. *Anthemius* Imperator factus est, dictus deinde Anastasius. Illico etiam cum ab Imperatore, tum a ceteris omnibus Synodus sexta reposita ad pristinam venerationem est. *pag.* 281.

§. 30. *Anastasius* classem adversus Saracenos miserat. Milites Joannem, qui classi præerat, interfecerunt, et ad oppugnandam ipsam etiam Constantinopolim, Anastasiumque e solio dejiciendum pergentes, *Theodosium*, qui Adramyttii in Oppido Troadis vectigalium collector erat, quamvis invitum, et reluctantem minis ad suscipiendam Imperatoriam dignitatem adegerunt. Anastasius rebus suis desperatis dimisit dignitatem, et ad monasterium se recepit. Non erat is Theodosius, qui sufficere posset regendo Imperio, eo præsertim tempore, quo Saraceni illud gravissimo bello appeterent, et ad ipsam Constantinopolim terra, marique oppugnandam venissent. Quamobrem Theodosium hortati ipsi etiam milites sunt, ut sponte Imperio vellet cedere. Quod is fecit libens, et tam ipse, quam filius statum Clericalem amplexus est. *Leo Isaurus* in ejus locum ad dignitatem Imperatoris evectus est. Huic nondum facto Imperatori Judaei prædixerunt Impe-

ratoriam dignitatem, si postquam hanc obtinuisset, sublaturus esset apud Christianos cultum Imaginum. Diu tamen presserat suum propositum adversus Imagines, tantumque anno Imperii sui decimo primum in Senatu, deinde coram populo adversus Imagines, et earum cultum loqui coepit: atque etiam nunc, cum observasset hinc populi exortum fremitum id ipsum, quod contra Imaginum cultum locutus est, excusare, et emollire studuerat.

Alia via deinde rem adgressus est, et *Germanum Episcopum* Constantinopolitanum attrahere volebat in illud, quod destinatum habebat contra Imagines. Is vero declaravit, se illi in hoc numquam consensurum, atque esse paratum, ad suam etiam animam pro Christi imagine profundendam. Perspicuum enim esse, ignominiam, et contumeliam, quæ Christi imagini infertur, in exemplar ipsum redundare. Non eo minus Leo edictum fecit, idque non tantum in Orientis provinciis promulgavit, verum etiam Romam misit ad Gregorium II. Papam, ut illud exequeretur. Germanus ad palatium vocatus, ut edictum subscriberet, cum iterum negasset, se hoc facere posse, alapis percussus in exilium missus est, Anastasiusque, ejusdem Germani syncellus, ad Episcopalem sedem a Leone intrusus est. *Dejiciuntur Imagines* Constantinopoli, non tantum Imperatoris, sed etiam istius pseudoepiscopi mandato. Supra portam atrii palatii aerea Christi imago collocata erat. Hanc cum vidissent per satellitem tundi ictibus quaedam matronæ, accurrerant, et rogaverant satellitem, ut ab impietate desisteret: cumque nihil profecissent, subtracta scala in terram dejectum ad mortem

tem usque ceciderunt: deinde cursu effuso in Ecclesiam feruntur, et Anastasium Episcopum lapidibus incessunt, lupum, non pastorem esse, clamantes. Hæ, jubente Leone, omnes gladio percussæ sunt, nec non plures alii, factum idem detestati adversus eamdem Imaginem tormentis excruciati, et capite plexi sunt. Non longe ab Ecclesia Sophiæ splendida stabat bibliotheca; qui huic præerant, viri doctissimi, unaque doctores sententiarum, cum consentire noluissent in destructionem Imaginum, unâ cum bibliotheca exusti sunt. Hippatius Episcopus Ephesinus, et Andreas ejusdem Ecclesiæ Presbyter, quod fortius pro Imaginibus stetissent, Constantinopolim acciti sunt, cumque nullis tormentis cessissent, cutis e capite iis derepta est, barba, pice conspersa, accensa, et super caput eorum cute nudatum pictæ tabulæ congestæ, et combustæ. Erat datum mandatum, ut quisque e domo sua proferret Imagines, quas haberet, ut comburerentur. Qui non paruerunt, alii manibus, vel aliis membris mutilati, alii capite etiam minuti sunt.

Gregorius II. Papa, missis etiam legatis, Leonem conabatur edocere, ut se res haberet in Religione quoad Imagines, et ab his insectandis avocare. Cum nihil profecisset, synodum celebravit Romæ, anathema in Iconomachos constituit, non veritus Imperatorem, minas jactantem, se Romam missurum homines, qui S. Petri imaginem confringant, et Gregorium vinctum Constantinopolim adducant, prout factum sit Martino. Abalienavit autem a se, et ita exacerbavit omnium in Italia animos Leo, ut ejus etiam imaginem laureatam, conculcaverint, et consciderint. Qua Italorum aversione a Leone usi Longo-

gobardi complures Italiæ civitates sub suam potestatem redegerunt. Nec intra minas solas Leonis furor stetit adversus Gregorium Papam. Alios, atque alios usque septem vicibus miserat ad eum occidendum. Quod cum perficere non potuisset, Illyricum, Macedoniam, aliasque provincias sub Romani Pontificis jurisdictione positas, qua Patriarchæ Occidentis, avulsit, et Episcopo Constantinopolitano subjecit Nihil vero tam deforme etiam, et a Principis persona alienius erat, quam quod in *Joannem Damascenum* perpetravit. Epistolam finxit quasi ab Joanne ad se missam, illius etiam manum in scribendo imitatus, qua hortatus eum sit ad invadendam Damascum, quæ sub Calipha Saracenorum erat, apud quem munus aulicum Joannes gerebat, atque hanc Caliphæ misit, ut ita Joannem in exitium mitteret, eo quod pro defensione cultus Imaginum Orationes scripsisset. Quamobrem Joanni dextra a Calipha amputata est; sed quam patrocinio Beatissimæ Virginis recuperavit.

Theophanes, et Græci scriptores habent de Gregorio II. Rom. Pont. hunc prohibuisse, ne Roma, et Italia *tributa* penderet Leoni Imp. Quibus scriptoribus fidem adhibentes Baronius, et Bellarminus, censuerunt, Apostolica auctoritate Leonem propter obstinationem in hæresi jure tributorum exutum esse. Talem vero auctoritatem de se erga Imperatorem nec ipse Gregorius credidit; qui scribens ad Leonem, et dehortans, ne se immitteret ad Sanctæ Ecclesiæ dogmata, dicebat, ab his similiter abstinere debere Imperatores, atque Pontifices, Ecclesiis præpositos a Reipublicæ negotiis. Dumque *Eutychius* Exarcha,

cha, ab Leone missus ad occidendum Gregorium Romam venisset, et populus undique accurrisset, ipsi etiam Longobardi ad illius præsidium, refert Anastasius in ejusdem Gregorii Vita, Gratias quidem populi voluntati Gregorium retulisse, blando tamen sermone rogasse, ut non desisterent ab amore, et fide Romani Imperii; cumque omnis Italia consilium iniisset, ut sibi eligerent Imperatorem, et Constantinopolim ducerent, Pontificem compescuisse tale consilium. Istud Italiæ consilium cum percrebuisset in Oriente, nimis proclive erat, ut crederent, istius consilii participem etiam Gregorium fuisse, vel etiam auctorem, ad cavendum tam vitæ suæ, quam Religioni. Nec illi Scriptores Græci aliunde id quod scripserunt, quam ex fama, quæ incerta plerumque, et mendax solet esse, hauserunt. *pag.* 287.

§. 31. Leoni Isauro successit in Imperio *Constantinus* filius, dictus *Copronymus*, et Caballinus a. 741. Ob innatam truculentiam, turpissimosque mores is erat omnibus admodum invisus. *Artabasdus* ejus gener, cum se vidisset charum omnibus, contenderat ad dignitatem Imperatoriam, eamque facile adeptus est, cum Constantinopolitanos fefellisset, dicendo, Copronymum in bello cecidisse, quod ab Urbe absens gerebat. At vero Copronymus reversus Constantinopolitanos vi adegit ad se recipiendum. Artabasdo autem, ejusque filio oculos eruit: Proceres, qui ei adhæserant, alios oculis, alios manibus, alios pedibus, alios etiam vita privavit. Anastasius quoque, quem Leo Isaurus in locum Germani intruserat ad Episcopatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, eo mandante, in circo ignominiose verberatus, oculis orbatus, atque asino impo-

posi-

positus facie ad caudam versa, cum ludibrio circumductus est. Artabasdum, jactis etiam in Copronymum execrationibus, Imperatorem coronaverat. Eodem vel potius etiam majore flagrans odio Copronymus in Imagines, quam ejus pater, *concilium* convocavit Episcoporum 338. Constantinopolim a. 754. Horum unanimi consensione cultus reprobatus est sanctarum Imaginum, et qui has colerent, dicti idololatræ. Etiam in Sacras Reliquias idem ab his factum est, quas vel in mare projecerunt, vel igne, aliave ratione sustulerunt; iidem Deiparæ, Apostolorum, aliorumque Sanctorum cultum, et invocationem vetitam esse voluerunt. Synodum hanc sanctam, magnam, Universalem septimam appellaverunt. Huic vero nequidem Patriarcha ullus Orientis præsens fuit. Erant enim omnes illi Patriarchatus jam in ditionibus, quæ subjectæ Saracenis erant. Attamen etiam Protestantibus hæc est oecumenica, et legitima, illa, quæ deinde secuta est, et in qua vindicatus cultus est sacrarum Imaginum, Reliquiarum, ipsorumque Sanctorum, pseudo-synodus est: siquidem neque ipsi his velint cultum adhiberi, atque illis quoque placuerit nos Catholicos, velut idololatras, traducere. Anastasium Patriarcham illum Constantinopolitanum ignominiose et in circo publice cæsum, oculorum luminibus privatum, et asino circumvectum oportuisset præsidere huic concilio. Erat vero jam mortuus. Itaque præsederunt Theodosius Ephesinus, et Parsillas Pergensis Episcopus. Sed deinde in eo Constantinus monachus, Episcopus Sylæi in Thracia a Copronymo constitutus est oecumenicus Patriarcha, ut illum vocabant.

Monachi autem id temporis fortissime pro Reli-

Religione steterunt, quorum princeps *Stephanus* erat cognomento *Auxentianus.* Nihil non egerat Copronymus, ut hunc in suas partes pertraheret. Constantinus pseudo-patriarcha cum ad illum venisset, pluribus sibi associatis Episcopis, ut illum auctoritate istius concilii, de quo modo dictum est, permoveret ad cultum abjiciendum Imaginum; is Concilium hoc ita refutavit, ut Episcopi Iconoclastæ, qui ad eum revincendum venerant, pudore suffusi discesserint. Missus in Proconesum in exilium, cum Deus per illum multa miracula patrasset in confirmationem cultus sacrarum Imaginum, atque ægri, variisque morbis affecti subitam sanitatem recuperassent, imaginem Christi, aut Beatissimæ Viginis eo offerente, osculati, atque idcirco revocatus esset, ipsi Imperatori in faciem impietatem, quam adversus Imagines exerceret, declaravit argumento, quo nihil poterat esse luculentius, numum protrahens habentem effigiem Copronymi, et quærens ex ipso, num ferret, si quis hunc pedibus conculcasset, et ei responsum fuisset, graves omnino poenas daturum. Dehinc primum in carcerem missus, in quo reperit monachos trecentos quadraginta duos, alios aliis membris mutilatos propter causam Imaginum, cum quibus ac si in monasterio suo essent Dei laudes cantabat; demum fustibus contusus, et fune ad pedem ligato per plateas raptatus, titioneque in capite percussus, ut cerebrum efflueret, glorioso martyrio pro defensione Imaginum perfunctus est. Copronymus non solum Iconoclasta fuit, verum etiam Nestorianus. *Constantinum* pseudo-patriarcham, quia non erat nactus sibi in dogmate Nestorii consentientem, in exilium deportandum curaverat: ubi vero is evulgaverat, Copronymum hære-

si esse affectum Nestoriana. Quamobrem Constantinopolim reductus, primum ita cæsus est publice, ut pedibus consistere non posset; deinde de gradu dignitatis dejectus, et barba, capillis, superciliisque rasis in asino, facie ad caudam versa, eamque tenens, in circo circumductus inter sordes, et sputa in se conjecta, ad extremum capite plexus est. Nec *Copronymum* ultio Divina diu morata est. Anno 1775. morbo, quem carbunculum vocant, correptus est, atque inter horrendos ejulatus, se jam vivum igni traditum esse inextinguibili propter Mariam, jubens eam exin honorari, ut Deiparam, efflavit animam. *pag.* 301.

§. 32. Copronymo filius *Leo* IV. successit in Imperio. Aliquamdiu ostenderat se bene affectum erga sacras Imagines et ipsos etiam Monachos, qui Imaginum defensores erant in Oriente præcipui. Simulatum vero istud nonnisi fuit, qui Irenem conjugem sub cujus pulvino repererat duas Imagines, tametsi ipsa insciente, quidam ex aulicis illas eo collocassent, idcirco a se repudiaverit, aulicos vero illos supplicio addixerit. Jam anno Imperii quinto decessit. Coronam admodum pretiosam, et gemmis insignem ex Ecclesia sustulit, ut ipse eam gestaret: confestim vero, ut eam capiti suo imposuerat, ex eo carbunculi ebullierunt, febrique vehementi correptus est. *Irenes* cum filio Constantino, annos nonnisi duodecim nato Imperii suscepit administrationem. Paulus Episcopus Constantinopolitanus, cum in morbum incidisset, renunciavit Episcopatui, et ad monasterium pergens factus est monachus. Imperatrix cum filio ad eum venit, et causam ex eo quæsivit istius facti. Ille vero lacrymis perfusus

sus: Utinam, inquit, numquam sedissem in throno Ecclesiæ, rescissæ ab aliis, et tam Imperatrici, quam Patriciis, qui pariter ad eum invisendum venerant, dixit, nisi errorem correxerint, ne sibi ullam salutis spem facerent. Ex eodem morbo Paulus cum paulo post mortuus fuisset, *Tarsius* in ejus locum electus est. Erat tantummodo laicus. Quamobrem excusabat se, cui laico fas non sit adscendere ad Episcopatum: cum tamen urgeretur, se non aliter consensurum dixit, nisi ad reconciliandam Ecclesiam Constantinopolitanam cum Romana œcunenicum institutum esset concilium. Itaque epistolæ tam ab Imperatoribus, quam a Tarasio mittuntur ad Romanum Pontificem istius œcumenici concilii causa. *Hadrianus* I. hoc tempore erat Pontifex. Is rescripsit cum magno gaudio, a se destinatos esse legatos ad Concilium, in quo vero omnium primo Pseudo-syllogus ille (pseudo-synodus) sine Apostolica Sede adversum Patrum traditionem contra divinas Imagines habitus, anathematizandus sit, atque Imagines tam in Regia urbe (Constantinopoli) quam etiam alibi in pristinum restituendæ statum. Missi erant legati Petrus Archipresbyter Rom. Ecclesiæ, et Petrus Abbas. An. 786. die 17. Augusti Constantinopoli cum Episcopi convenissent in Ecclesiam SS. Apostolorum ad agendum Concilium, irruperunt strictis gladiis milites in eamdem Ecclesiam conducti ab Episcopis Iconoclastis, mortem Episcopis minitantes, nisi desisterent: nullo enim opus esse concilio. Idem cum fecissent altera die, Imperatores cedendum rati, Episcopos etiam ex Urbe recedere jusserunt. Deinde vero paulo post illos milites miserunt in expeditionem quasi adversus Saracenos, fines Imperii incursantes. Postquam ad

cer-

certum spatium progressi fuissent, jussi sunt arma deponere, et abire quisque in patriam suam. Tumque denuo convocati sunt Episcopi, sed jam Nicæam, ubi anno subsequenti die 24. Septemb. inchoatum est *Concilium.*

Affuerunt Episcopi 350. juxta Photium 377. Episcopi, qui participes illius pseudo-synodi sub Copronymo habiti erant, non ante recepti ad consessum sunt, quam veniam suppliciter petiissent, fidei suæ professionem scriptam obtulissent, et anathema dixissent Imaginum adversariis. Lectæ sunt deinde epistolæ Hadriani ad Imperatores, et ad Tarasium, in quibus exposita est doctrina Orthodoxa de cultu sacrarum Imaginum. Qua finita lectione Legati Romani Pontificis quæsiverunt primum ex Tarasio, deinde ex Episcopis totius Synodi, an suscipiant literas sanctissimi Papæ senioris Romæ. Confessus est istud primo Tarasius de se, et post hunc idem etiam de se ceteri omnes. Producta sunt deinde, et allata in medium testimonia tam Scripturæ sacræ, quam Patrum, atque his demonstratus cultus, nec non miracula quoque memorata, quibus Deus cultum, qui exhibetur sacris Imaginibus, comprobaverit. Lecta quoque postea illa pseudo-synodus est, sub Copronymo habita, et quæ Iconomachorum in ea erant argutiæ retusæ sunt; cumque illi reprobatis omnibus, ipsius etiam Christi aliis imaginibus, quod in his Christus secundum substantiam suam non existeret, in sola Eucharistia posuissent esse imaginem Christi; Synodus docuit, et hoc perperam esse ab illis dictum. Nam incruentum sacrificium non esse imaginem, sed ipsum corpus, atque ipsum sangvinem Christi. In definitione, quæ facta a Concilio est de figura Crucis Christi, et sacris Imaginibus honoran-

randis expresse est positum, istud spectare ad honorariam tantum his adorationem tribuendam non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, et quæ solam divinam naturam decet, impertiendam. His vero exhiberi honorem, eo, quod Imaginis honor ad primitivum transeat, et qui adorat imaginem, adoret in ea depicti subsistentiam. Acclamatum est huic definitioni ab universa Synodo: *Omnes ita credimus. Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc fides Orthodoxorum. Qui sic non sentiunt, procul de Ecclesia pellantur.*

§. 33. *Felix*, et *Elipandus* Episcopi in Hispania, iste Toletanus, ille Urgellitanus sua disquisitione, num Christus, quatenus homo est, credi deberet proprius Dei filius, vel tantum adoptivus, in hanc alteram partem delapsi sunt, ut assererent, Christum, ut hominem, esse Dei filium solummodo adoptivum. Dum igitur Christum ponerent et Dei proprium filium, et adoptivum, in dogma Nestorii inciderunt in Christo ponendo duos Dei filios, alterum proprium, alterum adoptivum, ac proinde duas etiam personas. Namque Christus una nonnisi persona est, eaque divina, quæ et ex Deo genita ab æterno est, Deus de Deo, et rursus in tempore ex homine matre, unde is, qui æternus Dei filius, idem etiam hominis filius est, non duo filii, proprius, et adoptivus. Multos isto suo errore infecerant in Hispania. Habita sunt idcirco aliquot concilia, primum Ratisbonæ, deinde Francofurti ad Moenum, Romæ quoque, eorumque error ubique damnatus. Felix bis ejuravit errorem. An non tamen iterum relapsus sit in eumdum, scheda post ejus mortem reperta, ipsius manu

scri-

scripta, dedit locum suspicioni. Elipandum in extrema jam ætate resipuisse, aliqui perhibent scriptores, sed non coævi, nec fulti aliquo teste.

In *Francofordiensi* Concilio Episcoporum circiter tercentenorum ex Germania, Gallia, et Italia, a. 794. ex non accurata versione Concilii Nicæni II. iidem Episcopi putantes, statutum esse factum a Nicæno hoc concilio, ut adoratio eadem imaginibus Sanctorum impendatur, quæ Deificæ Trinitati, renitebantur eidem statuto. Hadrianus Papa, Carolum M. cujns opera concilium illud erat celebratum, edocuit melius. Ita res compositæ sunt. *pag.* 329.

§. 34. Post Irenem, et Constantinum ejus filium Nicephorus, Michael, *Leo V. Armenus*, alius post alium, fuerunt Orientis Imperatores. Leo fuit Iconoclasta, et *bellum*, adjutoribus Sabbatio, Joanne Leconomanta et Antonio Episcopo Silæi in Arabia adversus Imagines *instauravit.* Præmissa ab Iconoclastis erat jam insignis nequitia. Instabat bellum adversus Bulgaros, Constantinopoli ad prosperum successum armorum a Deo exorandum instituta est supplicatio. In hac dum ventum esset ad Ecclesiam Apostolorum *Iconoclastæ* occulta machinatione fecerunt, ut porta ad cryptam, in qua conditum erat Copronymi corpus, itemque aliorum Imperatorum repente cum magno fragore aperiretur. Iconoclastæ autem ad eandem cryptam irruperunt, et ante tumbam Copronymi prostrati eum invocaruut, ut Urbi adversus Bulgaros opem ferret, insuper sparserunt, visum esse eumdem Copronymum, equo insidentem, et cursu tendentem in Bulgaros. Ii vero, qui hanc sce-

scenam adornarunt a Præfecto Urbis in quæstionem sumpti, et astutiam suam confessi, verberibus mulctati sunt. Leo, qua mente erga Imagines esset, post victoriam a Bulgaris relatam incepit prodere. Primum Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum tentaverat. Hunc nactus sibi contrarium, Episcopos, et Abbates Constantinopolim vocavit plures. Exposuit coram istis causam, ob quam eos convocaverit, nimirum, an fas esset, cultum exhibere Imaginibus, et questus est, ipsos in causa esse, quo minus pace frui posset Ecclesia. *Tu*, Patriarcha reposuit, *noli manum porrigere prostratæ hæresi, et pacem habebit Ecclesia*, ac deinde ad Proceres, qui multi aderant, se vertens, *Dicite mihi,* ait, potest ne illud tolli quod non fuit? iterumque, *Sunt ne Leonis, et Constantini Isaurorum tempore Imagines dejectæ?* cumque illi annuissent, *Igitur*, ait Patriarcha, *Imagines prius steterunt.* Imperator vero simulabat, neque se alienum esse ab Imaginibus, atque etiam unam e sinu protractam osculatus est. Unius autem solummodo momenti fuit hæc simulatio. Nam cum ceteri etiam pro Imaginibus locuti fuissent, omnes e palatio e vestigio expulit. Interdictum iisdem deinde est, ne de Fide inter se conferrent, sed prorsus tacerent. Hoc cum observassent ceteri, ipse etiam Patriarcha Nicephorus, Theodorus Studita Abbas, cujus hoc tempore et eruditio, et constantia enituit maxime, negavit liberum esse in Fidei causa tacere, atque ceteros etiam a silentio revocavit.

Leo persecutionem adversus Imagines orsus in *Nicephoro* est, quem in exilium egit, inmisso in ejus locum Theodoto: atque hoc deinde patri-

ar-

archa, et præside instituit Episcoporum Concilium: quorum plerique subterfugerunt venire. Qui autem venerunt, et in sententiam Imperatoris noluerunt ire, pedibus conculcati, consputi, pugnisque contusi ejecti sunt. Fit decretum de abrogandis Imaginibus, et statutum confirmatur factum ab Synodo Copronymi. Fit impetus deinde in Imagines. Episcopi Orthodoxi ejiciuntur e suis Sedibus, aliique imponuntur: nec tantum Clerici et monachi, verum etiam laici orthodoxi utriusque sexus raptantur ad carceres, fame, siti, aliisque tormentis urgentur ad abnegandas Imagines, et quorum constantia frangi non potuit alii gladio percutiuntur, alii culeis insuti ad mare præcipitantur. Inter hæc autem in festo Palmarum *Theodorus Studita* sic processit ad supplicationem, ut ipse, ejusque monachi Imagines gestantes manibus, cœnobium suum circumiverint. Missus est in exilium. Abstinuit enim Leo ab eo occidendo, ne coleretur, ut martyr: attamen satellites identidem immiserat, qui usque etiam trecentenos flagellorum ictus ei infligerent. Leo, ob sævitiam etiam in alios a conjuratis in Ecclesia in festo Natalis Domini cum ad altare confugisset, et Crucem apprehendisset, amputato etiam brachio, occisus est. *Michael II.* qui præerat exercitui, eadem adhuc die evectus ad Imperatoriam dignitatem est; qui et ipse Iconoclasta, initio se tamen Orthodoxis bene affectum simulans, eos qui Imaginum causa vel in carceribus tenebantur, vel exilium patiebantur, pœna solvit: sed postea easdem illas acerbitates renovavit, quas Leo exercuerat, et Copronymus. Anno 842. decessit. Michaelem filium hæredem habuit, sed nonnisi triennem Hujus tutores cum Theodora Imperatrice, quæ semper cultui Imagi-

gi-

ginum erat addicta, sed occulte, eumdem *cultum* Imaginibus *restituerunt* Joanne Leconomanta, cujus jam mentio facta est, ejecto ex Patriarchali Sede ad quam erat intrusus, et Methodio ad hanc dignitatem evecto, qui ob cultum Imaginum a Michaele sexcentos flagellorum ictus uno tempore acceperat, et usque ad mortem ejusdem Michaelis in carcere cum latronibus tenebatur. Restitutio Imaginum peracta est Constantinopoli insigni apparatu, et magna celebritate. Græci in ejus memoriam quotannis etiam diem festum agunt. Hæc adversum Imagines procella duravit annos fere centum, et viginti. Dum autem in Oriente sedata esset, adhuc eam in Occidente *Claudius* Episcopus Taurinensis excitabat, et Imagines ex Ecclesiis exturbabat, etiam scriptis suis earum cultum oppugnans, et in ipsam etiam Crucem Christi, quod neque Iconoclastæ Orientales fecerant, cavillis insurgens. *pag.* 333.

§. 35. *Franci* Reges habuerunt e stirpe Merovingica usque ad *Childericum* III. Hunc a. 750. [a]) exauctoraverunt, Regiamque dignitatem in *Pipinum* Majorem Domus, id est, Præfectum aulæ Regiæ, apud quem jam multo tempore omnis residebat potestas, Rege solum nomen Regis gerente. Franci istud facturi, feruntur Burchardum Episcopum Herbipol. et Fulradum Presbyterum misisse ad *Zachariam* Papam, et interrogasse, quemnam e duobus potiore jure deberent pro suo Rege habere, eumne, qui nihil, vel qui negotia regni omnia ageret, Zachariam vero Papam mandavisse, ut melius esset, illum

---

a) In hujus Part. II. isto §pho 35. annus 752. de Childerico exauctorato est mendose positus.

Regem vocari, qui potestatem haberet, quam illum, qui sine potestate Regali manebat: atque ita Pipinum Apostolica auctoritate factum esse Regem. Sic istud est scriptum in Annalibus Loisellianis. Eginhardus autem in Vita Caroli M. qui filius erat Pipini, cui Carolo etiam a consiliis erat dicit, jussu Stephani Romani Pontificis (intelligitur Stephanus hujus nominis secundus, a quibusdam etiam dictus tertius) Childericum depositum, ac detonsum, atque in monasterium trusum esse. Qui alii de hoc scripserunt, istorum fontes Annales Loiselliani, et Eginhardus fuerunt. Jam vero hi etiam duo fontes inter se discrepant in nomine Romani Pontificis, cujus auctoritas sit petita ad Childericum Regia dignitate exuendum. Equidem Annalibus, qui persæpe ex rumoribus sunt collecti, anteponendus esset Eginhardus. At vero etiam Stephanus, quem iste pro Zacharia habet, Pontificatum adeptus est nonnisi altero anno post Childericum jam e Regia dignitate depositum. Anastasius Bibliothecarius, et Theophanes docent, Pipinum Regem Francorum, a Stephano Papa petiisse absolutionem perjurii sui, adversus fidem agendo, qua obstrictus tenebatur erga Childericum Regem, dum se ad illius regiam posuisset dignitatem. Itaque tam Annalium Loisellianorum auctor, quam Eginhardus, ut famæ studerent non tantum Pipini, verum etiam Caroli M. ne etiam in hunc ab ejus patre macula aliqua transiret, in eam formam, quæ dicta est transformarunt narrationem, ut rem factam a Pipino honestarent consensu in eam obtento a Romano Pontifice.

Huic Pipino, et Carolo M. ejus filio in acceptis debet Ecclesia Romana *Patrimonium S. Pe-*

Petri. Longobardi in Italia pergebant semper ulterius protendere ditionem suam, tendebantque ad ipsam etiam Romam occupandam omnia ferro, atque igne vastantes. Nihil spei erat adversum hos, et ad tuendam Italiam ab Imperatoribus Constantinopolitanis. Quamobrem Stephanus Papa, idem ille, cujus jam facta mentio est, se vertit ad Pipinum. *Aistulphus* erat id temporis Rex Longobardorum. Qui victus a Pipino cum pacem rupisset, nec illius conditiones servasset, imo etiam Romam rursus obsedisset, jamque illius etiam suburbia devastasset, et omnia caedibus implevisset ejusmodi furore, ut ne infantibus quidem pepercerit, nec Ecclesiis, quas incendio consumpsit, ipsumque Romanum Pontificem destinasset sufferre e medio; Pipinus invocatus rursus expedivit arma adversus Aistulphum, victumque adegit ad ea omnia restituenda, quæ decerpserat ex Imperio his bellis, quæ recenter commoverat. Ista vero omnia Pipinus donavit S. Petro, et Romanæ Ecclesiæ a. 755. In hujus vero donationis vicem Stephanus Papa Pipinum creavit Patricium Romanum. Aistulphus, antequam promissionem exsolvisset, anno subsequente ex equo inter venandum delapsus, mortem obiit. *Desiderius* Dux Thusciæ se Longobardorum Regem posuit. Hunc vero *Carolus* Pipini filius cum neque ipse conditiones implere voluisset, a Pipino Aistulpho præscriptas, rebus omnibus suis exuit, et ad monasterium redegit, ea, quæ erant donata a Pipino, Romano Pontifici tradidit, et eamdem donationem suo etiam diplomate confirmavit. Italiam reliquam, quæ in Longobardorum ditione erat, sibi retinuit, Rex Longobardorum exinde etiam dictus. *pag.* 350.

§. 36. Hadriano I. Papæ hæc facta confirmatio est a Carolo. Hadriano *Leo III.* in Pontificatu successit, qui statim ut factus Pontifex est, Claves Confessionis S. Petri, et vexillum urbis Romæ misit Carolo, petiitque ab eo, ut mitteret quempiam, qui populum Romanum ad suam fidem, et subjectionem firmaret. Dignitas *Patricii Romani* conjunctam sibi habebat tuitionem Romanæ Ecclesiæ, cui proinde velut tutori, ut suam fidem obstringerent Romani, erat voluntatis ipsius etiam Romani Pontificis. Neque enim Pipinus, et Carolus, vel alii Francorum Reges Romam aliquando in sua ditione habuerunt, neque hæc Longobardis erepta est, quam quidem concupiverint, sed sub suam potestatem numquam redigere potuerint. Itaque neque Roma inter ea fuit, quæ sunt Romano Pontifici a Pipino, et Carolo donata, sed Romani derelicti ab Imperatoribus Orientis, et insuper exasperati adversum eos ob ea, quæ egerant adversus Imaginum cultum, et quas minas jactaverant contra Romam, ipsumque Romanum Pontificem, in hujus se fidem, sponte, et ultro contulerunt.

Leo aggressionem atrocem Romæ perpessus, sed ex ea ereptus, ad Carolum Regem Francorum concessit: nec diu apud eum moratus Romam reversus est, quem secutus est Carolus non multo post de facinorosis quæstionem habiturus. Hi, ut facinori suo aliquid prætenderent, enormia crimina in Leonem contulerunt. Fecit Carolus, ut complures Episcopi, et Abbates in basilicam S. Petri convenirent investigandi causa, num illa vera essent, quæ essent allata adversus Leonem. At vero hi uno ore responderunt, sibi fas non esse Apostolicam Sedem, quæ caput est omni-

omnium Ecclesiarum, judicare. Ego autem, inquit Leo, paratus sum de his me falsis criminibus purgare, et sequenti die in eadem Ecclesia conscendit ambonem, et Evangeliis capiti suo impositis juravit, se illorum criminum sibi conscium non esse: istud vero testimonium se præstitisse non lege ad hoc aliqua obstrictum, neque ut successoribus suis hinc legem faciat, sed solummodo, ut eos suspicione liberet, apud quos in eam incidisset. Hoc autem actum est initio mensis Decemb. a. 800. Die autem Natalis Domini idem Leo in eadem basilica S. Petri Caroli, nihil ejusmodi cogitantis capiti *coronam* pretiosissimam *imposuit*, sacro oleo unxit, et veste Imperatoria induit, universa multitudine acclamante: *Carolo Piissimo, Augusto, a Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori vita, et victoria.* Carolus vero in nomine Christi spopondit, se protectorem, ac defensorem futurum sanctæ Romanæ Ecclesiæ. *Quaestio* hic institui solet, Leo quo jure Carolum creaverit Imperatorem, quæ dignitas in Occidente desierat in Augustulo a. 476. Penes Senatum, populumque Romanum erat et stante Republica magistratus mandare iis, quibus volebat, idemque, postquam Respublica conversa est in Imperium, Imperatoribus tribuebat Imperium, aut saltem suum consensum dabat, dum exercitus jus Imperatoris constituendi sibi arrogassent, nec Senatus contradicere ausus esset. Hoc jus, quod olim erat in Senatu, populoque Romano, vel etiam in exercitu, venit ad Romanum Pontificem, simul atque is caput urbis Romæ, etiam quoad politicam potestatem factus esset. Isto igitur jure revexit, et exercuit auctoritatem creandi Romanorum Imperatorem, quin tamen proprietatem, et possessio-

sionem urbis Romæ etiam una transtulerit in Carolum, quam nullus unquam Rex Francorum habuit: sed cum Carolus sub suum Imperatorium nomen sumpsisset regna Franciæ, Germaniæ, et Longobardorum, refloruit etiam Romanum Imperium in Occidente, siquidem ista regna olim etiam fuerint pars ejusdem Romani Imperii. *pag.* 361.

§. 37. Sub eodem Leone III. Papa in Concilio Ratisbonæ habito actum est de *Chorepiscopis*, et deliberatum, utrum functiones per eos factæ Episcopales vim haberent, qui non tantum Confirmationis sacramentum sibi sumpsissent administrare, verum etiam Presbyteros ordinare: cumque quæstionis istius decidendæ causa Arno Archiepiscopus Salisburgensis Romam ab hoc Concilio ad Leonem Papam missus fuisset, Pontifex respondit, non valere, et jussit ordinationes per Chorepiscopos factas, itemque Ecclesiarum dedicationes, denuo per Episcopos fieri. Hi Chorepiscopi, erant nonnisi ordinatione Presbyteri, in locis ruralibus constituti: quibus cum Episcopi quædam munia sui officii commisissent; illi ipsas etiam ordinationes Clericorum usurpare cœperunt. Erant tamen etiam *Chorepiscopi* quidam consecrati Episcopi. Tales erant Episcopi, qui e schismate Novatiano ad Ecclesiam redeuntes juxta Canonem 8. Concilii Nicæni I. collocabantur in alio extra civitatem, in qua Episcopus residebat, loco, dicti Chorepiscopi. Talis erat etiam *Armentarius*, quem, cum Embroduni in Gallia a. 439. duo Episcopi absque consensu Metropolitani Episcopum ordinassent, Episcopi Galliæ in concilio Rejensi velut contra Canones ordinatum ab Episcopatu amoverunt, id-

que

que solummodo ei permiserunt, ut Chorepiscopus posset esse in aliqua rurali Ecclesia.

Idem Leo concesserat, ut *Symbolum Nicaenum* cantari posset in Ecclesiis Galliæ, et Hispaniæ: ubi vero ejus cantatio deinde facta est cum additione verborum: *Filioque* in eo Symboli loco, in quo professio de Spiritus sancti processione est. Hoc autem non probaverat idem Pontifex. Neque enim omnia, quæ creduntur, debere esse expresse posita in Symbolo. Et omnino si permissum esset Ecclesiis seorsim, facere additionem ad Symbolum, eadem forma professionis Fidei non maneret. Rem tamen jam introductam permisit, ne qua offensio populi sequeretur: in solo tantum sacello Regii palatii voluit Symbolum decantari sine illa additione, ut, quemadmodum sperabat, idem Symbolum absque additione iterum sensim hinc rediret ad alias etiam Ecclesias. Romæ vero Leo Symbolum absque additione incisum duabus tabulis argenteis, ad illud sic conservandum, quemadmodum venit a Patribus, jussit supra Confessionem S. Petri appendi in ejusdem S. Petri Ecclesia. *pag.* 370.

PARS

PARS III.

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICAE.

A SECULO IX. USQUE AD SECULUM XII.

§. 1. Leoni III. in Pontificatu successit Stephanus IV. huic Paschalis, Paschali Eugenius II. In hujus electione, ut sæpe jam alias, cum dissensiones, et turbæ exortæ fuissent, ad easque sedandas Ludovicus Imp. Lotharium filium, Italiæ Regem Romam misisset, *statutum* deinde factum est ad eadem incommoda inposterum præcavenda, Eugenio etiam consentiente; ut omnium primo Clerus, et populus Romanus jusjurandum det de fidelitate servanda Imperatori, istudque electus deinde Pontifex mittat Imperatori, electus autem ipso Imperatore præsente, aut ejus legato consecretur. Nec tamen ista semper observata sunt, et jam Valentinus, qui Eugenio suc-

ces-

cessit in Pontificatu, consecratus est non exspectato Imperatore, vel ejus legato, ut consecrationi adesset.

Obtinebat hoc tempore, ut suam *probaret innocentiam* is, qui vocatus in crimen erat, vel per aquam frigidam, aut bullientem, vel per ferrum candens, vel stando ad crucem, vel etiam per duellum. Ex quibusdam membranis antiquis Mabillonius ritus per aquam frigidam probandi innocentiam *Eugenium* fecerat auctorem. Hæ autem membranæ, nullius certi auctoris, non sunt fide dignæ et eo minus, quod eædem primo dicant, Eugenium etiam abrogasse jusjurandum in judiciis, ne fortasse accusatus, istud dans, pejeraret, eumdem tamen jussisse, Eucharistiam accusato præberi, si is suam innocentiam vellet probare ista ratione. Nam qui perjurium præcautum esse voluisset, eo minus Christi corpus exponi jussisset periculo indignæ sumptionis. Sunt tamen exempla de successu ejusmodi probationis in Petro, cognomento Ignito, in B. Cunegunde S. Henrici Imp. conjuge. *pag.* 1.

§. 2. *Gotteschalcus* e Saxonibus oriundus, sub Rabano Mauro Abbate, factus monachus lectioni SS. Augustini, et Fulgentii magnopere deditus, cognitionem, quam hauserat, amabat jactare ad disputandum secum provocando alios. Romam cum peregrinatus fuisset, deinde apud Eberardum Comitem Forojuliensem diversabatur. Ibi præsente Notingo Episcopo cum more suo etiam disputasset de *Praedestinatione*, istamque geminam asseruisset aliorum ad vitam æternam, aliorum ad æterna supplicia, neque eidem Notingo visus esset istud orthodoxe

asse-

asseruisse, ab hoc delatus est ad Rabanum Maurum jam tum Archiepiscopum Moguntinum. Gotteschalcus ab Eberardo discedens, postquam Dalmatiam, Pannoniam, et Noricum peragrasset, Moguntiam venerat. Quem Rabanus nactus in suam potestatem, habito Episcoporum concilio fidei suæ rationem reddere jussit. Ille in libello, quem obtulit, geminam prædestinationem professus est: *Quia*, inquit, *sicut Deus incommutabilis ante mundi constitutionem omnes electos suos incommutabiliter per gratuitam gratiam suam prædestinavit ad vitam æternam; similiter omnino omnes reprobos, qui in die Judicii damnabuntur, propter ipsorum mala merita, idem ipse incommutabilis Deus per justum judicium suum incommutabiliter prædestinavit in mortem sempiternam.* Gotteschalcus damnatus est in hoc judicio, et missus ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, ad cujus jurisdictionem spectabat. A quo rursus Carisiaci habito Episcoporum Concilio damnatus est, et eo usque deinde virgis affectus, donec sententiam suam ipse manu sua in ignem injecisset. In fidei suæ professione, Rabano oblata Gotteschalcus professus est, Deum reprobos, qui in die judicii damnabuntur, propter ipsorum mala merita prædestinasse in mortem sempiternam. Intelligitur itaque decretum, quod Deus etiam æternum fecerit de improbis damnandis propter ipsorum mala merita, quæ prævidit. Quamobrem S. Remigius Episcopus Lugdunensis de eodem Gotteschalco: *Videtur nobis*, ait, *sine dubio, quod illa, quæ de divina prædestinatione dixit, juxta regulam Catholicæ fidei vera sint. - - - Et ideo in hac re dolemus non hunc miserabilem, sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam.* Illius defensionem susceperat etiam Lupus Abbas Ferra-

rien-

riensis, et Ratramnus Corbejensis. Igitur et a Rabano, et ab Hincmaro res in Gotteschalcum acta est non considerate, et præcipiti judicio: atque Hincmarus ipse potius dum adversatur Gotteschalco, incidit in assertiones, quæ deinde meruerint in Valentino concilio a. 855. condemnari. Gotteschalcus, postquam annis 20 tentus fuisset in carcere, in eodem etiam obiit. *pag.* 6.

§. 3. Inter Leonem IV. Papam, qui a. 855. vita functus est, et Benedictum III. Marianus Scotus, et Martinus Polonus in suis Chronicis, quos deinde etiam quidam alii secuti sunt, habent *Joannam Papissam* in sede Pontificia Romæ positam. Hæc iisdem auctoribus dicitur Moguntiæ nata, et in veste virili a suo amatore Athenas ducta, ibique scientiis exculta, et cum inde reversa esset, Romæ ad Clerum assumpta, ac deinde etiam Pontifex electa esse: cujus vero sexus se prodiderit, dum in supplicatione publica prolem enixa esset susceptam ab eodem amasio. Hæc vero nonnisi fabella est, quam etsi initio appetierint, nunc jam etiam ipsi Protestantes abjiciant. Nam primo ambo isti auctores primi, nonnisi circa finem seculi decimi tertii vixerunt, nec ullum afferunt vetustiorem auctorem: deinde ii istorum codices, in quibus res hæc posita est, sunt hocce in loco interpolati. Id, quod Leo Allatius ex aliis vetustis codicibus bibliothecæ Vaticanæ, et Lambecius ex Vindobonensis bibliothecæ luculentum fecit. Hæc Joanna deinde ponitur sedisse in Sede Pontificia annos duos, menses quinque, dies quatuor. At vero eodem anno quo Leo decessit, Benedictum III. factum esse Pontificem, certum fit testimoniis Scriptorum aliorum, et quod novissime etiam ex numo Benedicti III. liquido de-

mon-

monstravit Josephus Garampi Cardinalis. *pag.* 13.

§. 4. Aliæ post alias fuerunt identidem, quemadmodum hactenus vidimus, tempestates exortæ in Oriente: nulla tamen tam sæva, et qua Ecclesia Orientalis tamdiu mansisset prostrata, erat, quam ea, quæ hoc tempore nova coorta est. *Ignatius* Methodio in Episcopatu Constantinopolitano successit. a. 847. Hic suæ consecrationi adesse noluit *Gregorium* Episcopum Syracusanum de criminibus accusatum, et de quo facturus erat judicium. *Bardas* Theodoræ Imperatricis frater, et a Michaele III. Imperatore Cæsaris dignitate exornatus, repudiata uxore cum nuru sua inceste vivebat ad omnium notitiam. Hunc Ignatius sæpius admonitum accessu ad Sacram mensam prohibuit. Hinc ambo isti irati statuerunt Ignatium ex Episcopatu deturbare. Bardæ facile erat Michaelem Imperatorem, juvenem dissolutissimis moribus, et nullius reverentiæ erga Religionem, qui sanctissimas illius cærimonias per suos cinædos in scena juberet repræsentari, flectere, quo vellet, et qui ipse etiam ideo irasceretur Ignatio, quod Theodoræ Augustæ, quam matrem suam ad monasterium retruserat, capillum utpote invitæ, scindere noluerit. *Evocantur Episcopi* Constantinopolim ad alium Episcopum eligendum. Hoc illi negant se posse facere nullam habendo causam. Agit cum his Bardas, ut Ignatium inducant ad cedendum sponte Episcopatu, cuique illorum seorsim si hoc factum esset, promittendo Constantinopolitanum Episcopatum. Cum neque hoc successisset, Imperator per seipsum abrogat Episcopatum Ignatio, et *Photium* ad hunc designat, qui ei a secre-

tis

tis erat, hominem apprime doctum, sed versutissimum, et iis moribus, qui se deinde adhuc exhibebunt. Erat tantummodo laicus. Gregorius Syracusanus ipsum ordinavit. Episcopi ceteri, exceptis paucis, consenserunt in Photii ordinationem, sed accepta sponsione a Photio, se illi honorem, velut patri, semper exhibiturum.

Viderat Photius, suum Episcopatum non futurum firmum nisi testimonium Ignatii haberet de voluntaria cessione. Itaque amicos et familiares illius etiam verberibus, et vinculis cogere conatur ad illud ab Ignatio extorquendum. Ejusdem Photii hortatu Imperator servos Ignatii tormentis subjicit, et urget ad falsam confessionem, illum Imperio esse insidiatum. Quamvis autem nihil exprimi potuisset etiam a servis, tamen distentis pedibus per interjectos vectes conjicitur in carcerem. Episcopi his tantis injuriis, Ignatio illatis, concitati veniunt Constantinopolim, et anathemate feriunt Photium: quos vero ipse vicissim non solum anathemate percutit, sed etiam cæcidit flagris, idque publice cum dehonestatione ipsius etiam dignitatis Episcopalis, retrusit ad carceres, demum egit in exilium. Hac agendi ratione cum a se abalienasset quam plurimos, consilium iniit Romani Pontificis auctoritate seipsum stabiliendi in Episcopatu, sperans se se illum circumventurum suis artibus. Mittit *legatos* Romam ad *Nicolaum I.* Papam, et petit, ut legatos suos mitteret Constantinopolim Ecclesiæ corrigendæ causa: dicit, Ignatium ob senium, et valetudinem sponte dimisisse Episcopatum, sibi vero hunc invito et moerenti impositum esse. Etiam Imperator suas addidit literas: in quibus vero scriptum erat, Ignatium ob crimina depositum esse.

esse. Pontifex legatos misit Episcopos, *Rodoaldum* Portuensem, et *Zachariam* Anagniensem, ad investigandum, quomodo se res quoad Ignatium, et Photium haberent, sibique nunciandum. Legati, ubi Constantinopolim venerunt sic servabantur, ut nullam cum aliquo loquendi facultatem haberent: deinde iisdem nunciatur, nisi consensissent in ea, quæ Photius vellet, futurum, ut deportentur in exilium, et sic macerentur, ut putrefactis suis corporibus ad vermes edendos ex iis enatos adigantur. Hi postquam octo mensibus restitissent, deinde cesserunt. Cogitur Constantinopoli Episcoporum *Concilium*. In hoc exauctoratus est Ignatius. Is literas misit ad Romanum Pontificem subscriptas a decem Metropolitis, quindecim Episcopis, permultisque præterea Presbyteris, et monachis. Oecumenicam hanc Photius appellavit synodum, et post hunc Theodorus Balsamon: at vero Nicolaus I. Papa Latrocinalem, et conventum satanæ. *pag.* 17.

§. 5. Neque tamen *Photius* adhuc etiam huic synodo confidebat, tametsi eam habuerit pro synodo œcumenica. *Ignatium* per suos satellites curat ducendum ad *sepulcrum* Copronymi, ubi per duas septimanas sola interula tectus jam stare, jam jacere super pavimento strato marmore debuit, excruciatus etiam fame, et vigiliis, non permissus dormire, idque eo, ut testimonium det de sua spontanea cessione. Cum vinci non potuisset, supra tumbam Copronymi marmoream collocatus est, velut insidens equo, ad utrumque pedem appenso magni ponderis lapide. Ubi noctem sic transegisset, mane dejectus ex tumba est cum ejusmodi impetu, ut pavimentum ejus sangvine respersum sit: tumque satelli-

tum

tum unus arrepta ejus manu crucem in charta formavit. In hac Photius deinde superscripsit: *Ego Ignatius indignus Patriarcha Constantinopolitanus confiteor me ingressum sine decreto electionis, et his annis me tyrannice gessisse.* Remissus est postea ad suam domum. Nec tamen ista scheda adhuc erat contentus Photius. Petiit ab Imperatore, ut Ignatium jubeat duci ad Ecclesiam, ubi ex suggestu schedam illam ipse legat, ac deinde sibi anathema dicat; demum, ut ei oculi eruantur, et manus amputentur. Jam erat militibus obsessa ejus domus, in mancipii habitu, duabus sportis ad humeros appensis sub noctem egressus cum fefellisset milites, nactus naviculam ad insulas evasit, et in speluncis montium latitabat. Secutus est non multo post ingens terræ motus, qui dies quadraginta duravit. Nemo erat, qui hujus causam non adscripsisset rei actæ adversus Ignatium. Ipse Imperator, et Bardas terrore paventes jurarunt, nihil post hac molestiæ Ignatio eventurum, et promulgandum curarunt, ut securus e suis latebris prodiret.

Redierunt legati Constantinopolim a Nicolao Papa missi, allata quoque sunt Acta illius concilii: sed et literas ab Ignatio missas perceperat. Quamobrem idem Nicolaus, literis, quaqua versum datis ad omnes Episcopos, et Christi fideles, declaravit, se neque in depositionem Ignatii, nec in Photii ordinationem consensisse. *Photius* autem rursus hanc instituit *technam*. Subornavit quemdam Eustratium, veste monachi indutum, qui literas quasi a Romano Pontifice missas ferret ad se, plenasque optimi affectus erga se. Eustratius in quæstionem acceptus fraudem confessus est, et verberibus mulctatus, Photio nec quid-

quidquam pro eo deprecante. Dum autem istud non successisset, ad insigniorem adhuc excogitandam fraudem se vertit. *Confinxit Synodum* quasi oecumenicam cum subscriptionibus legatorum a tribus Patriarchis Orientis missorum et Episcoporum ad mille, maximam partem ponendo talia illorum nomina, quæ ipse tantummodo etiam finxerat. Induxit, pariter suo etiam nonnisi figmento, accusatores, qui ex Occidente venerint, et Nicolaum Papam accusaverint de criminibus, et quorum causa istius synodi judicium imploraverint: quo deinde judicio quasi facto anathemata projecit non tantum in Nicolaum, verum etiam in omnes, qui in illius communione perstarent. Nec tantum ad omnes Episcopos in omnes partes hanc suam synodum misit, verum etiam ad Ludovicum II. Imperatorem Occidentis, petens, ut is Nicolaum, velut a synodo damnatum, Imperatoria potestate sua expellat e Sede sua, data sponsione, se se illi, si quod petiit, præstitisset, etiam Imperium Orientis comparaturum. Non multum seu potius nihil profecit ista etiam sua scena. *Michael* Imperator Bardam sustulit, potestate insolescentem, sibique gravem factum opera *Basilii*, natione Armeni, quem deinde filium adoptaverat, et consortem Imperii fecerat: quem vero interficere volebat non ferens illius admonitiones. Michaelem vero Basilius præoccupavit, et interfecit, statimque altera die factus Imperator Photium e throno Episcopali ejecit, et Ignatium ad eam reposuit, nec non et legatos misit ad Romanum Pontificem, (mortuo Nicolao Hadrianus II. Pontificatum obtinebat) qui ei significarent, quid actum esset adversum Photium, et pro Ignatio. Iidem attulerant et illam confictam synodum Photii,

quam

quam Hadrianus Episcoporum instituto concilio una cum Photio, eique adhærentibus anathemate percussit. *pag.* 26.

§. 6. Ad res componendas, per Photium turbatas misit *Hadrianus Papa* legatos suos Donatum Episcopum Ostiensem, Stephanum Episcopum Nepesinum, et Marinum Diaconum. Postquam hi advenissent, magno honore a Clero, et populo sibi cum cereis obviam prodeunte, ab ipso etiam Imperatore cum osculo excepti, *Concilium* habitum est Constantinopoli a. 869. die 5. Octobr. Omnium primo legati Hadriani libellum proposuerunt, continentem condemnationem omnium hæresium, speciatimque Iconomachiæ, et damnationem Photii, neque alii, quam qui ei subscripserunt, admissi ad concilium sunt. Ii, qui palam Photii partes sequebantur, præ foribus stantes, supplicesque libellos offerentes veniam petebant, dicentes se vi adactos ad id, quod fecissent, et a Photio deceptos: hisque venia data est. Photius semel atque iterum introductus ad Concilium, oblata venia, si culpam voluisset suam recognoscere, respondit, ista sibi opus non esse. In hunc igitur, et in Gregorium Syracusanum, pariter contumacem, et plures alios ejusdem obstinationis jactum anathema est. Sub finem Concilii advenerunt etiam legati Ludovici II. Imperatoris ex Occidente, et Bulgarorum. Illi in causa matrimonii. Basilius enim Imperator Constantino filio suo petierat filiam Ludovici. Quod tamen effectum matrimonium non est. Michael Bulgarorum Rex recenter ad Christianam Religionem cum populo suo conversus, percontabatur, Bulgarorum Ecclesia cui Patriarchatui subesse deberet. Regio, quam Bul-

gari incolebant, erat Thessaliæ, et Dardaniæ pars spectantium ad Patriarchatum Occidentis. Attamen hi in Græcorum partem concesserunt deliniti eorum donis, et promissis. *pag.* 34.

§. 7. *Photius* actus in exilium post octo annos ad Imperatoris benevolentiam aditum sibi comparavit tali artificio. Composuit librum, in quo Basilii Imp. genus deduxit a Tiridate Rege Armeniæ usque ad ejus patrem in membrana antiquitatem præseferente, obscuritate verborum adhibita, imo etiam, ut res speciem cujusdam divini oraculi præberet, per nomen *Beclas*, quo Basilii Patrem designaverat, et quod ex literis primis compositum erat ipsius Basilii, Eudociæ uxoris, et quatuor filiorum, Constantini, Leonis, Alexandri, et Stephani: atque hunc librum per Theophanem præfectum Regiæ bibliothecæ quasi casu in bibliotheca repertum Basilio Imp. offerendum curavit: cumque iste Imperatori Photium laudasset, tanquam unum, qui hunc librum intelligere possit; Photius non tantum in Urbem revocatus, sed ad ipsam aulam etiam receptus est, et Basilii tanto erga eum affectu, ut cum Photius in eadem aula Episcopale munus exercere ausus esset, Ignatium, quod se ei in hoc opposuisset, statuerit etiam e medio sufferre. *Ignatio* autem paulo post *mortuo*, Photius illius etiam Sedem Episcopalem illico occupavit, deditque literas ad Joannem VIII. qui Hadriano II. successerat in Pontificatu, quibus prædicabat, se invitum, et vi adactum munus resumpsisse Episcopale: literas quoque misit omnium Metropolitanorum nomine scriptas, atque ipsius etiam Ignatii, quibus is quoque Romanum Pontificem oraverit, ut Photium sibi successorem fieri concede-

de-

deret. Quæ vero rursus omnia erant nonnisi conficta. Cum tamen ipse etiam Imperator pro Photio scripsisset, Pontifex assensum dedit, sed ea conditione, ut convocato Episcoporum *concilio*, in hoc Photius erratorum suorum veniam peteret. Erant jam Constantinopoli duo Episcopi, Paulus Aconitanus, et Eugenius Ostiensis, a Pontifice missi ad cognoscendum statum Orientalis Ecclesiæ: tertium adhuc post istos miserat Petrum Presbyterum cum literis ad Imperatorem, et ad Photium, et cum Commonitorio, quod Petro, et ceteris legatis erat a Pontifice datum. Photius legatos circumvenit, ut omnia ista ei committerent eum in finem, ut in lingvam Græcam transferret. Qui vero translationem hanc ita fecit, ut alia mutaverit, alia addiderit, alia omiserit, atque ubi Photii facta reprehendebantur, ibi ille suas laudes quasi a Pontifice sibi datas, substituerit, sed et illa conditio ut veniam peteret, et misericordiam imploraret in Concilio, quam præscripserat Pontifex, penitus ab eo suppressa est. Hæc Græca versio deinde lecta est in concilio. Insuper epistolam finxit sub nomine Joannis Papæ ex integro. In hac illum ponit scripsisse, sese illos cum Juda componere, qui Symbolo verba, *Filioque*, adderent, et pro schismatis auctoribus habere. Etiam vero *Acta* istius *Concilii* sunt nonnisi ingenio solius Photii concinnata, utpote in quibus talia sint, quibus legati Romani Pontificis suum consensum numquam adjecissent, quamvis ceteroquin nec diligenter, nec caute se gesserint: et quæ tamen ponuntur acta esse illis etiam suggerentibus, imo etiam ex voluntate, et sententia Joannis Papæ, quale est abrogatio, et condemnatio Concilii illius, in quo sub Hadriano II. damnatus est Photius, et statutum, ut

 quem-

quemadmodum eos, quos Romanus Pontifex excommunicasset, et Sacerdotali dignitate privasset, non deberet suscipere ad Communionem suam Patriarcha Constantinopolitanus, ita nec Romano Pontifici integrum sit facere hoc erga damnatos a Patriarcha Constantinopolitano. *Joannes Papa* postquam comperisset, res quomodo fuerint actæ, has omnes in irritum misit, anathema in Photium renovavit, et in omnes eos, qui communionem cum eo servarent, legatos quoque suos, quod male functi essent legationis munere, percussit anathemate. A *Graecis* communione disjunctis ab Ecclesia Romana, non illud sub Hadriano II. verum istud, de quo modo actum est, œcumenicum habetur concilium: neque tamen etiam istud factum est ab illis omnibus. Nam Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glycas, et Constantinus Manasses illud, non istud etiam in numero Conciliorum Oecumenicorum posuerunt. Erat in aula Basilii quidam Theodorus, cognomine *Santabarenus*, religione Manichæus, et magicis artibus deditus a Photio autem Episcopus ordinatus, atque illius commendatione Basilio percharus. Hic sua nequitia Leoni, filio Basilii jam Cæsari, quia ab eo objurgatus erat, quod Basilium suis fallaciis deciperet, atque ad absurda etiam induceret, carcerem comparaverat, in quo septem annis hæsit. Dimissus autem et a patre in gratiam receptus, statim ut ei a. 886. successit in Imperio, Photium ejecit e Sede Episcopali, et egit in exilium, in quo a. 891. mortuus est. Santabarenum quoque Leo flagris cæsum, et oculis privatum, relegavit. *pag.* 40.

§. 8. *Photius* fundamentum jecerat scissionis, quæ etiam hodie adhuc durat, Michael Ce-

Cerularius, istud pergebat confirmare: necdum tamen effecerat, ne Ecclesia Constantinopolitana, per Photium et se turbata in concordia, iterum, vel ut tempestate transacta, ad ejusdem concordiæ serenitatem rediret cum Ecclesia Romana: quin ipse Photius in omnibus suis rebus, dum semper quæsivit, auctoritate se fulcire Romani Pontificis, quamvis fraudibus quæsita, documenta dedit ejus, quæ est eminentiæ Romanæ Ecclesiæ in auctoritate supra Constantinopolitanam, et omnes alias totius orbis Ecclesias: utpote, ad quam propter potiorem principalitatem, ut S. Irenæus ait, necesse sit omnem convenire Ecclesiam. *Tu* enim, *es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sunt istius post Photium communionis Ecclesiæ Constantinopolitanæ cum Romana hæc clara *exempla.* Leo Imperator, postquam ejecisset Photium ex Episcopatu Constantinopolitano, Stephano fratri suo, qui a Photio erat ordinatus Diaconus, petiit a Romano Pontifice absolutionem anathematis, quod erat in eos omnes latum, qui erant a Photio ordinati. Idem Leo Imperator, cum prioribus uxoribus mortuis quartam duxisset, quod Orientalis Ecclesiæ legibus erat vetitum, causa delata est Romam, et Anastasius III. Pontifex respondit, licitum esse quartum inire connubium. Simeon, Bulgarorum Rex, gravi bello presserat Orientis Imperium. Joannes X. Pontifex legatos miserat ad Bulgariæ Regem, ut pacem conciliaret, et ne Christiani Christianorum sangvinem invicem funderent. Nicolaus, cognomento Mysticus, Patriarcha Constantinopolitanus cum literas, quas a Romano Pontifice attulerant legati, Simeoni transmisisset, eidem scripsit: *Romana, ac Constantinopolitana Ecclesia ita in unam, eamdemque*

coa-

coalita est fidem, ac consensionem; ut nihil amplius vetet, quo minus nos optatissima illorum communione, ac sanctificatione perfruamur. Romanus Imperator post obitum Nicolai ejusdem Mystici Theophylactum filium suum voluit habere Patriarcham: sed nondum erat matura ad hoc munus ætate: ut tamen posset consecrari, iterum erat petitum ab Joanne XI. R. P. Anno 1024. Eustathius Basilio II. Imperatore sibi suffragante, miserat legatos ad Joannem XIX. et petiit, ut Ecclesia Constantinopolitana, cujus erat Episcopus, œcumenica, quemadmodum Romana, diceretur. Non utique obtinuit: qua tamen petitione Patriarchæ Constantinopolitani declararunt, quamvis titulum œcumenici Patriarchæ jam sibi pridem arrogassent; tamen firmum id non futurum suo etiam sensu, donec Romanus Pontifex suo consensu ratum habuisset. Sed neque ista ambitio cum Primatu, quem Christus in uno Episcopo constituit, Petri in ejus Cathedra successore, consistere potest. *pag.* 52.

§. 9. *Cerularius* a. 1043. evasit ad Patriarchatum Constantinopolitanum: statimque lacessere cœpit Ecclesiam Romanam per epistolam, quam suo, et Leonis Acridani, Metropolitæ Bulgariæ, nomine scripserat, et miserat ad Joannem Episcopum Tranensem in Apulia. In hac Latinos carpebat, quod azymo pane uterentur in Sacrificio, quod sabbatis in Quadragesima jejunarent, quod carnibus suffocatorum animalium vescerentur, quod Alleluja in Quadragesima non cantarent. Constantinus, cognomine Monomachus quærebat opera Leonis IX. Papæ auxilium ab Henrico III. Imp. adversus Normannos, qui Apuliam in ejus ditione positam incursabant. Tam

igi-

igitur Imperator, quam etiam Cerularius (iste vero aliter, quam jussu Imperatoris) scripserunt Leoni, suumque etiam studium servandæ concordiæ cum Ecclesia Romana præseferentes. Leo jam habebat notitiam illius epistolæ, a Cerulario ad Joannem Tranensem datæ. Itaque legatos misit Constantinopolim Humbertum Cardinalem, Fridericum Rom. Eccl. Archidiaconum, et Petrum Archiepiscopum Amalphitanum ad dissidium, quod renascebatur, quo celerius dissipandum. Quid actum, et perfectum sit ea legatione, ipse *Humbertus* descripsit in suo de hoc argumento libro: in quo eodem etiam epistolam Cerularii ad Joannem Episcopum Tranensem confutavit. Eodem tempore *Nicetas* cognomine Pectoratus, monachus, librum ediderat ejusdem argumenti, cujus erat illa epistola Cerularii. Istum quoque librum refutavit Humbertus; cumque hanc refutationen Imperatori legisset, eo mandante, Nicetas librum suum in ignem projecit. Cerularius autem nequidem in colloquium cum legatis Romani Pontificis venire voluit: sed et jam prius Latinorum omnes Constantinopoli clauserat Ecclesias, et publicam persecutionem excitaverat in eos, qui participarent ex azymis. Quamobrem legati *Scriptum* in Ecclesia S. Sophiæ super altare majus *deposuerunt* præsente Clero, et populo. Scriptum hoc continebat: Quantum ad Columnas Imperii, et ejus honoratos, atque cives sapientes civitatem esse orthodoxam, et Christianissimam, quantum autem ad Michaelem Patriarcham, et ejus stultitiæ fautores nimia zizania hæresium quotidie seminari in ejus medio, speciatimque exposuerat, quod sicut Simoniaci donum Dei venderent, quod baptizatos in nomine SS. Trinitatis rebaptizarent, quod docerent,

ex-

excepta Græcorum Ecclesia, Christi Ecclesiam, et verum sacrificium, nec non et Baptismum ex toto mundo periisse, quod processionem Spiritus sancti a Filio abscidissent præter plura alia. Cerularius hocce scriptum corrupit, et simulans se paratum ad tractandum cum legatis venire, eos in Ecclesiam voluisset, per illud scriptum, a se vitiatum, concitaturus populum adversum eos. Hoc non concessit Imperator: et cum a legatis scriptum illud accepisset authenticum; fraudis et nequitiæ convicit Cerularium, illiusque amicos, et cognatos aulæ muneribus, quibus fungebantur, privavit.

Constantinus Monomachus eodem anno 1054. quo hæc gesta sunt, mortuus est. Zoe uxor post ejus mortem Imperium aliquamdiu administravit. Hæc morti propinqua ex aulicorum consilio Michaelem Stratioticum Patricium successorem nominavit. Adversus hunc quasi, quod rebus gerendis minus idoneus esset, seditio est facta, et *Isaac Comnenus* electus Imperator est, Cerulario, si non factionis auctore atque duce, certe priores partes in ea habente, qui deinde imperitare Comneno voluerit, et si ad ejus voluntatem se gerere nollet, solitus ei sit minari: *Ego te furne condidi, et ego te dejiciam.* Ut itaque sibi ab hoc præcaveret, ex Ecclesia, ad quam in suburbio ad festum Angelorum celebrandum iverat, rapi illum jussit, et in Proconesum abduci a. 1058. ubi jam subsequente anno mortem obiit. Post ejus obitum erat velut *miraculum* de eo vulgatum, quod dextra erecta ad benedicendum mortuus sit, atque in hoc situ eadem etiam postea perstiterit: quasi illius familiaribus, famam sanctimoniæ ei conciliare quærentibus, non pro-

cli-

clive esse potuisset, manum illius recenter mortui ad illum situm componere, et postquam obriguit, non naturale fuisset, ut eumdem situm retineret. Etsi vero nondum adhuc invaluisset dissidium Græcorum ab Romana Ecclesia, siquidem post Cerularium *Alexander* II. Papa habuerit suum apocrisiarium Constantinopoli, quod indicio est, perstitisse communionem; tamen in hoc dissidio semper ulterius itum deinde est. In *Barensi Concilio* a. 1099. cui Urbanus II. præsederat, ad quod etiam Græci erant vocati, jam his ita insederat persvasio de processione Spiritus sancti a solo Patre, ut Episcopos Latinæ Ecclesiæ etiam provocare ausi sint ad disputandum. Est vero dogma de processione Spiritus sancti a Patre, et Filio ita contra eos assertum, præcipue per S. Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem in Anglia; ut Episcopi Græci dati in ruborem sint, et obmutuerint. De iisdem Græcis ad unitatem Ecclesiæ revocandis est etiam deinceps actum, præcipue in Concilio generali Lugdunensi II. et Florentino: de quibus Conciliis adhuc postea tractabitur. *pag.* 60.

§. 10. Præter *Bulgaros* ad Religionem Christianam hoc tempore conversos, de quibus mentio jam facta est §. 6. plures adhuc, eæque magnæ gentes eamdem Religionem amplexæ sunt. *Bogoris* postea in Baptismo Michael nominatus, Bulgarorum Rex per sororem suam, quæ jam erat Christiana, perductus est ad Fidei lumen, non tamen prius, quam cum in dira fame, et pestilentia a Christo opem quærens, eam invenisset: cumque propterea, quod Christianus factus esset, sui eum occidere voluissent, cum solis quadraginta, qui ei fideles manserant, et præeunte

Cru-

Crucis signo rebellium multitudinem innumerabilem prostravit: quo facto Bulgari omnes se se dociles, et Regi dicto audientes præbuerunt. Idem eamdem Religionem restituit, cum Bulgari relabi in idolorum cultum cœpissent sub filio, in quem regnum transtulerat factus monachus.

Russi cum invasissent provincias Romani Imperii, ipsamque Constantinopolim jam obsidione cinxissent, et Constantinopolitani, instituta solenni supplicatione Dei auxilium imploravissent, et vi ingentis tempestatis Russorum tota fere classis periisset, deinde facta pace ad suscipiendum etiam Baptismum se paratos obtulerant. Attamen adhuc etiam postea omnia nutabant. *Basilius* Imp. a. 877. donis eos allicere, et sibi, suoque Imperio etiam per Religionem obstringere studebat. Hi misso ad se Episcopo ab *Ignatio* Patriarcha, promiserunt, se credituros in Christum, si miraculum aliquod vidissent, quæ a Christo patrata idem iste Episcopus ex Evangelio referebat, istudque speciatim in libro Evangelii, quem Episcopus manu tenebat, si in ignem positus, non combureretur, sibi dari petierunt. Quod cum factum esset, Russi Christianam Religionem susceperunt. Cum per Episcopum, Constantinopoli ad se missum adducti ad Religionem sint, iidem etiam sub Patriarchatu Constantinopolitano deinde erant. Unde intelligitur, quomodo in discidio Ecclesiæ Constantinopolitanæ ab Ecclesia Romana, Russi etiam in partem Græcorum concesserint.

Danos et *Svecos* Anscharius Presbyter ad fidem Christianam perduxit. Haraldus Rex Daniæ, a suis aliqua adversitate jactatus, cum uxo-

uxore, multisque Danorum ad Ludovicum Pium Imp. confugerat: quo svadente Rex cum toto suo comitatu Moguntiæ baptizatus est, secumque deinde in Daniam eumdem Anscharium duxit, qui postquam Danis Evangelium prædicasset, etiam in Sveciam transiit, idemque etiam hic præstitit. Tam Danos vero, quam Svecos relapsos ad idola, *Hunno* Episcopus Hamburgensis a. 831. ad Religionem revocavit. *Moravi*, et *Bohemi* a Cyrillo, et Methodio in Religione Christiana instituti sunt. Hi fratres germani, patria Thessalonicenses, primum in Bulgaris Religionem edocendis operam impenderunt. Romam deinde profecti, ab Hadriano II. Episcopi consecrati, et missi in Moraviam Svatopluco Moraviæ Principi commendati sunt, Methodiusque Archiepiscopus Ecclesiæ Moravensis, et Pannoniensis fuit: siquidem etiam Moraviæ principatus Pannoniam complexus sit usque ad fluvium Dravum: sub quo Archiepiscopatu etiam Episcopus Nitriensis erat, id temporis *Wichinus* a Svatopluco Joanni VIII. commendatus, ab eoque Romæ consecratus. Svatobojo Svatapluci filio devicto Borzivous Moraviam sui juris fecerat: qui cum a Methodio fuisset edoctus Christianam Religionem, etiam Bohemi opera ejusdem Methodii eamdem Religionem amplexi sunt.

Poloni a. 865. ad fidem in Christum perducti sunt. *Micislaus*, Polonorum Dux, uxorem duxerat Dobravam Boleslai I. Bohemorum Ducis filiam, data sponsione, se quoque futurum Christianum. Quod deinde, et ipse fecit, et Poloni omnes tali promptitudine; ut cum idem Micislaus edictum proposuisset de idolis destruendis; id summa alacritate factum sit, et alia confracta

et

et comminuta, alia in flumen demersa sint. Micislaus a Silvestro II. Papa etiam coronam Regiam sibi dari petierat: sed hæc corona, quæ Micislao erat parata, S. Stephano Duci Hungarorum etiam recenter ad Religionem conversorum missa est, cum illius legati hanc eamdem etiam ob caussam ad Silvestrum advenissent. Petro Damiani perhibente Boleslaus filius Micislai hanc denuo a Romano Pontifice petiit, et obtinuit. Hujus Boleslai filium *Casimirum*, cum jam in Cluniacensi monasterio se ad monasticum vitæ institutum votis obstrinxisset, atque etiam Diaconus ordinatus esset; ad petitionem Polonorum a Benedicto IX. R. P. votis solutum esse, regnique regimen sic suscepisse, ut connubium etiam inierit, habet vulgaris narratio. Rem vero, quæ acta fuisset seculo 11. referunt tantum Joannes Longinus, et Martinus Comerus, quorum alter scriptor seculi 15. alter sec. 16. est, silentibus aliis monumentis, idque de re tam singulari; hinc nutat fides istius narrationis. Boleslaus Rex Polonorum, cujus jam mentio facta est, *Pomeranos* sibi tributarios fecerat. Quorum conversioni studens ad Christianam Religionem Ottonem Episcopum Bambergensem oravit, ut ad eos iret in Religione instruendos remissa etiam Pomeranis tributorum parte, quo res facilius succederet. *Ladislaus Jagello* pariter Rex Poloniæ indignum ratus *Lithvanos* sub sua ditione positos, adhuc ethnicæ superstitioni esse deditos (sub finem seculi 14. istud erat) cum exercitu ad eos venit, et cædebat eorum silvas, atque arbores, nec non cetera, quæ pro Deo coluerant, evertit, Lithvanis non audentibus resistere, sed tantum exspectantibus malum, quod Polonis putabant eventurum. Cujus vero rei cum

vi-

vidissent nihil fieri, et Rex Jagello dona iis largitus fuisset, qui Christiani fierent, accurrebant turmatim Lithvani ad Baptismum.

De *Hungaris* etiam hoc tempore, et recenter ad Christianam Religionem conversis jam facta mentio est. Jam sub Justiniano I. Imp. circa a. 529. *Hordam* Hunnorum, qui regionem ad Bosphorum incolebant, Regem esse Constantinopoli baptizatum, est Part. II. §. 15. demonstratum. Hunni enim etiam dicti sunt *Ungorii*, jamque ab Ammiano Marcellino, qui non alii sunt, quam Hungari. In Pannoniam hi venerant a. 374. et eam occupaverant, Germaniæ etiam, aliisque Europæ regionibus infesti, et valde formidabiles. Quorum tamen regnum mortuo Attila, eorum duce, in Pannonia concidit, solæque eorum reliquiæ remanserunt in Transilvania. Circa a. 888. ex Asiæ ea regione, quæ est ultra Tanaim fluvium, et paludem Maeoticam rursus illorum *nova agmina* advenerunt in Pannoniam Almo, et sex aliis ducibus. Huic successerat Arpad, a quo per Zoltanum, et Toxum descendit *Geisa* pater S. Stephani. Dum etiam hi suis incursionibus Germaniam multum vexassent, in tractatu deinde de pace inter Ottonem I. Imp. et Geisam illud etiam obtentum est; ut liberum fieret in Hungaria Christianam Religionem prædicare. Itaque a S. *Piligrino* Episcopo Laureacensi brevi tempore ad quinque Hungarorum millia perducta ad fidem in Christum sunt, idemque continuatum per alios Apostolicos viros, et inprimis per Adalbertum est. Multum etiam contulerat *Sarolta* Geisæ uxor, filia Gyulæ senioris, Christiana una cum patre, qui Constantinopoli fidem Christianam fuerat edoctus.

ctus.

ctus. Geisæ ex Sarolta filius natus est *Vaik.* Huic cum pater Giselam petiisset uxorem, S. Henrici II. Imp. sororem, et sub ea conditione hæc promissa esset, si sponsus fieret Christianus, non solum ille, in Baptismo deinde vocatus Stephanus, verum etiam Geysa pater se præbuit ad hoc promptum, atque paratum. *Stephani* autem talis ardor erat deinde Religionis propagandæ, ut Evangelium etiam per seipsum prædicaret, ideoque a Silvestro II. Papa Apostolus Hungariæ vocatus, Regiisque insignibus exornatus cum potestate Crucis etiam duplicatæ sibi præferendæ, ad successores etiam extensa in signum Apostolatus.

Godefridus Schvartz, Protestans in Dissertatione sua, quam a. 1740. edidit, contendit, Ecclesiam Hungaricam plantatam esse non a Latinis, sed a Græcis Orientalibus. In argumentum affert, testimonio Curopalatis, *Gylam* Turcarum Ducem venisse a. 958. Constantinopolim, et esse illic baptizatum, et qui secum domum revertens duxerit *Hierotheum* monachum a Theophylacto Patriarcha Episcopum Turciæ ordinatum, qui deinde multos ab errore barbaro ad fidem Christianam traduxerit, et Saroltam quoque filiam Gylæ baptizaverit. Hunc Gylam eumdem esse, qui Gyula ab aliis appellatur, deinde Turcas, quorum iste Dux dicitur, esse eosdem, qui Hunni, vel Hungari Transilvaniam incoluerunt, et nunc incolunt, recte dictum est a Schvartzio. At vero hinc nondum sequitur Hungaros, qui Duce Almo in Hungariam venerunt, eamque etiam nunc incolunt, fuisse etiam ab illo Hierotheo ad Christianam Religionem perductos. Hoc autem Schvartzio fuisset probandum,

quod non probavit. Sarolta ab Hierotheo baptizata omnino multum contulit et ad Geisæ conversionem, et ad Christi Religionem etiam filio Stephano instillandam: quod tamen nondum illud est, quod vult asserere Græcum ritum Christianæ Religionis esse inductum apud Hungaros. Nam ubi istius ritus aliquod indicium uspiam fuit? Piligrinusne, Adalbertus, Gerardus, et alii Apostolici viri, quos constat Episcopos Latini ritus fuisse, qui plantaverint Hungaricam Ecclesiam, ritum Græcum induxeruut? Et S. Stephanus Rex ad confirmandos Episcopatusquos designaverat, ad Silvestrumne Papam, et non potius ad Patriarcham Constantinopolitanum misisset? *pag.* 70.

§. 11. De *Expeditionibus* Copiarum, Cruce insignitarum, ex Occidente in Orientem prima suscepta cogitatio est a. 1073. dum *Michael* Ducas Imp. *Gregorio* VII. dignitatem Romani Pontificis gratulatus fuisset. Hac enim ratione sperabat Gregorius futurum, ut Græci reconcilientur cum Apostolica Sede. Quamobrem ad succurrendum etiam Græcis idem Gregorius omnes hortabatur. Dum ad concilium, quod *Placentiæ* a. 1095. celebrabatur præsidente *Urbano* II. Papa, iterum legati ab Alexio Comneno venissent istius auxilii causa adversum Saracenos, suscepta cura istius expeditionis in Orientem est non tantum Episcoporum, verum etiam principum secularium summa alacritate, et consensione. *Claromonti* in Gallia rursus habito concilio eodemque adhuc anno, iterumque Urbano præsidente, decreta etiam est eadem expeditio. Pontifex ituris *pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione*

In-

Indulgentiam peccatorum concessit. Qua tamen mente non omnes iverunt. Insigne eorum, qui hanc militiam secuti sunt, Crux erat rubea in pallio supra humerum dextrum.

Jam in vere sequentis anni exercitus proficiscebatur divisus in plura agmina: quorum unum etiam *Petrus* Eremita duxerat natione Francus, qui pietatis causa erat Jerosolymæ, et reversus literas attulerat Simeonis Patriarchæ Jerosolymitani, admodum tristes de Christianorum afflicto statu sub Saracenorum jugo, et supplices etiam manus ad opem sibi ferendam tendebat. At vero multi ex militibus istis bellum, quod in Oriente gerendum erat jam in itinere et regionibus, per quas transibant, auspicati sunt, ad prædandum effusi. Quamobrem ipsi quoque armis coerciti, ab iis, per quorum regiones iter faciebant, et magnam partem cæsi sunt. Id, quod ipsis etiam evenit in Hungaria. In Judæos præsertim, jamque in Germania impetum faciebant velut in hostes, occidendo ipsos, et spoliando. Numerus totius militiæ Cruce insignitæ, et quæ in Orientem pervenit, fuit equitum millia centum, peditum sexcenta. *Alexius* autem Comnenus, cui lætandum fuisset ex submissis sibi tantis auxiliis, non tantum milites hos non velut amicus, nisi tantisper in speciem, excepit, verum etiam erga eos quasi hostes se gessit. Suspicabatur, sed nullo fundamento, istum illorum tantum numerum spectare ad se opprimendum. Nam Duces exercitus jusjurandum etiam ei dederant, se omnia, quæ erepturi essent Saracenis, eidem Comneno tradituros, nec aliter sibi habituros quidquam, quam quod feudi nomine sibi ab eo esset collatum. Debuisset autem vi istius pacti arma etiam

cum

eum ipsis sociare, et commeatu ipsos instruere. Quorum cum nihil fecisset, imo etiam Saracenis ipsos prodidisset, insidiasque ipse illis struxisset, et quosdam etiam interfecisset, post Nicæam Saracenis ereptam, et Comneno traditam, ne ipsi priores viderentur rupisse foedus, deinceps ea, quæ ceperant, sibi retinuerunt. *Boemundus* Apuliæ Dux, et ducum unus exercitus Antiochiam expugnavit, quæ eidem etiam idcirco in præmium cesserat. *Godefridus* Bullioneus ipse quoque Dux exercitus, Jerosolymam cepit cum tota Palæstina. Quamobrem exercitus acclamatione factus est Jerosolymorum Rex. Hanc malignitatem Alexii Comneni alii etiam post hunc Imperatores Græcorum exercuerunt. Si omnino, quod vero non fuit, Principes copiarum Cruce insignitarum ea mente in Orientem venissent, ut sibi regna illic compararent, quæ Saracenis essent erepturi; tamen istud melius, atque optabilius erat habendum, quam gemere sub jugo Saracenorum cum subversione ipsius etiam Religionis. Nulla erat difficultas debellandi Saracenos, et omnia recuperandi, nisi Imperatores Constantinopolitani eorum, quos prius in auxilium advocaverunt, deinde ipsi hostes, et proditores facti fuissent.

Non eo minus Pontifices Romani, et Principes in occidente non destiterunt novis identidem exercitibus submissis in Orientem, et conservare ea, quæ jam erant parta, et vindicare cetera, quæ sub jugo erant Saracenorum. Ad Urbanum II. cum Godefridus, aliique exercituum Duces pro suppetiis scripsissent, dum enim maximis viribus Saraceni etiam restitissent, attritæ jam erant vehementer copiæ missæ in Ori-

entem, sed et imminutæ etiam per pestilentiam, erant missa confestim ex Italia, et Germania militum millia octoginta: sed quæ etiam ipsa Alexii Comneni perfidia, et proditione maximam partem perierunt. *Eugenio III.* Pontifice studium adhibente, et *S. Bernardo*, qui totam Galliam, et Germaniam percurrerat et excitabat omnes ad sacrum bellum a. 1147. duo rursus exercitus, quorum alterum *Ludovicus VII.* Rex Franciæ, alterum *Conradus* Rex Germaniæ duxerat, profecti sunt in Orientem. Manuel Comnenus, qui eo tempore erat Imperator, cum se simulasset amicissimum his Regibus, deinde et iste utrumque exercitum Saracenis prodidit. Inter *Alexandrum III.* Papam et *Fridericum I.* Imperatorem cum intercessisset dissidium, idem tamen Manuel Comnenus, eidem Alexandro pronum se offerebat ad reditum in concordiam cum Ecclesia Romana, suasque ei opes pollicitus erat adversus Fridericum, et quo magis fidem faceret, Latinos Constantinopoli ad aulæ officia etiam suprema provexerat. Hoc continuabat facere etiam Alexius Manuelis filius. Quod Græci tam iracunde tulerunt, ut facta conjuratione Latinos omnes, qui Constantinopolim incolebant, exceptis iis, qui se fuga eripuerant, contrucidaverint, vel Saracenis vendiderint. Nec illa Manuelis etiam benevolentia erga Alexandrum videtur ex sinceritate processisse, sed quod speraret sic per Alexandrum se obtenturum dignitatem Imperatoriam Friderico ex ea dejecto etiam in Occidente. *pag.* 87.

§. 12. Post reditum Regum Ludovici, et Conradi ex Oriente etiam propter simultates inter exercituum duces exortas deposita spe boni

ali-

alicujus successus, statim iterum cogitatum fuit de novis subsidiis in Orientem mittendis. Eo vero magis hæc accensa cura est, dum Heraclius Patriarcha Jerosolymitanus, et Rogerius, Arnaldusque *Magistri Ordinum*, ille *Equitum S. Joannis*, iste *Templariorum* ex Palæstina advenissent eorumdem subsidiorum causa. Antequam cœpissent expeditiones copiarum Cruce insignitarum, obtinuerunt Christiani, qui ex Occidente Jerosolimam pietatis causa peregrinabantur, a Saracenis facultatem exstruendi monasterium cum Ecclesia, quæ S. Joannis dicta est eum in finem, ut in hoc monasterio altero virorum, altero feminarum Christiani, peregre venientes Jerosolymam susciperentur. Viri monasterium incolentes alii erant Equites, quorum officium erat præsidium præstare Christianis, alii clerici, alii demum laici. Ordo Templariorum auctores habuit, postquam jam recuperata fuisset Jerosolyma, Hugonem de Paganis, et Gaufredum a S. Aldemero. Erant etiam hi instituto monachi, qui vero præter tria usitata Religiosorum vota, quartum insuper haberent defensionem Christianorum peregrinantium. Dicti sunt Templarii, quod primum eorum domicilium fuerit Jerosolymæ prope templum sepulchri Domini. Adhuc tertius etiam accesserat Ordo *Equitum Teutonicorum*, suum etiam monasterium habens Jerosolymæ præcipue quidem pro Germanis infirmis, sed qui se etiam armare deberent in defensionem Christianorum. Dum autem de subsidiis ageretur, imprimis ad Jerosolymam conservandam, interea hæc transiit ad Saracenos a. 1187. Tantum vero abest, ut langvidiores facti sint Principes isto accepto nuncio; ut eo magis etiam acceleraverint auxilia ipsius etiam Jeroso-

lymæ e manibus Saracenorum vindicandæ caussa, jamque sequenti anno tres exercitus, quorum unum *Philippus Rex Franciae*, alterum *Richardus Rex Angliae*, tertium Fridericus I. Imper. composita etiam simultate, quam habebat cum Alexandro III. Papa, ducebat. Friderico admodum bene res successerunt contra Saracenos; cepitque inter alia etiam Ptolemaiden : sed dum in Calicadno fluvio Ciliciæ lavat, mortuus est. Philippus Rex suspectum habens Richardum de clandestino aliquo tractatu cum Saladino, Saracenorum Principe, rediit in Occidentem, nec multo post etiam Richardus turbis exortis in Anglia.

Anno 1202. novæ rursus copiæ e Francis, Germanis, et Venetis maritimo itinere tendebant in Orientem. In hoc Jaderam urbem Dalmatiæ, ad ditionem Regis Hungariæ pertinentem, Veneti occupaverunt. Isaacius Alexius Isaacii Angeli, Imperatoris Græcorum filius imploravit auxilium ab his copiis, in Orientem iter facientibus contra Alexium patruum, qui Isaacium ejus patrem e throno exturbaverat. Harum copiarum viribus Isaacio Alexio vindicatum Imperium est: sed rursum ab Alexio Duca ereptum una cum vita. Quamobrem iste idem exercitus, Cruce insignitus, qui jam etiam Isaacio Alexio bellum denunciaverat, quod promissis non stetisset, Alexium Ducam adgressus est, *Constantinopolim cepit*, eidem Alexio Imperium abrogavit, et Balduinum Flandriæ Comitem ad idem Imperium evexit. Ista ratione Constantinopoli, deinde Imperatores ab a. 1204. usque ad a. 1261. fuerunt e Latinis: etiam novus Patriarcha constitutus fuit Thomas Maurocenus Venetus. Græci vero sibi Theo-

Theodorum Lascarim Imperatorem posuerunt sedem habentem Nicææ in Bithynia, una cum Patriarcha Constantinopolitano Græci ritus, ibidem pariter residente.

Nova expeditio deinde rursus decreta est in generali *concilio Lateranensi IV.* a. 1215. et Henrico mortuo, qui post Balduinum Imperatoriam dignitatem obtinuerat, hæc dignitas *Andreae II.* Regi Hungariæ oblata erat, quam vero is deprecatus est. Idem Andreas cum exercitu in Orientem profectus erat. Turbis vero enatis in Hungaria, se absente, et visis dissensionibus, atque discordiis ducum, qui exercitibus præerant Cruce insignitis, celeriter reversus est. Anno 1227. magnus apparatus rursus factus est, et *Fridericus II.* Imperator se ultro obtulerat, imo etiam jurejurando obstrinxerat ad eundum cum copiis in Orientem. Is cum venisset in Palæstinam, pactionibus quibusdam cum Saracenis factis, obtinuit Jerosolymam nec tamen pleno jure, atque cum his pacem in annos decem pepigerat, idque non consentientibus ceteris Principibus, et exercituum ducibus, atque ea ratione impedimentum potius intulerat rebus adversus Saracenos agendis. Jerosolyma anno 1229. recepta, iterum amissa est a. 1245. *S. Ludovicus IX.* Rex Galliæ deinde susceperat expeditionem ad Jerosolymam recuperandam. Sultanum Aegypti, qui Jerosolymam tenebat, adgressus, totam fere Aegyptum subegerat: copiis vero imminutis etiam per pestilentiam, victus, et captus quoque ipse est: dimissus vero a Sultano est ob animi magnitudinem, quam in eo admiratus erat. Dum autem in Gallia auditum fuisset, Ludovicum captum esse, quidam Jacobus ad

cen-

centum millia plebejorum collegerat, visiones præseferens, quibus urgeatur ad debellandos Saracenos in Oriente, qui se *Pastorculos* nominarunt: qui vero non in Orientem iverunt, sed in Gallia grassabantur prædando, et latrocinando. Armis coerceri debuerunt. Ludovicus Rex audita morte Blanchæ, matris suæ, quæ regnum administraverat eo absente, reversus est. Idem Ludovicus adhuc etiam postea adversus Saracenos in Africa pugnatum ivit, atque si res prospere cessissent, cogitabat denuo in Palæstinam proficisci. In Africa autem illius exercitus cum expositus fuisset ad continentem, a nimio æstu, et ex defectu salubris aquæ in dysenteriam, et febrim incidit, quo ex morbo ipse etiam Ludovicus defunctus est. In *Palaestina* omnia semper in *pejus vergebant*, ut extremum sola Ptolemais superesset, quæ ipsa etiam amissa est a. 1291. Hoc modo omnia conciderunt in Oriente, quæ tantis opibus, et tam multo sangvine erant quæsita, et comparata. Omnium primi obicem posuerant Imperatores Græcorum, quamvis Principes ex Occidente ab ipsis in auxilium fuissent evocati, atque hi ad hoc ferendum ipsis venissent maximo suo labore, et impensis. Impedierunt etiam cursum prosperitatis dissidia, et contentiones inter ipsos exercituum, Cruce insignitorum, duces; et milites quoque, qui pietatis causa debebant bellare, sectati vitam licentiosam, ita ut ad Saracenos etiam transirent non pauci, istius licentiæ causa, et impatientes militaris disciplinæ rem perdiderunt. Persis jam prius, alisque barbaris nationibus tradita fuerant regna Orientis, similiter atque Israelitæ, dum descivissent a Dei cultu, aliis, atque aliis hostibus: quia et illic relicta orthodoxa Fide itum erat identi-

dem

dem in alios, atque alios hæresium errores. Sed neque Græci, jam etiam per Saracenos a Deo flagellati redire adhuc ad unitatem Ecclesiæ voluerunt. De Israelitis, postquam illos jam toties ad se revocasset, Deus dixit: *Non addam ultra misereri domui Israel.* Ose. 1. v. 6.

Expeditiones ejusmodi, exercitibus Cruce insignitis, factæ sunt etiam in Hispania pariter contra Saracenos, et sub Sanctio III. Rege Hispaniæ Ordo etiam equestris Calatravensis institutus est in præsidium Christianorum adversus eosdem Saracenos. A Danis quoque, et Saxonibus contra Slavos a. 1146. incursantes Daniam, et Saxoniam, et vexantes ob causam Christianæ Religionis. Quin, dum Fridericus II. Imperator, irarum plenus duxisset exercitum adversus Gregorium IX. Pontif. Romani quoque sumpserant Crucem eo modo, quo legiones pergentes ad recuperandam Terram sanctam, et processerant adversus illum, ad cedendumque coegerunt. *pag.* 87.

§. 13. Proseminati novi errores, his temporibus sunt vel potius suscitati ab *Aldeberto* et Clemente in Germania. Aldeberti ea fuit temeritas, ut seipsum Apostolis anteferret, et Ecclesias, atque sacella ad se honorandum curaret exstruenda. *Clemens* asserebat, statutis Conciliorum nihil esse deferendum, neque expositioni Scripturæ per Patres factæ, aliquid tribuendum, præter alia deliramenta, quæ ambobus erant. In Gallia sub initium seculi undecimi repullulavit hæresis *Manichaeorum.* Lisojus, et Stephanus erant istius sectæ nominatissimi. Libidines erant vehiculum istius resuscitatæ turpissimæ sectæ. Compressa autem est cito severitate ad-

adhibita. Eadem Manichæorum hæresis, erroribus etiam novis aucta, se protruserat in Oriente, tamque fœdam libidinem exercens, ut ii, qui de illa scripserunt, propter modestiam noluerint distincte illam exponere. *Basilius* quidam erat istius colluviei antesignanus, igne propterea exustus: *Bogomilos* Bulgarorum lingva, quod significat Deo charos, ad quos se intruserat hæc etiam secta, seipsos vocitabant. *pag.* 120.

§. 14. Paulo ante medium seculi undecimi *Berengarius* prodiit natione Gallus, patria Turonensis, Archidiaconus Andegavensis asserens, in Eucharistia non esse verum corpus, et verum sangvinem Christi, sed solummodo ejus figuram: quem errorem ex libro Joannis Scoti Erigenæ suxerat, cujus facta mentio est Partis III. §. 2. Insurrexerunt adversus Berengarium illico Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, Fulbertus Episcopus Carnutensis, cujus olim Berengarius erat discipulus, et plures alii, atque illius assertionem hæreseos arguerunt. Confutatus est Berengarius a viris doctis, et in Episcoporum conciliis damnatus sæpius, cum errorem suum recognovisset, atque juratam etiam fidem dedisset se credere idem, quod de vero corpore Christi in Eucharistia credit, et docet Catholica Ecclesia, usque autem octies relapsus in errorem suum pristinum, ac propterea semper iterum vocatus in judicium fuisset. Ad extremum tamen factus sincere pœnitens est, et in claustro S. Cosmæ Turone, ad quod se contulerat pœnitentiæ agendæ causa, diesque ultimos vitæ exegerat, decessit a. 1088. Aliis etiam quibusdam erroribus illum adsperserunt nonnulli scriptores: quia vero in conciliis, in quibus causa ipsius judicata fuit, isti

ei

ei objecti numquam sunt, nec proinde credendum est, ipsum his fuisse affectum.

In *Berengario* deinde, et Scoto Erigena, qui Berengario præluxerat, *Helvetica Confessio* fulcrum sibi posuerat suæ etiam assertionis de sola figura Corporis Christi in Eucharistia, quasi in testibus, quid Ecclesia antiquitus senserit de Eucharistia, et quia Berengarius asseruerit suam de hac esse etiam sententiam SS. Augustini, Hieronymi, et Gregorii M. Erigena seculo nono vixit, Berengarius undecimo. E primisne seculis Ecclesiæ isti sunt testes? Deinde quod hi affirmarunt, idem ab aliis est statim refutatum, et condemnatum per ipsa etiam Concilia. Si rem testibus Helvetica Confessio vult agere, potioresne habendi sunt hi, quam tot alii, qui adversus istos calamos strinxerunt? quam tot Concilia, dumque ipse Berengarius etiam errorem suum abjuraverit? Præterea si valet Helveticæ Confessionis conclusio fuisse istam de Christi corpore in Eucharistia fidem Ecclesiæ eo tempore, quo Erigena, et Berengarius vixerunt, igitur formetur etiam conclusio, nec mysterium SS. Trinitatis esse ab Ecclesia creditum seculo tertio, nec Christi divinitatem seculo quarto, quia de hac Arius, de illo Praxeas, et Sabellius aliter docuerint. Sed Berengarius etiam Augustinum, Hieronymum, et Gregorium M. ejusdem secum sententiæ dixit esse. Jamne ergo etiam hoc ideo verum debebit esse? Quis fuit hæreticorum, qui non asseruisset, eamdem esse suam, et Evangelii doctrinam? *pag.* 126.

§. 15. Non multo post Berengarium Germaniam, et Galliam invaserunt sectæ turpissimæ, Hen-

Henriciana, Tancheliana, et Petrobusiana. *Henriciana* a quodam Henrico Tolosano pseudo-eremita nomen traxit, auctore suo, qui impudentissime asserebat voluptatem libidinosam esse licitam, et quam Henriciani exercebant, nullo servato saltem externo pudore, nec jure matrimonii. Erat id temporis alia etiam secta, dicta Henriciana eorum, qui docerent, dum inter Henricum IV. Imp. et Gregorium VII. Pontificem intercessissent graves discordiæ, Imperatoribus, et Principibus competere jus, et auctoritatem in ipsa etiam spiritualia. *Tanchelinus* in Belgio abrogaverat omnem potestatem Episcopis, eamque tantummodo sibi a Christo collatam venditabat: quin se parem etiam Christo jactabat, ut etiam templum sibi curaret exstruendum: luxuriosissime autem vivebat, et feminas ad se alliciebat docendo, opus spirituale summæ excellentiæ illud esse, si se illi ad notitiam præbuissent. Attamen reperit asseclarum magnum numerum, qui se fortunatissimos putarent, si vel ipsum potuissent attingere. *Petrus de Bruis* negabat, valere Baptismum infantibus collatum, reprobavit usum templorum, et altarium, Cultum sacrarum Imaginum, ipsiusque etiam Eucharistiæ. Dum in Fano S. Aegydii in Provincia ad fluvium Rhodanum feria sexta Parasceves Cruces demolitus esset, easque congestas concremasset, et ad earum ignem carnes coxisset, ad earumque esum populum invitasset; ab hoc correptus, atque in eumdem ignem conjectus, exustusque est. *pag.* 134.

§. 16. Petrus *Abaelardus* in Britannia minore natus ob compressam a se Heloisam virilitate privatus, ut opprobrium vitaret, ad mona-

nasterium S. Dionysii Parisiis se recepit, et monachum induit. Hic ingenio suo indulgens, et subtilitatibus usus ad explicandum mysterium SS. Trinitatis, incidit in errores complures. Nam hoc mysterium sic se habere asserebat, quemadmodum in syllogismo propositio, assumptio, et conclusio una dicatur esse oratio. In peccato Originali solam pœnam posuit esse, non culpam: quia comprehendere non poterat, quo modo culpa transfluxerit ab Adamo in ejus posteros, atque ita, omnia in Religione suo metiri volens ingenio, abreptus est in plures alios errores. In Senonensi concilio a. 1140. damnati sunt illius errores. Cum interposuisset appellationem ad Innocentium II. Papam, et judicium Concilii Senonensis ratum habuisset Pontifex, Abælardus ad Cluniacense monasterium se contulit, piamque vitam illic vixit, parique cum pietate obiit.

Abælardi discipulus erat *Arnaldus* primum Ecclesiæ Brixiensis Clericus, deinde monachus. Iste cum in illis hæserat erroribus, qui erant ipsius etiam Abælardi, imo etiam jam Petri de Bruis, tum etiam asserebat præterea, Episcopis, et aliis Clericis, vel monachis non esse fas possidere bona temporalia, et esse ista omnia laicorum. Romani eo tempore oestro agitabantur quo volebant formam veteris reipublicæ Romanæ apud se instaurare, et res usque ad seditionem jam pervenerat. Hadrianus IV. Pontifex Urbem interdicto subjecit: cumque cessatum esset a Divinis, idque sub tempus Paschatis clerus, et populus adegit Senatum, ut rediret ad obsequium Romani Pontificis. Arnaldus cum in fugam se dedisset, captus vero et reductus Romam esset, actus in furcam est. Tam Arnaldo, quam Abæ-

Abælardo in erroribus, quibus capti erant, præluxit, ducemque se præbuit *Roscellinus* Canonicus Ecclesiæ Compendiensis. *Gilbertus* Porretanus Episcopus Pictaviensis circa medium seculi 12. in sermone, quem habebat in synodo dioecesana protulerat, essentiam divinam non esse Deum, proprietates Personarum non esse ipsas Personas, et attributa, ut bonitas, et sapientia non esse idem, quod substantia. In Concilio Parisiensi, et Rhemensi factum de eo judicium est. Subjecit vero se obedienter sententiæ, contra se latæ. *pag.* 137.

§. 17. Exorta est hoc tempore etiam Secta *Apostolicorum* in regione Germaniæ, in qua sita est Colonia. Austeram vitam in speciem agebant, quasi imitatores essent Apostolorum, feminarum autem amore devincti. Negabant isti quoque valere Baptismum, infantibus collatum, repudiarunt preces, Deo factas, pro vita functis, non crediderunt poenas Purgatorii post hanc vitam, sibi solis asserebant veram Christi Ecclesiam, damnarunt matrimonium, et esum carnium. *Waldensium* quoque circa a. 1160. secta a Petro Waldo Lugdunensi conflata est. Paupertatem præseferebant, unde dicti etiam sunt Pauperes de Lugduno, Boni homines, Cathari, Sabatati a ligneis calceis, quibus pauperes utebantur, et a Gallis *Sabots* vocantur. Dogma horum erat, Ecclesiæ Prælatos ex potestate excidisse ob possessiones, quas haberent, Ecclesiam Romanam non esse Ecclesiam Christi, et defecisse inde a Silvestro I. propter possessiones, quas tenere coeperit. Ex Sacramentis solum Baptismum, et Eucharistiam sibi reliquerunt, ita vero, ut nec Baptismum crederent necessarium, nec in Eucharistia esse

ve-

verum corpus Christi, tantumque ejus figuram. Iidem cultum Sanctorum, et eorum invocationem, reliquias, imagines detestabantur: sed neque de mysterio SS. Trinitatis, et Christi recte senserunt.

Horum una secta erat, quæ dicta est *Albigensium* ab Albiga civitate Galliæ. Præter eos, qui erant Waldensibus, adhuc istis ingens erat colluvies errorum, et plerique a Manichæis sumpti. Nam et istis duo erant dii, bonus, et malus, quorum alterum Veteris testamenti, alterum novi auctorem dicebant esse, itemque duos Christos, bonum, et malum: negarunt mortuorum resurrectionem, deridebant Sacramenta, moresque iisdem erant turpissimi, et incesti concubitus. Hæc secta cum primum pervasisset Tolosatium, regionem Galliæ, deinde brevi tempore se diffudit non tantum per reliquam Galliam, verum etiam per Hispaniam, Germaniam, Bohemiam, et Italiam. Omnes eæ sectæ semper, in quibus licentia libidinis erat data, propter hominum ad hanc pronitatem, celerrime creverunt. Missi erant viri Apostolici, e quorum numero præcipuus erat S. Dominicus ad homines istos ex fœdissimis erroribus ad Christianam pietatem, et frugem revocandis: quia vero iidem etiam grassabantur in Catholicos, et profanabant Ecclesias omni spurcitia; Principes, atque inter hos etiam S. Ludovicus IX. Rex Galliæ, arma expediverunt ad pestem istam hominum comprimendam et exstingvendam, assumpta etiam Cruce in militum vestitu, eo modo, qui erat pergentibus ad expeditionem contra Saracenos in Orientem. Etiam Concilia plura instituta sunt adversum Waldenses, et Albigenses; actumque de his etiam est in

in Lateranensibus generalibus conciliis, tertio, et quarto.

Ad Rhemense concilium a. 1147. præsidente Eugenio III. Papa habitum, adversus Gilberti Porretani errores adductus est quidam *Eon*, vel aliter vocatus Eudo de Stella, homo plebejus, qui se Christum prædicabat esse, et Judicem futurum vivorum, et mortuorum. In hanc vesaniam incidit ex libro Exorcismorum, et istis verbis, quibus formulæ Exorcismorum concludi solent: *Per eum, qui judicaturus est vivos, et mortuos*, per vocem *Eum* se, qui Eon vocaretur, designari sibi imaginatus. Nihilominus plures e plebe nactus est asseclas. Ipse Eon positus ad custodiam est, cum præfracte inhæsisset suo deliramento: sed asseclæ ipsius obstinati, a potestate civili ad rogum damnati sunt. Etiam *Leutardus*, et *Vilgardus* circa finem seculi decimi exstiterunt non tam hæretici, quam fanatici. Ille cum somniasset examen apum inferiore parte corporis ad se intrasse, et per os exiisse, atque ab his sibi mandatum esse, ut res maxime difficiles adgrederetur, uxorem dimisit, et ad Ecclesiam pergens Christi imaginem e Cruce pendentis detraxit, terræ allisit, et comminuit, insuper docuit, non omnia, quæ in Bibliis continerentur Prophetarum vaticinia, esse vera, et credenda. Multos etiam iste perverterat ex rusticis, qui illum pro homine miræ sanctitatis haberent. Geboinus Episcopus Catalaunensis cum istos ab errore revocasset, atque ab his deinde Leutardus despectus esset, is se in puteum præcipitavit. Vilgardus professione Grammaticus, natione Italus, cum somniasset Virgilium, Horatium, aliosque celebres Poetas sibi gratias agere,

quod

quod sedulus in eorum operibus legendis esset, docuit deinde, omnia, quæ continerentur istorum scriptis, esse fide indubitata tenenda: neque aliis etiam caruit erroribus fidei orthodoxæ contrariis. *pag.* 144.

§. 18. Seculo Ecclesiæ decimo in Pontificia Cathedra sederunt plures valde notati moribus, quam obtinuerunt Marchionum Tusciæ potentia, qui invaserant dominatum Romæ. Ex his *Stephani VI.* facinus admodum indignum, et tetrum erat, quod admisit in *Formosum*, jam vita functum Papam vitæ sanctissimæ. Adversus hunc, e tumulo protractum, et ante se constitutum, judicium, tanquam in vivum instituit, et condemnatum, eo nomine, quod ex Portuensis Ecclesiæ Episcopatu transiisset ad Pontificatum, mutilatum tribus digitis, quibus erectis mos est benedicere, in Tiberim projici jussit. Stephanus per Adelbertum Marchionem Tusciæ intrusus erat ad Pontificatum. Illius æmulum Lambertum in consectanda Imperatoria dignitate Formosus coronaverat Imperatorem. Ut igitur Adelberto gratificaretur, qui Formoso irascebatur, commiserat Stephanus illud, quod jam dictum est, facinus. Formoso honorem sepulturæ restituit Theodorus II. Papa. Nec *translatio* e Sede Episcopali ad aliam, si justis de causis fiat, habet aliquam reprehensionem: eamque licitam probaverat jam Stephanus V. Papa in literis ad Basilium Imperatorem, et vetustioribus etiam exemplis comprobaverat. Stephanus vero VI. non immunis mansit, valde tristem, et violentum ex vita exitum nactus. Indignissimus etiam est Sergius III. qui inter Pontifices memoretur, qui stupri consvetudinem habebat cum Marozia, Adelberti,

et

et Theodoræ filia, sed non prognata ex legitimo matrimonio, similiterque Joannes X. qui Theodoræ, matri Maroziæ, erat devinctus turpi amore, indignus habendus est, qui vel nominetur inter Pontifices. *pag.* 155.

§. 19. Post Joannem X. qui æque violenta morte sublatus est interposito Leone VI. et Stephano VII. Joannes XI. ad Pontificatum intrusus est per Maroziam, cujus erat filius ex sacrilego concubitu cum Sergio III. Hoc in carcere mortuo Leo VII. gessit Pontificatum. Huic successerat Stephanus VIII. Stephano Marinus II. *pag.* 170.

§. 20. Post Marinum Agapitus II. Pontificatum gessit. Post hujus mortem *Octaviano*, nepoti Maroziæ ex Alberico filio, juveni annos octodecim nato, Clericis tamen adscripto, tam Romanus Clerus, quam populus Pontificatum detulit. Berengarius, et ejus filius Adelbertus regno potiti Italiæ, vehementer eam presserant. Quamobrem *Joannes XII.* (istud sibi in Pontificatu nomen assumpserat Octavianus) Episcopi, et cunctæ civitates Italiæ recurrerunt ad Ottonem I. Germaniæ Regem, ejusque opem implorarunt, data sponsione ipsius etiam dignitatis Imperatoriæ. Otto in Italiam venit, Berengarium devicit, regnum Italiæ sibi subjecit, et Imperator ab Joanne XII. coronatus non tantum donationem a Pipino et Carolo M. factam confirmavit, verum etiam e suo Italiæ regno aliquot civitates eidem donationi superaddidit. Postquam rebus confectis Otto reversus erat in Germaniam, Joannes XII. desertis partibus Ottonis cum Adelberto se conjunxit filio Berengarii. Rediit celeriter Otto Romam, eidemque fidem, qua se prius obstrin-

xe-

xerant, Romani denuo dant. Joannes XII. autem, et Adelbertus ex Urbe fugerant. Fit deinde *concilium*, in quo eidem Joanni Pontificatus abrogatur, et *Leo* in ejus locum eligitur: Criminum nomine, quibus gravabatur, Joanni abrogatus est Pontificatus: nec fuit quispiam, qui tam indignam Sacerdote, nedum Summo Pontifice egisset vitam, ita ut sacrum Romani Pontificis palatium is in lupanar verterit.

Adhuc Otto Romæ morabatur, et conjuratio adversus eum et Leonem, qui in locum Joannis positus erat Papa, facta a Romanis est, quos ad hanc instigaverat per nuncios Joannes, et perduxerat promissione thesaurorum, qui Romæ essent omnium Ecclesiarum. Otto de insidiis, et adgressione certior factus, Romanos oppressit non sine eorum cruenta strage. Postquam Otto ex Urbe discessisset, Leo iterum insidias veritus, ad Ottonem fugit. Joannem vero Romani ad Urbem receperunt, Is synodum celebravit, in qua et Leonem, et illam synodum, quæ Leonem elegerat, condemnavit. Jam Otto rursus Urbi adpropinquabat cum exercitu. Interim dum Joannes se more suo oblectaret extra Urbem cum femina, viro nupta, in actu nefandi criminis letaliter percussus est, et obiit. Romani celeriter, et antequam Otto pervenisset Romam, in Joannis locum Benedictum V. elegerunt. Ottoni, ubi advenisset, Benedictum Romani tradiderunt, qui illum in Bavariam abducendum curavit, Leonem autem receperunt. Jam anno subsequente, is erat 964. Leo VIII. mortuus est. Romani ab Ottone petierunt, ut Benedictum ipsis redderet. Eodem vero fere tempore et iste mortem obiit. Instituta electione factus est Pontifex Joannes XIII. *Quae-*

stio est, num Leo VIII. fuerit legitimus Pontifex. Joannes XII. electus erat Cleri, et populi consentientibus suffragiis, tametsi nihil minus, quam dignus fuerit, qui eligeretur. Illa autem Synodus, quæ nequidem generalis erat, utpote constans ex Episcopis triginta Italiæ, duobus Germaniæ, et alteris duobus Galliæ, potestatem illius deponendi non habuit illorum etiam sententia, qui œcumenicam Synodum volunt eminentiorem habere Romano Pontifice. An synodus œcumenica ista potestate polleat, est quæstio, quæ tractandi locum habet, ubi de Concilio Constantiensi agitur. Unde jam dispici potest, Leo, vivente Joanne, num legitimus esse potuerit Pontifex; eo autem mortuo cum Benedictus V. electus sit ab universo Clero, et populo, sequitur istum etiam fuisse Pontificem legitimum.

Joannes XII. et plures alii, quos memoravi, non ornarunt S. Petri Apostolicam Sedem. Attamen Sedis dignitas in indignis etiam hæredibus non defecit. Potestas Petro, et ejus successoribus a Christo collata non illos immunes facit lapsuum. Omnis enim Pontifex, ex hominibus assumptus, et ipse circumdatus est infirmitate, atque ipse etiam Petrus reprehensibilis erat, et non recte ad veritatem Evangelii ambulavit: sed cui injunctum a Christo est, ut confirmet fratres suos, pro quo oravit, ne ejus deficeret fides, et supra quem ædificavit Ecclesiam suam; is firmitatem accepit eam, ut errorem docere non possit, dum docet, ut Pontifex, et, ut solet dici, ex Cathedra. Protestantes solent nobis objicere istos Pontifices, qui non erant moribus, et vita laudata præditi, atque Maroziam. Sed neque nos laudamus illos, et non eo minus Eccle-

sia

sia Catholica semper requirit in omnibus Sacerdotibus cœlibatum, et castimoniam. At vero tam Lutherus, quam alii Reformationis, ut eam vocant duces, et signiferi, etiam vi istius Reformationis, et sibi ipsis dederunt mulierculas, et eandem licentiam etiam suis Pastoribus tribuerunt. *pag.* 164.

§. 21. Joannem XIII. Romani, eo quod ipsos propter fastum reprehendisset, in Campaniam deportaverant, et in custodiam incluserant, renovaverat quoque bellum in Italia Adelbertus filius Berengarii. Rursus igitur venit Otto in Italiam. Cujus metu Romani Joannem Papam reduxerunt. Non eo minus Otto in Romanos, seditionis auctores, severe animadvertit. Adelbertus vero, et Berengarius in fugam se se conjecerunt, et in ea perierunt. Ita tranquillitas rediit in Italia.

Dum his temporibus Religio sic effloruisset, ut integræ nationes (supra §. 10) illa suscepta pie, et caste inciperent vivere; contra apud eos, quibus Christiana Religio non jam recens erat, sed vetusta, pietas Christiana, et mores valde collapsi sunt, etiam in Clero. Carnis vitium præsertim multos infecerat. Ad hoc vitium exstirpandum in Anglia Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis synodum a. 969. celebravit, in qua eumdem Dunstanum *Edgarus* Rex Angliæ egregie adjuvit; cumque exposuisset, quomodo se res in clero haberent; causam refudit in eos Præsules, qui non satis vigiles, et diligentes in curando suo munere essent. Itaque hi deinde eos Clericos, qui nec monitis cedere, neque jussis parere voluerant, suis muneribus privarunt,

et in illorum locum monachos substituerunt etiam in ipsis Cathedralibus Ecclesiis, imo quidam Episcopi neque alios passi sunt Clericos, nisi qui suscepissent professionem vitæ monasticæ. Hæc eadem res cum transiisset etiam ad alias regiones, imo quæ a S. Chrodegango Episcopo Metensi jam ante inducta erat in Gallia; hinc enata sunt *Collegia Canonicorum.* Canonicus enim Græca lingva idem est, qui Latina dicitur Regularis. In Italia ipsa in quo statu fuerit res eadem, cognoscitur ex epistola *Ratherii* Episcopi Veronensis ad Clerum suum, dum hac ipsa de causa se contulisset Romam ad Joannem XIII. Papam.

De his temporibus, et præsertim de seculo Ecclesiæ decimo Scriptores minus honorifice solent meminisse, inprimis Protestantes. Hi namque in inscitiam hominum istius ætatis, causam etiam errorum conferre solent, qui tunc in Religionem irrepserint, dumque status Ecclesiæ fuisset, ut iidem dicunt, corruptissimus. Errores, et superstitionum portenta, quæ tunc pleno sacco invecta sint, enumerat *Caveus* ista: Sanctorum Canonizationem, Campanarum baptismum, cælibatum Sacerdotum, Sanctorum reliquias, visiones, apparitiones, examen per ferrum candens. Nempe ista superstitionum portenta vocat Caveus similiter, atque omnes ii, qui ab Ecclesia Catholica recesserunt, pro erroribus ea habuerunt, quæ credere ipsi noluerunt. Inscitiam hujus seculi decimi Caveus in sua Historia Literaria per seipsum refutavit, recensens magno numero eos, qui doctrina, et eruditione hocce seculo præstantes fuerint. Quod vero ad vitam, et mores attinet, isti in permultis etiam de clero omnino commendabiles non fuerunt. Et quando

ager,

ager, in quo homo bonum semen seminavit, non habuit etiam zizania? *Matth.* 13. *v.* 24. Idem tamen etiam seculum decimum floruit ita non tantum hominibus, vitæ sanctimonia excellentibus, verum etiam viris Apostolicis, ut exceptis primis seculis vix aliud fœcundius reperire sit. Supra §. 10. *pag.* 175.

§. 22. Ut autem de illis, quæ Caveus *portenta superstitionum* pleni sacci vocavit, specialius loquamur, quod ad Canonizationem Sanctorum attinet, Joannes XV. Papa in Concilio Romano a. 993. Udalricum Episcopum Augustanum Sanctorum catalogo adscripsit. Etiam vero jam in primæva Ecclesia non alii colebantur Martyres, quam de quibus factum esset judicium, veros esse Martyres: siquidem Lucilla reprehensa sit a Cæciliano Diacono, deinde Episcopo Carthaginensi, quod Reliquias osculata sit Martyris nondum vindicati, id est, cujus nondum assertum fuerit martyrium rite esse consummatum. Hoc judicium cum primo instituissent Episcopi de iis, qui in eorum Ecclesia martyrium subierunt, namque hoc etiam est, quod S. Cyprianus Epist. 37. Presbyteris, et Diaconis præceperit de Martyribus, ut dies annotarent, quibus e vita excesserant, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrari possent, et coli coepissent, hinc deinde ad alias etiam Ecclesias eorumdem Martyrum sit propagatus cultus. Istudne igitur portentum est superstitionis, seculo decimo natum? Portentumne superstitionis seculi decimi etiam est, Sanctos, et eorum Reliquias venerari, cujus exemplum Caveus debebat videre in eodem Cæciliano, qui Lucillam non reprehendit, qnod Reliquias osculata esset, sed solummodo, quod hoc

hoc fecerit reliquiis Martyris nondum vindicati. Apparitiones, visiones memorantur in Scriptura etiam Apostolis factæ, *Act.* 9. *v.* 17. *Cap.* 10. *v.* 10. *etc:* Si hæ igitur superstitiones sunt, illæ jam viguerunt etiam seculo Ecclesiæ primo, et Apostolico. Vel Caveus circumscribetne Deum in potestate, ut operari jam ulterius apparitiones, et visiones non potuerit? Etiam vero cælibatum inter superstitiones recenset, quamvis de eo consilium ipse Paulus Apostolus dederit, atque etiam in hujus exemplum seipsum proposuerit. 1. Cor. 7. v. 7. 25. *Apostoli,* ait S. Hieronymus in epist. ad Pammach. *vel virgines, vel post nuptias continentes.* Sed baptismus campanarum videlicet est portentum superstitionis, quod nullo modo negari possit. Ideo vero illarum benedictio vocari solet baptismus, quod illius Sancti, in cujus honorem per benedictionem dedicantur, nomen ipsis imponatur. Quid vero hoc superstitionis habet?

§. 23. In Concilio a. 996. Romæ habito Baronius, et plures alii censent a Gregorio V. Papa institutos esse *septem Electores* Imperii, penes quos jus esset eligendi Reges Germaniæ, deinde promovendos etiam ad dignitatem Imperatoris Romanorum. Viguit vero etiam postea mos eligendi Reges in Germania communibus suffragiis Episcoporum, Procerum, et exercitus. Nec quando postea inceperint esse Electores septem, conveniunt Scriptores. Hoc solummodo habetur, Albertum I. in epist. ad Bonifacium VIII. recognovisse, jus eligendi Regem Romanornm certis Principibus Ecclesiasticis, et secularibus Germaniæ a Sede Apostolica concessum esse.

Gregorio eidem V. a. 999. mortuo in Pontificatu successit *Silvester II.* Gerbertus ante nominatus, natione Gallus, primum monachus, et Abbas Bobiensis in Italia, tum Archiepiscopus Rhemensis, post Archiepiscopus Ravennatensis, demum Pontifex Romanus. Lothario Rege Galliæ mortuo, Galli Hugonem Capetum elegerant Regem posthabito Carolo Lotharii fratre. Unde enatum inter hos bellum, in quo Carolus Hugoni succubuit. Arnulphum autem Lotharii nothum Hugo ad Archiepiscopatum Rhemensem provexerat ad stirpem Lotharii succidendam. Eumdem Arnulphum postea, eodem Hugone adnitente, proditionis insimulatum, et ad falsam istius criminis confessionem adactum Episcopi in Concilio Rhemensi e dignitate Episcopali deposuerunt, et in ejus locum Gerbertum ordinaverunt. At vero Gregorius V. Papa interdixit sacris omnibus Episcopos, qui Arnulphum dejecerant, eumdemque jusserat reponi. Adversus hanc jussionem Romani Pontificis Gerbertus scripsit epistolam ad Seguinum Archiepiscopum Senonensem, volens ei persvadere, judicio, quod factum est ab Episcopis Galliæ de Arnulpho, adhærendum esse, non vero jussioni Pontificis parendum. Similes literas idem Gerbertus dederat ad Wilderodum Argentinæ civitatis Episcopum, ut impediret executionem illius jussi, a Gregorio Papa dati: quod ei tamen non successerat.

A Scriptoribus Protestantibus Gerbertus habetur Sedis Pontificiæ *oppugnator* acerrimus, imo in exemplum etiam affertur non creditæ Pontificiæ potestatis, tantoque majus pondus volunt inesse ipsius facto, quo renitebatur adversus Romanum Pontificem, quod ad Pontificatum ipse

etiam

etiam postea evectus sit. Quid vero hinc argumenti adversus potestatem Romani Pontificis, quam vi Primatus supra universam Ecclesiam obtinet? Nam etiam Petrus abnegaverat Christum, et tamen factus est Rector universæ Ecclesiæ; nec ideo Christus non est Christus, quia negatus est a Petro. Quemadmodum vero Petrus amare deflevit crimen a se negati Christi; ita testimonio Eginaldi Continuatoris Aimonii, jamque ante etiam Pontificatum, intelligens, quod injuste Pontificalem suscepisset dignitatem (Rhemensis Ecclesiæ) pœnitentia ductus est. Argumenta, quibus Gerbertus lacessivit Pontificiam potestatem, produxi in Institutionibus, ut posset apparere, quod asserui, esse illa ejusmodi, ut nequidem mereantur dici argumenta. Cum Ottone III. Imperatore Gerbertus in Italiam profectus ejusdem Ottonis patrocinio factus Ravennatensis Archiepiscopus est, et Gregorio V. mortuo, ipsam quoque S. Petri cathedram conscendit. *Benno* Clementi III. Antipapæ addictus fabulam composuit de Gerberto, quasi Pontificatum obtinuerit per diabolum, suam animam ei oppignorans; si factus Pontifex, tenuisset Pontificatum eo usque, donec vidisset Jerosolymam, et de magica ejus arte, quam exercuerit. Erat in mathematicis, et astronomica scientia egregie versatus. Hinc ea, quæ ille ingeniosa inventa fecerat, ad magiam traxerunt ii, ultra quorum captum ista erant, et quæ Benno aucupatus vulgaverat ad obtrectandum Romanis Pontificibus. *pag.* 188.

§. 24. [a] *Malitia*, et perversitate *Judæorum* factum est, ex Gallia falso nuncio misso ab

---

a) In Institutionibus iste §phus est signatus numero 22. et subsequens numero 23. per errorem.

ab his in Orientem ad Saracenorum Calipham, de ingentibus copiis venturis Christianorum ad vindicandas sibi Ecclesias, nisi has prius evertissent, et inprimis Jerosolymæ exstructam supra sepulcrum Christi. Princeps Saracenorum, quo jubente Ecclesia eversa est, cum edictum etiam fecisset de Christianis omnibus interficiendis, hi vero etiam Saracenis interfectoribus restitissent, interfectus est ipse etiam Princeps Saracenorum eversor templi, et edicti illius auctor. Maria religione Christiana, quæ nupta erat ejus patri, reædificavit templum, sed non secundum priorem magnificentiam. Judæi autem in toto Occidente, cum ista eorum malitia detecta fuisset; ita habiti sunt, ut de ipsis penitus sufferendis cogitatum etiam sit. *pag.* 200.

§. 25. A Basilio Imperatore, et Eustathio Patriarcha Constantinopolitano veniunt legati ad Joannem XIX. Papam, petentes, *Quatenus cum ejus consensu liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Romana in universo, universalem dici, et haberi.* Negatum vero hoc ipsis est: sed neque concedi potuit: quo concesso non mansisset Primatus, quem Christus unitatis servandæ causa ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Dum autem istud Græci petierunt ab Romano Pontifice, facto suo declararunt, se illud non habere, nec aliunde posse accipere, quam ab Romano Pontifice: quod et ipsum non recte existimarunt, quandoquidem nec in potestate Romani Pontificis sit, renunciare Primatui, quem in illo Christus unitatis servandæ causa constituit.

Joanne XIX. a. 1033. vita functo *Theo-*

phy-

phylactus Comitum Tusculanorum potentia, et largitionibus, quibus erat sangvine junctus, ad Pontificatum evectus est, puer duodecim annorum neque a moribus commendatus. Cur hunc talem elegerunt, et illud erat, quod sui similem habere voluerint Pontificem ii, qui elegerunt. Nam incontinentia ita invaluerat hoc tempore etiam Romæ, ut Presbyteri, et Diaconi more laicorum uxores ducerent. Benedictus IX. est vocatus, adeptusque Pontificatum omnem sibi sumpsit vivendi licentiam. Romani propterea illum ex Urbe expulerunt. Conradus Imperator illius patrocinium suscepit, et ad dignitatem reposuit. Post annos autem quatuor iterum Roma fugere coactus est. Romani vero alium Pontificem elegerunt Joannem Episcopum Sabinensem, qui se *Silvestrum III.* nominavit. Hunc Benedictus, fultus Comitum Tusculanorum viribus, Roma expulit, seque ad dignitatem pristinam collocavit. Contemnebatur autem ab omnibus. Quod moleste ferentem Joannes Archipresbyter pecunia induxit ad dimittendum Pontificatum. Itaque hunc in eumdem Joannem transtulit ea etiam de causa, ut curis solutus genio eo liberius indulgere posset. Joannes nomen Gregorii VI. sibi assumpsit. Attamen paulo post iterum conabatur sibi vindicare Pontificatum. Henricum III. Conradi filium a. 1046. dum Romam iret, Imperatoris coronam suscepturus, adierunt complures Episcopi, et Abbates, rogaruntque, ut manum porrigeret perturbato Ecclesiæ statui: siquidem tres essent, qui se ferrent Romanos Pontifices. *Sutrium* ad *synodum* Episcopos convocavit Gregorius VI. rogatus ab Henrico. In hac de Silvestro judicium factum est, fuisse invasorem Sedis Apostolicæ; de Theophylacto autem nullam debe-

bere esse quæstionem, qui ipse se deposuerit ex Pontificatu. Gregorius rogatus, ut exponeret, qua ratione pervenisset ad Pontificatum, confessus est intervenisse pecuniam, et sententiam in seipsum tulit de se submovendo ex Romano Episcopatu. Potuisset factum ipsius excusari, qui pecuniam dederit, non ut ipse fieret Pontifex, sed ut Theophylactum induceret ad deponendum Pontificatum, idque, quemadmodum confessus ipse etiam Gregorius erat, fecerit amore S. Petri, cujus Sedes talem labem pateretur. Non ambitione ductum fuisse in suscipiendo Pontificatu ex eo etiam apparet, quod tam prompte hunc, atque ultro dimiserit.

Electus deinde est Romæ Svidgerus Episcopus Bambergensis, qui se *Clementem* II. in Pontificatu vocavit. Huic jam mense Pontificatus nono mortuo successit *Damasus II.* cujus adhuc brevior nonnisi dierum trium, et viginti erat Pontificatus. Hunc secutus in Pontificatu est Bruno Episcopus Tullensis, qui se *Leonem IX.* in Pontificatu nominavit. Hic primum Romæ celebrato concilio, deinde Papiæ omnibus viribus incubuit ad exstirpandam simoniam, et incontinentiam in Clero. Ex Italia transiit in Galliam, et Germaniam; pariterque Rhemis, atque Moguntiæ concilia instituit eumdem in finem. Perfunctus pro Ecclesia magnis laboribus a. 1054. decessit. Gebhardus Episcopus Echstadiensis ei successit *Victor II.* dictus in Pontificatu. *pag.* 204.

§. 26. Victor fortissime institit iis, quæ a Leone, aliisque Pontificibus erant constituta, et decreta adversus illa vitia, quæ Clerum dedecora-

ra-

rarunt etiam *synodo* rursus hac de causa instituta *Florentiae.* In qua illud etiam interdictum severissime est, ne Episcopi prædia, et fundos ad Episcopatum suum pertinentes, abalienarent, dum quidam eorum fuissent reperti, qui rem hanc egerint. Hoc tempore cœpit *redemptio poenitentiae* in ejus vicem Ecclesiæ facta donatione fundorum, unde proventus Ecclesiarum pretia peccatorum appellari consveverunt. Jam ineunte seculo nono plures prodierunt libri Poenitentiales, præscribentes modum, quo pœnitentia, quæ juxta veteres Canones multis annis durabat, et cui pœnitentiæ nec vita sufficeret eorum, qui eam deberent agere præsertim, si criminum major numerus, et enormitas esset, in brevius tempus contraheretur, diuturnitatem pœnitentiæ alia ratione compensando. Hæc *compensatio* fiebat suscipiendo peregrinationem ad Sanctorum sepulcra vel ad basilicas, etiam nonnumquam nudis pedibus, et sub onere catenarum sibi impositarum, et unde etiam venerat permutatio pœnitentiæ cum profectione ad bellum pro recuperatione Terræ sanctæ. Erant hæc austeriora etiam jejunia, quibus compensabatur pœnitentia, et flagellatio, facta palmis, vel alio cædendi instrumento. Ter mille ictus cum triginta Psalmis sub flagellatione pronunciatis pro pœnitentiæ uno anno reputabantur. Nec multo post rigor pœnitentiæ mitigari cœpit per *Indulgentias.* Alexander II. Papa a. 1071. omnium primus has largitus est ea forma, qua nunc in dedicatione Ecclesiæ monasterii Cassiniensis. Victori II. in Pontificatu successit *Stephanus IX.* Huic post unum annum mortuo *Nicolaus II.* *pag.* 214.

§. 27. Antequam vel instituta esset electio Romani Pontificis mortuo Stephano IX. factiose *Joannes Mincius* Episcopus Velitrensis erat impositus ad Pontificiam Sedem, Benedictum se nominans: ex qua vero ejectus est per Godefridum Marchionem, quem Agnes Imperatrix, quæ regnum administrabat Henrico III. mortuo, dumque Henricus filius, dictus deinde Quartus, nonnisi sexennis esset, miserat, ut consecrationi Nicolai II. interesset. Ad ejusmodi igitur casus præpediendos, qui jam ante etiam sæpius contigerant, Nicolaus, Romæ instituto concilio a. 1059. decretum fecit: *Ut electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium Episcoporum sit, ita, ut si quis Apostolicæ Sedi sine præmissa concordi, et canonica electione eorum, ac deinde sequentium Ordinum Religiosorum, Clericorum, et laicorum consensu inthronizatur; is non Papa, vel Apostolicus, sed apostaticus habeatur.* In quo etiam eodem decreto est, ut electio salvo honore, et reverentia erga Regem Romanorum, et Imperatorem fieret. Supra ex hujus Partis III. §. 1. intelligi potest, in quo honor iste, et reverentia constiterit, videlicet ut antequam electus Pontifex consecraretur, consensus etiam in ejus electionem ab Rege Romanorum, vel Imperatore peteretur. Hæc autem electio deinde per Innocentium III. præcise ad *solos Cardinales* restricta est, idemque etiam per Gregorium X. in Concilio generali Lugdunensi II. confirmatum est.

Cardinales non solum Romæ, verum etiam alibi locorum ii dicebantur Presbyteri, qui cuidam Ecclesiæ, velut ejus cardini, inserti essent ad peragenda munia Sacerdotalia; nec non Di-

Diaconi, qui positi curatores in aliqua Diaconia essent, hoc est, domo pauperibus, et viduis destinata. Hi Presbyterium Romæ constituerunt Romani Pontificis, et Consilium ad tractanda negotia Ecclesiastica, Cardinales vero Episcopi nulli ante seculum undecimum erant. Sunt vero hi septem Ecclesiarum vicinarum Episcopi, hoc tempore designati, ut assisterent Romano Pontifici, Sacra facienti, vel hæc coram eo peragerent. Non idem numerus semper erat Cardinalium. A Paulo IV. eorum numerus ad duos, et septvaginta evectus est. Ex his sunt Episcopi 6, Presbyteri 52, et Diaconi 14. Ab Innocentio IV. pileus ruber ipsis concessus est: iidem deinde vestem sumpserunt purpuream; Eminentissimorum etiam titulo condecorati ab Urbano VIII. *pag.* 220.

§. 28. Dum *Petrus Damiani* missus a Nicolao II. *Mediolanum* esset ad illa vitia illic e Clero, quæ eum hoc tempore deturpaverant, eliminanda, ejusmodi oppositionem expertus erat, ut occlamantibus Clericis, non debere Ecclesiam Ambrosianam subjacere Romanis legibus, et concitata civitate ad seditionem nonnisi mortem exspectaverit. Prudentia vero sua eo rem nihilominus deduxit, ut ipse etiam Guido Archiepiscopus in terram prostratus, crimen simoniæ de se confessus sit, et tam iste, quam ceteri etiam omnes resipuerint, et pœnitentiæ se subjecerint, quam eis Petrus Damiani imposuerat.

Nicolao II. vita functo *tumultus* magni exorti sunt et Romæ, et in Lombardia. Romani alii expetebant Pontificem, qui moribus ipsorum conniveat, Nicolaum hac in re severum experti,

alii

alii contra quibus cordi erat probitas, similem Nicolao. Episcopi Lombardiæ, celebrato concilio, se in eo fixerunt, ut non aliunde, quam ex paradiso Italiæ, sic suam Lombardiam appellaverunt, Romanus Pontifex eligeretur. In Lombardia adhuc omnium maxime simonia, et incontinentia Clericorum vigebat. Hoc erat, cur aliquem e grege suo vellent habere Papam. Utraque pars cum se contulisset ad Henricum Germaniæ Regem in hac causa, ille vero legatos nequidem in conspectum suum spatio mensium trium, et ejus partis, quæ sollicita de bono Pontifice erat, admisisset, Cardinales, et Clerus Romanus electionem perfecerunt, qua Anselmus Episcopus Lucensis, Pontificali nomine *Alexander II.* evectus ad Pontificatum est. Agnes Imperatrix concitata ab adversa parte, quasi hoc cum ejus despectu quia femina sit, actum esset, dedit facultatem factiosis eligendi alium Pontificem. Is *Cadolaus* fuit Episcopus Parmensis, qui assumpto nomine Honorii II. et militia succinctus Romam iverat ad occupandam Pontificiam Sedem, quod ei tamen non successit ex sententia. *Anno* Archiepiscopus Coloniensis tutor erat constitutus Henrici pueri. Is Romam venit, dum a turbis continuandis Cadolaus non destitisset; cumque quæsivisset ex Alexandro Papa, quo pacto non habito consensu Henrici Regis suscipere Pontificatum potuerit, responsum est sic, ut etiam ipsi Annoni sit satisfactum. Eodem Annone petente est deinde *Synodus Mantuae* instituta ad Episcopos Lombardiæ cum Alexandro Papa reconciliandos. Omnes recognoverunt rite, et legitime factam esse ejus electionem, seque ei subjecerunt præter Cadolaum, qui nequidem ad synodum comparuit. Is damnatus ab universa syno-

do

do paucos post dies etiam pessimam mortem incurrit. *pag.* 227.

§. 29. Henricus Annonis consilia, et monita adeo ferre noluit, ut illum etiam ex aula expulerit, atque occidere voluerit. Itaque *Anno abdicavit* se munere tutoris. Henricus vero in ejus locum assumpsit *Adelbertum* Episcopum Bremensem: quo sinente Henricus ibat per libidinum præcipitia. Habebat *Bertham* Ottonis, cujusdam Marchionis in Italia, filiam sibi copulatam matrimonio: quam vero licet egregiis animi, et corporis dotibus præditam, statim fastidivit, quia ei dissimilis in moribus erat. *Binas, vel ternas simul concubinas habebat: nec his contentus cujuscunque filiam, vel uxorem juvenem, et formosam audierat, si seduci non poterat, sibi violenter adduci praecipiebat. In homicidiis tot immania perpetravit facinora, ut dubium sit, quæ major ejus sit infamia, libidinis incestæ, an crudelitatis immensae.* Sunt verba Brunonis *in Hist. Belli Saxon.* Episcopatus venales habuit, atque istos iis tribuit, qui plus pecuniæ offerebant, vel flagitiis ipsius magis adulabantur. Alexandro II. in Pontificatu successit Gregorius VII. antea Hildebrandus vocatus. *pag.* 234.

§. 30. *Gregorius* invitus tractus, et collocatus ad Pontificiam Sedem, volens tamen adhuc subterfugere dignitatem, non prius se sivit consecrari Pontificem, quam in sui electionem consensum etiam obtinuisset ab Henrico Rege: quem vero terruit denuncians, se, si factus fuerit Pontifex, non impunita laturum illius facinora. Consensum vero etiam Henricus dederat lætus,

tus, et libens. Jam *Saxones* adversus Henricum, a quo gravissime premebantur, ad Alexandrum Papam recurrerant: sed quod negotium, illo paulo post mortuo, in Gregorium recidit. Principes enim, et nobiles Saxoniæ possessionibus spoliaverat, atque etiam servituti mancipare decreverat; Ottonem quoque Bavariæ Ducem, eo quod ex prosapia Saxonum esset, ditione etiam sua exuit absque causa, nullo facto judicio. Thuringi quoque vexati ab Henrico vehementer, nec non et Svevi se se confœderaverant cum Saxonibus. Res spectabat ad civile bellum. Hoc Gregorius ut præpediret, misit literas ad Henricum paterni sui amoris plenissimas, svadens ei, et monens, ut ea sequeretur, quæ ad profectum Ecclesiæ, et honorem Regiæ dignitatis pertinerent. Henricus ei respondit cum magna contestatione suæ erga eum observantiæ, et affectus. Bonam conceperat spem Gregorius de Henrico. Itaque cum Principibus Saxoniæ egit, ut inducias belli facerent, quod non solum apparabant, sed jam etiam eruperat, suam pollicitus operam ad rem inter ipsos, et Regem componendam. Principes Saxoniæ paruerunt. At vero Henricus his ipsis induciis usus est ad illos opprimendos, inopinantes adgrediendo. In fugam nihilominus actus, cum majores vires collegisset, rursusque Saxones adortus esset, magnam illorum stragem edidit, et victoriam reportavit.

Hac insolescens, seposuit ea omnia, quæ se observaturum spoponderat Pontifici, et rediit ad Episcopatuum nundinationem non tantum in Germania, verum etiam in Italia. Quapropter Pontifex Henricum Romam ad synodum vocavit, ubi causa ipsius expendenda esset. Accepto consilio

a Sigefrido Archiepiscopo Moguntino Henricus convocat *Vormatiam* omnes Episcopos suarum ditionum. *Hugo* cognomento Candidus a Gregorio dignitate Cardinalitia erat exutus, quod quosdam Episcopos labe Simoniæ affectos ausus esset absolvere injussu Romani Pontificis. Is ad hoc conventiculum etiam venit, et epistolas attulit omnium Cardinalium, multorum Archiepiscoporum, nec non Senatus, et totius populi Romani nomine scriptas, quibus petebatur ab Henrico, ut amoto Gregorio alium Pontificem ipsis det. Erant autem hæ epistolæ omnes nonnisi ab ipso Hugone confictæ. Crimina quoque afferebantur de Gregorio conficta, Sedem Apostolicam occupasse per hæresim Simoniacam, et ejusmodi facinoribus tam ante Episcopatum, quam post se maculasse, quæ ei secundum canones omnem ad sacros Ordines accessum obstruxerint. Homicidia, et adulteria in eum speciatim erant collata. Conscribitur anathema in Gregorium, cujus Sigefridus fuit compositor. Jubentur Episcopi omnes subscribere, secus, velut Majestatis rei, subituri poenam capitalem. Idem anathema subscripserunt etiam Episcopi Lombardiæ in suo conciliabulo *Papiensi*. Ante rem hanc Vormatiæ actam quidam *Cincius* facinus etiam commiserat horridum in eumdem Gregorium. Nocte natali Domini irruit in Ecclesiam, et Gregorium Missarum solennia peragentem, per capillos ab altari abstraxit, et in domum quamdam abripuit. Fit hominum concursus sequentis diei mane, qui effractis foribus Pontificem liberarunt: Cincius mortem non evasisset, nisi ei Pontifex multitudinem placavisset. Invaserat possessiones Romanæ Ecclesiæ, nec monitus aliquoties, desistere voluerat. Idcirco ex-

excommunicatione percussus erat a Gregorio. *pag.* 239.

§. 31. Henricus *decretum* illud, quo anathema erat latum in Gregorium, misit per *Rolandum* Clericum Parmensem Romam, ut illud ibi promulgaret in ipsa synodo, quam Gregorius celebrabat. Quod cum factum esset cum summa istius Clerici temeritate, et Gregorio expositum Henrici mandatum, ut Sedem relinquat, quam dignus non sit tenere, quia non pastor, sed lupus sit rapax; omnibus, qui erant in concilio flagitantibus, ne tanta contumelia sineretur impunita, Gregorius excommunicationis sententiam in Henricum tulit, nec non etiam in Sigefridum Moguntinum, Wilhelmum Trajectensem, et Robertum Bambergensem Episcopum: quos Henricus suæ factionis præcipuos adjutores habuerat in conventiculo Vormatiensi. Sententia a Gregorio lata in Henricum, cum fuisset perlata in Germaniam; Rudolphus Dux Sveviæ, Welfus Bavariæ, aliique Principes omnes Germaniæ *Tiburniae* a. 1076. conventum instituerunt, cui ipse etiam Sigefridus, et Episcopi alii, qui se prius Henrico addixerant, adjuncti erant. Converterunt videlicet vela navis in eam partem, in quam aura flabat. Hi Principes se obfirmaverunt ita ad deponendum Henricum e dignitate Regia, ut quamvis ille legatos alios post alios misisset ad eumdem conventum deprecandi causa; eosdem tamen Principes flectere non potuerit. Confugit itaque ad arma, sic adhuc tentaturus fortunam. Tunc Principes, miserati Germaniam, cesserunt, ea autem ratione, ut rem Romano Pontifici committerent decidendam, quem rogaturi sint, ut die 2. Febr. a. 1077. Augustam ad Comitia to-

tius regni venire non gravetur, si tamen excommunicatione prius solutus esset, quam ab illa in se lata annus præteriisset: interea autem Spiram se conferret, illicque maneret usque ad illa Augustana comitia.

Henricus his se conditionibus prompte subjecit. Attamen Spiræ non mansit, sed ut excommunicatione solveretur ipse in Italiam profectus est hiemis tempore rigidissimo, et per Burgundiam multo difficiliore, et montibus aspero itinere. Nam Principes Germaniæ impedire volebant, ne seorsim ab ipsis Henricus tractaret cum Romano Pontifice. Pontifex jam erat in itinere in Germaniam: qui nescius, qua mente Henricus adveniret, *Canusium*, quod castellum erat Tusciæ in ditione Mathildis comitis, se recepit. Huc venit Henricus, ut excommunicatione solveretur, ad quam petendam jam venerant plures etiam ex Episcopis, qui factioni Vormatiensi impliciti erant, in pœnitentiæ habitu nudis pedibus, induti tunica lanea. Henricus admissus intra secundum murum castelli, et ipse conformatus habitui pœnitentium, quarto die excommunicatione absolutus est, ea autem conditione, ut præsens adesset in Augustano conventu, et ipso Pontifice cognitore vel regiam dignitatem retineret, si objecta purgasset; vel si non, ejus amissionem æquo animo ferret. Jam *Benno* schismaticus Cardinalis Guiberti antipapæ, de quo adhuc fiet sermo, maledico dente carpserat Gregorium, obtrectator etiam aliorum Pontificum, et nunc carpunt Romani Pontificis adversarii, quod Henricum, nulla ductus reverentia erga ejus dignitatem Regiam, sic in illo pœnitentiæ habitu siverit stare triduum, antequam in conspectum ad-

admisisset. Sponte vero sua Henricus illum poenitentiæ habitum assumpsit. Moram vero illius tridui Gregorius instituit, non quod adversus Regiam Henrici dignitatem aliquid agere voluerit; sed ut exploraret, qua sinceritate pœnitentiam præseferret. Hos vero obtrectatores oporteret etiam ostendere, ubinam in Evangelio alia pro Regibus, alia pro hominibus aliis, sit præscripta pœnitendi ratio. Novitne aliquod discrimen S. Ambrosius erga Imperatorem Theodosium? *pag.* 247.

§. 32. *Henricus* Canusio discedens cum venisset in *Lombardiam*, expertus est sibi contrarios Episcopos, et ipsas etiam civitates, quod se Gregorio subjecisset, ut etiam indignum Regia dignitate ducerent. Quorum a se defectionem metuens, rupit, et retractavit omnem, quam sui submissionem exhibuerat Gregorio: nec tantum ipse non ivit ad Comitia Augustana, verum etiam Gregorio transitum præclusit in Germaniam. Comitiis Augustanis hac ratione frustratis, Principes Germaniæ *Forcheimii* in Francoma die 15. Martii eodem anno convenerunt, et abrogata Henrico dignitate Regia *Rudolphum* Ducem Sveviæ, Regem sibi elegerunt. Quæ vero electio non fuit probata Gregorio, sed missa legatione in Germaniam petiit, ut ab utríusque Regis, Henrici, et Rudolphi parte securum ei iter præstaretur in Germaniam ad causam inter hos discutiendam, cui magis ad regni gubernacula justitia faveret. Hoc vero non tantum Henricus non fecerat, verum etiam Gregorio insidias struxerat ad eum capiendum, et occidendum. Irrupit deinde copiis conquisitis ex Italia adversus Rudolphum in Germaniam, et tali acerbitate bel-

bellum gessit, ut viros, dignitate fulgentes, pro mancipiis haberet, et Episcopos captos alios in vinculis servaret, alios trucidaret. His malis pressi Germani jacere querelas in ipsum Pontificem non dubitarunt, quod ista ipse foveret, in suis epistolis Henrico adhuc tribuendo titulum Regis, atque hunc etiam ante Rudolphum ponendo, et quasi neque sibi curæ haberet vastitatem, quam Henricus inferret Germaniæ, tametsi ipse etiam ei interdixisset administratione regni. Quamobrem rursus sententiam Gregorius in Henricum tulit, qua illum, ejusque fautores non tantum excommunicationi subjecit, verum etiam omnem potestatem atque dignitatem Regiam Henrico sustulit, et interdixit, ne ullus Christianorum ei, velut Regi, obediat.

Christus ipse de se dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo* Joan. 18. v. 36. et ei, a quo interpellatus erat, his verbis: *Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*, respondit: *O homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Luc. 12. v. 13. Jam cum prius Henricum Gregorius excommunicatione affecisset, in hujus sententia erant hæc etiam verba: *Henrico totius regni Teutonicorum, et Italiæ gubernacula contradico, et omnes Christianos a vinculo juramenti absolvo.* Attamen, quemadmodum vidimus, improbavit electionem novi Regis Rudolphi, factam a Principibus Germaniæ, et ad causam inter eos discutiendam, et ad demonstrandum, cui parti magis ad regni gubernacula justitia faveret, scripserat se velle in Germaniam venire. Itaque nec ipse Gregorius habuit ista sua sententia Henricum privatum Regia dignitate, et cui, ut pariter vidimus, Regis etiam ti-

titulum tribuerit, Rudolphoque, dum ambos nominaret, anteposuerit cum offensione ipsorum etiam Germanorum. *Disciplina* Ecclesiæ his temporibus vigebat, sed quam ipse Gregorius VII. mitigaverat multum, ut is excommunicationem incurreret, qui excommunicatum non vitasset etiam in communicatione negotiorum, et officiorum civilium. Hinc vero factum est, ut excommunicationis quoddam consectarium haberetur etiam in Rege, si affectus excommunicatione esset, suspensio ab administratione negotiorum. Itaque Edgarum quoque Regem Angliæ per septennium, quo pœnitentiam publicam egerat, sibi impositam, abstinuisse diademate, est demonstratum *Institution. mearum Part. III.* §. 21. Inter hanc alteram sententiam, a Gregorio latam in Henricum, et priorem vix aliqua in verbis, quibus ambæ conceptæ sunt, differentia est. Igitur neque in hac plus erat, quo intenderit Gregorius, vi suæ potestatis Pontificiæ, quam quantum fuerit in prima. Dixi, vi potestatis Pontificiæ. Nam, postquam Principes Germaniæ Gregorio detulerant, ut *Ipse suo judicio Henricum vel abdicet, vel absolvat accusatum*, atque ipse etiam Henricus huc suum consensum dedisset, etiamsi Gregorius sententiam suam direxisset ad Henricum, Regia etiam dignitate privandum, non istud vi spiritualis suæ potestatis fecisset; verum ex compromissione utriusque partis in se, nihilque sibi sumpsisset, et arrogasset ultra id, quod haberet. Qui Gregorium *circumferebant*, quasi super omnia regna mundi secularem potestatem sibi arrogasset, atque etiam nunc adhuc circumferunt, solent proferre in testimonium ejusdem Gregorii epistolas, atque ex his excerptas sententias, nec non Acta concilii inter has epistolas

po-

positi, in quo suam Gregorius altera vice tulerat sententiam in Henricum. Alia autem ex his, quæ proferuntur vel sunt supposititia, quod inde manifestum fit, quia non cohærent inter se, quæ dicuntur; vel detorquentur solummodo in deteriorem partem, cavillandi studio. *pag.* 258.

§. 33. Henricus Moguntiæ cum aliquot Episcopis suæ factionis iterum jacit anathema in Gregorium, quasi par ei redditurus. Instituit Episcoporum conciliabulum primum Papiæ, deinde Brixiæ: in quo altero *Guibertus* Archiepiscopus Ravennatensis, pseudo-papa eligitur, qui nomen Clementis III. sibi assumpsit. Rudolphus in prælio inito cum Henrico, cadit amisso etiam brachio. Eidem sufficitur *Hermannus* Comes Luxemburgicus. Henricus pergit Romam ad Guibertum in Sede Pontificia collocandum. Romam conatus subire, cum semel, atque iterum res ei non successisset, tertio demum pecunia corruptis Romanis cum sibi fecisset aditum, a Guiberto coronatus Imperator est. Robertus Guiscardus Dux Apuliæ in auxilium Gregorio venit. In fugam se dat Henricus. Gregorius, turbatis rebus Romæ per Guibertum, nactum plures, qui ei adhærerent etiam ex Romanis, concedit Salernum, ubi a. 1085. moritur. In libro II. Epistolarum ejusdem Gregorii exstat libellus sub nomine: *Dictatus Papae*, septem et viginti continens sententias, quasi quædam effata de auctoritate Romani Pontificis, sed ita ut veris etiam sint falsa admixta, ut per ista etiam illa in contemptum adducerentur. Passim itaque iste Dictatus abjicitur a Criticis.

Gregorio VII. in Pontificatu successit *Victor III.* antea Abbas Cassinensis, et Cardinalis. Mortuus est jam post menses sex. Huic suffectus est *Urbanus II.* antea Cardinalis, et Episcopus Ostiensis. Guibertus aliquoties Roma ejectus cum in eam identidem irrepsisset, demumque in civitatem Italiæ *Castellum* confugisset, subita morte exstinctus. Factio illius tres adhuc ei successores dederat alium post alium. Cito vero exaruit penitus. Eorum ultimus Maginulphus nomine, cum de loco in locum fugisset, timens sui comprehensionem, demum cum lingvam etiam corrosisset, ut intelligi potest, ex desperatione, fecit finem vitæ. *pag.* 276.

§. 34. Urbano II. gerente Pontificatum ut bello civili finis imponeretur, Principes Germaniæ, polliciti erant Henrico, quod si ad concordiam cum Pontifice rediisset, se quoque operam navaturos ad regnum ei constabiliendum. Episcopi factionis Guibertinæ hinc eum averterunt. Bertha conjuge mortua Henricus *Adelhaidem*, Ruthenorum Regis filiam, duxerat uxorem. Hanc ut vexaret, plurimis dabat constuprandam, ipsi etiam Conrado filio: et quia obsecutus patri non est, ille ipsum suum negavit esse filium. Hac contumelia *Conradus* incitatus armis insurrexit adversus Henricum patrem, inita belli societate cum Velpho Bavariæ Duce. Henricus in eas angustias redactus est, ut nisi retentus a suis fuisset, ipse sibi necem conscivisset. Conrado paulo post mortuo *Henricus* alter *filius* adversus patrem rebellavit, causam præseferens odium, et detestationem paterni schismatis, et dissidii tam diuturni cum Apostolica Sede. Defecit major exercitus pars ab Henrico patre. Ille ipse venit

nit

nit ad castra filii, seque paratum ad omnia obtulit. Institutus est conventus Moguntiæ a. 1106. Svasum hic Henrico fuit, ut Coronam, et sceptrum traderet filio. Paruit, et se ad privatam vitam recepit. Sed paulo post resumpsit arma, et imploravit auxilium omnium Regum, demum appellavit ad Romanum Pontificem adversus Henricum filium, a quo per injuriam spoliatus sit regno. Indicitur conventus regni *Aquisgranum* ad concordiam faciendam inter Henricum patrem, et filium. Interea Henricus pater Leodii aeger decumbit, et moritur die 7. Aug. a. 1106 a. 55. ætatis suæ. Spiram delatus est, et extra locum sacrum tumulatus. Anno quinto post, cum quidam reperti fuissent, qui testarentur, Henricum pœnitentem obiisse, filius Henricus accepta facultate a Paschali II. Papa sepulturæ Ecclesiasticæ, ei funus, et sepulturam talem instituit, qualem nullus habuerit anteriorum Imperatorum. *pag.* 280.

§. 35. Urbano II. *Paschalis II.* successit in Pontificatu a. 1099. Hic Henricum V. sibi suspectum habuit, nec ut postea patuit, formidine vana. Namque pergebat etiam ipse Episcopatus, et Abbatias conferre per annulum, et pedum, quam *Investituram* moris erat vocare. Quia vero annulus, et pedum insignia sunt dignitatis Episcopalis, et Episcoporum munus sacrum sit; ideo Investitura isto modo considerabatur tanquam factum, quod non possit competere laico, et quam exercendo invadat in spiritualem potestatem. Hæc de causa Paschalis in Galliam profectus est ad Philippum Regem Galliæ, atque hunc, ejusque filium Ludovicum, qui deinde sextus hoc nomine inter Reges Galliæ fuit,

sibi,

sibi, et Apostolicæ Sedi conciliavit, ut si quis casus adversus contingeret, opem, et auxilium ferrent. *Trecis* deinde Paschalis *concilium* instituit, Episcoporum numero admodum frequens, atque inter alia etiam contra Investituras, factas per laicos, decretum fecit.

Anno 1110. *Henricus* Romam ivit, eum in finem, ut Imperator *coronetur*, nullo modo modeste, et pacifice. Pontifex adpropinquanti misit conditiones, sub quibus eum coronaturus sit, neque aliter. Subscripsit istis tam Henricus, quam Principes Germaniæ, qui in ejus comitatu erant, insuper jusjurandum dederunt de his observandis. Magna pompa est exceptus Romæ. A Pontifice præ foribus Ecclesiæ ad S. Petrum sedente cum esset exceptus inter mutua oscula, et ingressi in ea consedissent; Pontifex ab Henrico petiit instaurationem Ecclesiastici juris, et ut abstineat ab Investitura. Surgit Henricus cum suis, et quasi deliberandi causa cum his se confert in aliam partem Ecclesiæ. Milites vero Germani cingunt totum consessum Pontificis cum Cardinalibus, et Episcopis, et cinctum tenent usque ad noctem. Quæ ubi advenit, Pontificem una cum Cardinalibus, Episcopis, aliisque Clericis, et laicis abducunt in quamdam domum, eos, qui adhuc cum floribus, et palmis cum quibus Henricum deduxerant in pompa ad Ecclesiam, gladiis feriendo, et occidendo, etiam pueros. Fit *motus*, et concursus ex urbe tota. Cæduntur milites Germani, qui urbem erant ingressi. Fit etiam irruptio in castra eorumdem Germanorum, et cum alios interficiunt, tum Henricum quoque ex equo detractum jam gladio in facie percussum, et vulneratum, occidissent, nisi Otto Co-

mes

mes Mediolanensis ei subvenisset, suumque equum ei dedisset, cujus subsidio effugit: Otto autem membratim concisus est. Tam erat cruenta pugna, ut Tiberis cæsorum sangvine rubuerit. Profugit Henricus, secum trahens Cardinales, Episcopos, aliosque Clericos, et laicos, qui comprehensi ab ejus militibus erant, vinctos funibus. Denunciat deinde Pontifici, idque jure jurando, se istos omnes partim occisurum, partim membris mutilaturum, nisi consenserit in Investituras. Motus Pontifex istorum calamitate sibi impendente, solutus in lacrymas, *E n c o g o r*, inquit, *pro Ecclesiæ pace, et liberatione hoc pati, hoc permittere, quod pro vita mea nullatenus consentirem.* Consensum cum dedisset post captivitatem unius, et sexaginta dierum, tam ipse, quam ceteri dimissi sunt. Henricum Pontifex coronavit, tumque is discessit in Germaniam. *pag.* 287.

§. 36. Tam Romæ a quibusdam Cardinalibus, quam alibi ab Episcopis, etiam in conciliis, hac in causa habitis, ille *c o n s e n s u s* a Paschali datus *H e n r i c o* in Investituras non tantum non probabatur, sed etiam nullius posse esse firmitatis, statuebatur, imo tam Investituræ, quam ipse Henricus percellebantur anathemate. Pontifex, ne quod hinc oriretur discidium, Romæ die 18. Mart. a. 1112. instituit concilium Episcoporum 126. Una omnium fuit sententia, ut in irritum mitteretur, quod a Paschali concessum esset Henrico: cui neque ipse Paschalis refragabatur. Quia vero juratam etiam fidem Henrico dederat de iis servandis, quæ concesserat, et propter Investituras nihil se adversus eum acturum, tiaram e capite deponens, se abdicare voluit Pontificatu, nequid admitteret adversus fidem,

dem, a se Henrico datam. Consolabantur autem eum omnes, et hortabantur ad resumendum animum, nec permiserunt renunciare Pontificatui. Lata deinde est sententia, qua concessio Investituræ, facta Henrico rescissa est: abstentum autem a censura in eumdem Henricum, ut salvum maneret, quod Paschalis Henrico dederat sacramentum.

Paschalis vita functus est a. 1118. *Gelasius II.* electus in ejus locum est. Quæ electio statim ut Romæ innotuit, Cencius Frangipanes cum armatorum globo advolat, Gelasium manu, in fauces injecta, invadit, et pugnis, atque calcaribus percussum, et cruentatum abripuit ad suam domum, catenisque vinctum custodiæ mandavit. Multi etiam Cardinales, Episcopi, nec non alii Clerici, et laici capti sunt, et similiter in custodiam ab eo dati. Cum Petrus Præfectus Urbis statim accurrisset cum armatis, et duodecim regiones Urbis similiter insurrexissent armati, Cencius Pontificem restituit: qui tam benignus erga illum ejusque socios fuit, ut nullam de iis pœnam sumi voluerit. Henrico Gelasium, ceterosque captos voluisset tradere. Namque ipse etiam *Henricus*, cum eo tempore versaretur in Liguria, illico Romam *properavit.* Aegre noctu effugere potuit Gelasius, et cum summo periculo. Cajetæ quo se contulerat, quæ ejus erat patria, consecratus est. Ab Henrico Romam revocabatur, quasi cujus vellet consecrationi interesse. Renunciavit autem se non crediturum. Henricus Romæ statim Burdinum Archiepiscopum Braccarensem, assentatorem suum, et a Paschali excommunicatum, pseudo-papam fecit. A Principibus vero Italiæ sibi metuens, qui arma adver-

sus

sus eum ceperant, propere rediit in Germaniam. Pontifex Romam erat reversus, sed cum Frangipanes, quorum potens erat familia Romæ, in Galliam securitatis suæ causa discessit; nec amplius Romam rediit, mortuus anno subsequente 1119.

In ejus locum Cluniaci quo se ægrum deportandum curaverat Gelasius, electus est Pontifex Guido Archiepiscopus Viennensis in Gallia, dictus Pontificali nomine *Callixtus II.* Romam perductus est ejusmodi apparatu, et populorum omnium, qua iter faciebat, lætitia, ut nihil simile illa ætas hominum viderit. *Burdinus* Roma tunc se subduxit, et Sutrium se recepit. Sutrienses vero illam Romanis tradiderunt: quem ab his in camelo pelle vervecina indutum, et facie caudam versus collocatum, caudamque pro fræno tenentem Romam reductum Pontifex ad monasterium Cavense relegavit. Idem, cum *legatos* ad *Henricum* Imp. misisset, eumque ad concordiam, cum Apostolica Sede faciendam invitasset, Henricus, eo etiam metu perculsus, quod nisi eam fecisset, atque finem discordiis imposuisset, Principes Germaniæ ei denunciaverint, se illum ex dignitate Regia depostituros cessit, et renunciavit Investituræ per annulum, et baculum Episcopalem: permissum autem ei est a Pontifice, ut illam possit facere per sceptrum; restituit ditiones, quas ipse, et ejus pater decerpserant ex patrimonio S. Petri; permissurumque se Episcoporum, et Abbatum liberam electionem spopondit. Tali ratione consedit illa turbida tempestas de Investituris in Germania, et Italia. *pag.* 292.

§. 37.

§. 37. Duravit vero *Investitura* hæc adhuc aliquamdiu in *Anglia*: ubi et illud erat. *Gulielmus II.* Rex simul atque Episcopus, vel Abbas aliquis obiit, bonis Episcopatuum, et Abbatiarum aliquem e suis satellitibus imposuit ad proventus percipiendos, et ad ærarium Regium inferendos, ne tantum quidem relinquendo Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, et cœnobitis, quantum sufficeret eorum sustentationi: nempe Canonicorum et Episcopi possessiones non erant in Anglia separatæ. Itaque proventibus Episcopatuum pergentibus ad ærarium Regium, neque Canonicis aliud manebat, quam quod ipsis hinc juxta arbitrium Regis dabatur. Idem Gulielmus sinebat vacare diutius Episcopatus, et Abbatias. Dum accidisset, ut Rex graviter decumberet, per hanc occasionem permoveri potuit, ut *Anselmum* nominaret Archiepiscopum Cantuariensem, qui in quartum annum vacabat. Cito vero hunc fastidire cœpit, eo, quod in illis, quæ agebat, ei non conniveret, ut ab Archiepiscopatu etiam amotum habere voluerit, et cum Romanus Pontifex negasset, id se posse facere absque causa, tamen proventibus omnibus suis spoliaverit, dumque Romam ivisset, quamvis cum illius facultate, deinde prohibuerit, ne in Angliam rediret.

Gulielmo mortuo *Henricus I.* in regno successit frater. Ab hoc Anselmus illico revocatus est. Investituras autem etiam Henricus continuabat. Quærebat autem a Romano Pontifice consensum in eas obtinere, ipsique Anselmo istam ad Pontificem legationem demandaverat. Denegaverat vero eam Paschalis Pontifex. Quamobrem iterum Anselmo etiam ab Henrico interdictus

est reditus in Angliam. Henricum postea Adela soror permovit, ut reconciliaretur Anselmo. Quae *reconciliatio* sic facta est, ut Henricus renunciaverit Investiturae per annulum, et baculum, Anselmus autem promiserit, se consecraturum Episcopos, quamvis hominium ab his praestitum esset Regi. Hominii, vel homagii nomine intelligitur oblatio ei facta, a quo quis accepit terras, et possessiones. Vigebat hoc tempore in Anglia aliud etiam *tributi* genus, quod a Clericis exigebatur, prorsus inhonestum ipso etiam nomine. Ad exstirpandam incontinentiam in Clero, de qua dictum est supra §. 21. ab Regibus Angliae mulcta pecuniaria erat imposita Clericis, non servantibus continentiam. Quam mulctam qui solverant, eo majorem sibi deinde illius rei sumpserant licentiam, quam, ut dicebant, haberent pecunia redemptam. Exactores vero innocentes etiam Clericos, insimulatos incontinentiae, cogebant ad solvendam illam mulctam. Etiam vero in hoc Rex Henricus cessit Anselmo, et sustulit hanc Clero tam probrosam solutionem. *pag.* 299.

§. 38. Ad vulnera sananda, quae per Burdinum antipapam erant Ecclesiae illata, *Callixtus II.* a. 1123. Romae *concilium* instituit *Lateranense I.* inter oecumenica IX. quod ex Episcopis tercentis constitit. Ejus statuta dirigebantur potissimum contra Clericorum ordinationes Simoniacas, contra eorumdem incontinentiam, et contra eos laicos, qui sibi Ecclesias subjecerant ita, ut etiam his factas oblationes sibi assererent, et raperent.

Anno

Anno 1124. mortuo Callixto II. *Theobaldus* Cardinalis erat electus suffragiorum summa consensione. Tum vero Robertus Frangipanes, quæ familia Romæ plures protulit turbatores Urbis, et Ecclesiasticæ pacis, proclamat cum sua factione Lambertum Pontificem, Episcopum Ostiensem, statimque vestibus Pontificalibus eumdem induit. Impendebat hinc tempestas ingens: quæ ne oriretur, Theobaldus suæ renunciavit electioni: ii vero, qui eum elegerant, sua suffragia contulerunt in Lambertum, qui se *Honorium II.* nominavit. Gessit Pontificatum usque ad a. 1130. Quo mortuo iterum electio Pontificis ita se habuit; ut schisma fieret septem annorum. Cardinales bifariam divisi, alii Innocentium II. elegerunt, priore nomine Gregorium Cardinalem S. Angeli, alii, isto jam electo, Petrum Leonis Cardinalem S. Mariæ trans Tiberum. Cur illi priores, erant autem etiam numero plures, properaverint cum electione, ea causa erat, quod impedire voluerint ne Petrus Leonis eligeretur, quem præviderent electum iri, nisi illo consilio usi essent. Hic Petrus nepos erat Leonis, qui ex Judæo factus erat Christianus, admodum pecuniosus. Ejus pater æque Petrus, multis officiis sibi demeruerat Paschalem II. Papam. Idcirco Petrum ejus filium Cardinalem fecerat, qui probitatem simulaverat, et morum emendationem, assumpto etiam habitu monachi. Erat enim jam in adolescentia moribus iis et ea impudentia, ut Antichristus putaretur futurus. Postquam vero Cardinalis factus est, totum se luxui, et libidinibus dedit. Et tamen huic tota fere Roma adhæsit pecuniis, vel aliis commodis ei obstricta. Præter Siciliam autem, cujus ducem Rogerium Regio titulo exornaverat, et aliquot provincias Italiæ

vix aliquos alibi habuit sibi adhærentes: nisi, quod Episcopi tamen fuerint quidam in Gallia, qui assensum, in quam partem ire deberent, putaverint, suspendendum sibi esse.

Innocentius II. cum Roma majore ex parte Anacleto II. hoc Petrus Leonis sibi nomen, quasi Pontificale, assumpserat, se se addixisset, in *Galliam* se recepit, ab Ludovico VI. Rege honorificentissime susceptus. Propter eos, qui aliquam dubitationem de Innocentii Pontificatu habebant, *Stampis* non longe a Parisiis *Concilium* Innocentius instituit Episcoporum, ad quod vocatus etiam S. Bernardus Abbas Claræ-vallensis, ita rem in luce collocavit; ut omne nubilum illis etiam Episcopis, qui dubitaverant de Innocentii II. Pontificatu, diffugerit. In Germaniam cum deinde transiisset *Innocentius* invitatu Lotharii, qui Henrico V. successerat in regno Germaniæ, ab eo etiam *Romam reductus* est, quem Romani etiam jam pronioribus animis susceperunt: qui Lotharium deinde hoc nomine secundum, etiam Imperatorem coronavit. Anacletus autem se ad castrum Angeli recondidit, nec diu superstes fuit, anno septimo sui pseudo-pontificatas mortuus. Adhuc illius factio Victorem IV. sibi fecerat Pontificem: qui vero etiam dimisit suum Pontificatum, et ultro veniæ petendæ causa ad Innocentium venit. *pag.* 306.

§. 39. Post schisma exstinctum Innocentius II. a. 1139. *Concilium* Romæ celebravit Episcoporum circiter mille, quod inter œcumenica est *Lateranense II.* In hoc errores Petrobusianorum, Henricianorum, et Arnaldi, de quibus actum jam supra est hujus Part. III. §. 15, 16.

16. confixi sunt, renovata quoque decreta contra Simoniacos, et incontinentes Clericos, prohibitum monachis defendere causas in foro civili, et medicinam exercere, interdictæ etiam digladiationes ob homicidia, quæ in his plerumque contingebant, et percussio clericorum svadente diabolo. Innocentius II. et a Rogerio Rege Siciliæ gravem adversitatem perpessus, et a Romanis, qui seditione facta iterum instaurare adgressi erant veterem formam reipublicæ Romanæ, decessit ex moerore animi a. 1143. *Caelestinus II.* ei successit, huic jam sexto mense Pontificatus mortuo *Lucius II.* qui etiam nondum anno expleto Pontificatus decessit. Hunc secutus in Pontificatu est Bernardus Abbas monasterii Cistercitarum Romæ, discipulus S. Bernardi, qui nomen Eugenii III. gessit. Iste per Tiburtinos Romanos fregit, et ad obsequium revocavit. In Galliam deinde concessit, ut expeditionem, quæ ad Terram sanctam apparabatur, efficacius promoveret. Ubi Concilium celebravit Rhemense partim Episcoporum, partim Abbatum mille, et centum, a. 1147. In quo actum de Gilberto Episcopo Pictaviensi, ejusque sententiis est, et de Eone de Stella. (Supra Part. III. §. 16.) Repetita etiam rursus sunt, et confirmata jam antea facta statuta ad evellenda ea vitia in Clero, quæ jam sæpe dicta sunt. S. Bernardus *lib. 4. Considerat.* ad Eugenium III. egregie animadvertit, eidemque Eugenio exposuit, undenam esset, quod ista jam toties facta statuta, tamen non observarentur, et neque etiam post hoc Rhemense Concilium curentur. *Impunitas*, inquit, *est incuriæ soboles, insolentiae mater, radix impudentiae, transgressionum nutrix. pag.* 315.

§. 40. Eugenius III. decessit a. 1153. Ei successit *Anastasius IV.* cujus Pontificatus fuit nonnisi anni unius, et quinque mensium. Huic suffectus est Hadrianus IV. Sub hoc Pontifice *Fridericus* cognomine Aenobarbus, seu Barbarossa, qui Conrado III. in Germaniæ regno successerat, in Italiam venit, ut civitates, quæ in Italiæ regno se subduxerant ab obsequio Regis Germaniæ, coerceret. Magnam adversus has acerbitatem exercuit, et Mediolanum solo etiam æquavit. Idem deinde Romam venit, ubi ab Hadriano Papa Imperator coronatus est. Inter Fridericum, et Hadrianum simultates deinde exortæ sunt. Hadrianus in quadam epistola ad Fridericum plenitudinem dignitatis appellaverat illud, quod ei contulerit coronando Imperatorem. Hoc autem ita sumpserat Fridericus, quasi Pontifex voluisset indicare Fridericum a se Imperium feudi nomine habere. Idem Fridericus cum ingenti exercitu venerat in Italiam, ut hanc omnem sibi subjiceret etiam cum ditione Romanæ urbis, et toto Patrimonio S. Petri, vi Imperatoriæ suæ dignitatis, exactionesque faciebat non tantum a civitatibus ditionis Pontificiæ, verum etiam ab Episcopis, imo se dominum ferebat totius mundi, ab Jurisconsultis quibusdam, suis assentatoribus, ad hanc persvasionem inductus. Hadrianus singulari erga eum moderatione usus, spiritus, quos sibi Fridericus sumpserat ita et patienter ferebat, et leniebat, ut ad incendium non eruperint: quod vero post ejus obitum factum est. *pag.* 323.

§. 41. Anno 1159. Hadrianus mortuus est. Electus est Pontifex *Rolandus* Cardinalis ejusmo-

modi consensu, ut tres tantum fuerint ex toto collegio Cardinalium, qui ei suffragati non sint. Horum unus *Octavianus* nomine, qui ambitione summa appetebat Pontificatum, seipsum cum exornasset statim tunc insignibus Pontificalibus, una etiam irruperunt in Ecclesiam S. Petri, in qua facta electio est, milites ob eo conducti, strictis gladiis, qui cogerent ceteros Cardinales, ut agnoscerent Octavianum pro Pontifice. Ad tutiorem Ecclesiæ locum cum se recepissent Rolandus et Cardinales obsessi ab iisdem militibus nonnisi die nona, populo ferente auxilium, liberati sunt. Rolandus Alexandri III nomen sibi Pontificale assumpsit, Octavianus Victorem se appellavit. Alexander se promulgaverat Pontificem: idem vero etiam Victor fecerat. Fridericus vero Imperator statim in istius partes concessit. Non erat Alexandro bene affectus ex legatione, quam apud eum obierat missus ab Hadriano IV, et qui, ut æquitas ferebat, et officium, quod sibi habebat impositum, causam egerit ejusdem Hadriani. Eidem *Friderico* erat *fixum* in mente, potentiam veteris Romani Imperii in se suscitare. Hoc, quo facilius assequeretur, jam ab Eugenio III. petierat, ut in omnes, qui contra eum arma laturi essent, anathemate percelleret. Hoc autem cum ab Eugenio non obtinuisset, nec speraret se obtenturum ab Alexandro, Octaviano favebat, quem in vicem istius sui erga eum favoris non dubitabat facturum omne, quod vellet.

His rebus ita se habentibus, Fridericus *conventum*, quam generalem Curiam appellavit, *Papiam* indixit, ad quem non tantum Episcopos, verum etiam Reges omnes convocavit, Alexan-

xandrum quoque, et Victorem citavit, ubi ipse deinde sententiam tulit, qua Victori Pontificatum adjudicavit, Alexandro abjudicavit. Acta istius conventiculi habent, ei, quod hic actum est, cònsensisse etiam Reges, Galliæ, Angliæ, Bohemiæ, Daniæ, et ipsius etiam Hungariæ: quem vero Joannes Salisburiensis ludum comicum appellavit, et figmentum, ut rudibus fucus fieret. Sollicitaverat etiam post hoc conventiculum Fridericus Galliæ, et Angliæ Reges. *Tolosae* in Gallia habitum propterea *Concilium* est a. 1161. centum partim Episcoporum, partim Abbatum, cui affuerat etiam Rex Galliæ, et Angliæ per seipsos, Fridericus vero Imperator, Rex Hispaniæ, per legatos, nec non legati Alexandri, et Victoris. Alexander autem agnitus est in hoc verus, et legitimus Pontifex, in Victorem, et in ejus fautores anathema conjectum. *pag.* 332.

§. 42. Cum machinae in irritum cecidissent, quas adversus Alexandrum adhibuerat, *Fridericus* ad aliud consilium se vertit. Volebat efficere, ut tam Alexander, quam Victor removeantur ex Pontificatu, ac deinde, ut ipse Pontificem poneret, quem vellet, suo arbitrio. Jamque induxerat etiam Galliæ Regem Ludovicum VII. ut ad *colloquium* se promitteret venturum, invicem habendum, et ad quod Ludovicus Alexandrum adduceret, ipse vero Victorem. Cum Fridericus totum fere patrimonium S. Petri occupasset, Alexander in Galliam se contulerat ad Ludovicum Regem. At vero Alexander ad illud colloquium ire noluit. Ludovicus quoque cum advertisset ex legatione ad se missa, totum hoc negotium velle Fridericum sua potestate, atque im-

imperio perficere, contempsit ipsum Fridericum, qui sibi rem sumeret non suæ potestatis.

Iterum deinde *Fridericus* cum valido exercitu profectus est in *Italiam*, ad occupanda etiam ea, quæ nondum redacta habebat sub suam potestatem. Victor eum sequebatur, ut ab eodem Friderico Romæ Pontificiæ cathedræ imponatur. In itinere morbo phrenetico correptus est, et obiit. Adhuc tres postea illius factio sibi fecerat Pontifices. Alexandrum Romani revocarunt, et magno cum honore susceperunt. Fridericus ad Romam deinde admovit exercitum. Alexander Romanis diffidens ex Urbe se subduxit mutato vestitu. Quod verebatur, accidit. Nam Romani se Friderico dediderunt. Triduo post illius exercitum invasit pestilentia tam sæva, ut totus fere perierit. Abiit igitur Roma Fridericus, reversurus in Germaniam. Quacumque vero iter fecerat, e civitatibus eruptiones fiebant, et cædebantur reliquiæ ipsius exercitus, ita ut admodum ægre et sub servili veste occultatus mortem ipse potuerit effugere. Ad Mediolanum vero instaurandum in illius contemptum concurrerunt omnes Lombardiæ civitates; insuper novam urbem excitarunt, quam Alexandriam vacarunt ex nomine Alexandri III. Papæ, Germanis oppositam, si iterum tentarent in Italiam venire. Et venerat *Fridericus iterum*, eamque primo adgressus erat: at vero cum omnes assultus, sæpius tentati irriti fuissent, atque adversus Mediolanenses ivisset; in primo statim congressu ex equo dejectus ignominiose fugit, et post eum totus exercitus, atque periit fere universus partim cæsus, partim flumine Ticino haustus, et castra omnia ejus occupata sunt. *pag.* 339.

§. 43.

§. 43. Hac clade affectus *Fridericus* cogitare cœpit de reditu ad *Concordiam* cum Alexandro Papa. Perculit ipsum et illud. Principes Germaniæ omnes, etiam ii, qui schismatis erant consortes, ei declararunt, se posthac nullum ei auxilium laturos, nisi cum Ecclesia pacem fecerit. Itaque legatos misit ad Alexandrum de pace, Anagniam, ubi se tenebat. Cum de conditionibus pacis inter eos convenisset, prior Pontifex Venetias se contulit: quem secutus Fridericus, coram sex Cardinalibus renunciavit schismati, et Alexandro ejusque successoribus spopondit obedientiam: absolutioneque percepta ab iisdem Cardinalibus deductus est ad Pontificem, præ foribus Ecclesiæ S. Marci sedentem, ad cujus pedes se prostravit, eosque osculatus est. Hymnus *Te Deum laudamus* deinde decantatus est maxima omnium lætitia. Die subsequente Pontifex Missam solenniter celebravit, cui iterum Imperator pedes osculatus est: adscendenti deinde equum stapedem servavit, frænum equi cepit, ut Pontificem ad palatium reduceret: sed quia longius erat iter, pro facto habuit, quod volebat adimplere. Die, quæ subsecuta est, Imperator filiali affectu invisit Pontificem: gratulati sunt sibi invicem, et post affectuosa colloquia, hoc est plena mutui affectus, et mixtos seriis jocos ab eo discessit. Iisdem fere verbis rem retuli, quibus eam Auctor Vitæ, et gestorum Alexandri descripsit.

In *Chronico*, quod Bessarion Cardinalis donavit Venetæ bibliothecæ, est. Alexandrum, dum Fridericus Romam venisset anno Pontificatus Alexandri decimo et septimo, coci sui indutum vestibus fugisse Venetias, ubi in monasterio

di-

divæ Virginis de Charitate hortuli curam egerit, donec agnitus, a Sebastiano Venetorum Duce cum magno honore deductus fuisset ad Ecclesiam S. Marci. A Friderico deinde missum esse cum classe Ottonem filium, qui reposceret Alexandrum. Sed Ottonem navali prælio superatum, et captum, sub ea conditione dimissum esse, ut patrem induceret ad ineundam concordiam cum Alexandro. Ita hanc deinde initam concordiam esse: cumque deinde Fridericus se humi prostravisset ad Alexandri osculandos pedes, dixisse Alexandrum: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem*, Fridericum vero reposuisse: *Non tibi, sed Petro*, rursus vero Alexandrum Friderico: *Et mihi, et Petro.* Fides, quam aliquamdiu istud Chronicon fecerat, jam nunc tota exolevit: siquidem nec Auctor Vitæ, et Gestorum Alexandri quidquam hac de re habeat, imo ex ejus verbis, et ex affectu, quem sibi exhibuerint invicem Alexander, et Fridericus, et ex eorum colloquio, jocis etiam, et facetiis insperso, potius contrarium intelligatur, nec Romualdus Salernitanus, qui rei gestæ interfuit, nec Gulielmus Tyrius, nec Rogerius de Hoveden, vel ullus alter coaevus scriptor. In Ducis Venetiarum palatio omnino exstiterat imago, quæ Alexandrum repræsentabat, pede collum Friderici prementem. Hanc vero fuisse imaginem symbolicam, qua nonnisi is, qui eam pinxit voluerit exprimere, Fridericum se Alexandro submisisse post illud tam pertinax schisma etiam Hildebrandus Vithofius, Protestans, asseruit in epistola ad Gerardum Casteel apud eumdem Casteel in *Controversiis Historico - criticis*, multisque exemplis similibus erudite docet. *pag.* 345.

§. 44.

§. 44. Ubicumque electio fit, vel quidpiam statuitur, hoc pendet communiter a suffragiorum majore numero. Tam vero Victor pseudo-papa, tantummodo trium Cardinalium habens suffragia, quam jam antea etiam homines ambitiosi, quia aliquot suffragia habuerint, contra eum, qui electus pluribus suffragiis est, se quærebant intrudere ad Pontificatum, unde schismata jam sæpius exorta snnt. Ad hæc præcavenda Alexander III. Concilium instituit die 5. Mart. 1179. Romæ in Lateranensi basilica Episcoporum 302. quæ œcumenica *Synodus* fuit *Lateranensis* III. a. 1179. In hac omnium primo sancitum est, eum, qui duabus tertiis suffragiorum partibus electus esset Pontifex Romanus, esse electum legitime, eum vero, qui non habito isto suffragiorum numero se ferret Pontificem, incidere in excommunicationem, cujus absolutionem obtinere nonnisi in fine vitæ possit. Interdicta est sacrorum Ordinum collatio non habentibus titulum, nisi vitæ subsidia ipsis ex hæreditate suppeterent. Non est permissum appellare, et maxime Religioso contra Prælatum, dum ob violatam disciplinam ab eo punitur. Fidelibus in remissionem suorum peccatorum injunctum est, ut arma corripiant adversus Albigenses. *Petrus Lombardus* erat delatus ad hoc Concilium, quod asseruisset, Christum secundum quod homo est, non esse aliquid. Cum jam mortuus esset, actum de ipsius hac sententia in Concilio non est: sed Pontifex Wilhelmo Rhemensi Archiepiscopo injunxit, ut ipse eam damnaret, et ne eam docerent, Professoribus prohiberet. Alexander Papa Episcopos Orientis, etiam communione disjunctos, invitaverat ad Concilium. A Manuele Comneno missus est *Nectarius* Abbas. Qui cum rediisset per-

acto

acto concilio in Orientem, jactabat se, quasi sic in Concilio fuerit, ut non de ipso judicatum sit, verum ipse de hæreticorum erroribus, nos Latinos intellexerat, judicaverit. Nullus vero tractatus institutus est, de controversiis Græcorum. Nec erat congruens de his tractare tantum cum uno homine. *pag.* 353.

§. 45. In *Albigenses* in Concilio Lateranensi III. non tantum pœna anathematis constituta est, verum etiam provocati omnes Fideles sunt ad *arma* in eos distringenda. Hoc jam etiam ante concilium fecerant Ludovicus VII. Galliæ, et Henricus II. Angliæ, Reges, aliique etiam Principes. Hocce decretum deinde in *Synodo Veronensi* a. 1184. cui præsederat Lucius III. Papa, et præsentes aderant multi seculares Principes, extensum est ad alios etiam omnes hæreticos, ut qui hæreseos condemnati essent per Judicium Ecclesiasticum, seculari potestati traderentur, atque ab hac condigna pœna plecterentur. Idem statutum confirmatum est etiam per Concilium œcumenicum Lateranense IV. *Inquisitores* etiam constituti sunt hæreticorum, inprimisque Ordini Prædicatorum hocce officium inquirendi demandatum est. Nec iste procedendi modus contra hæreticos erat tunc novus. Nam jam Constantinus M. et alii Imperatores exilio, aliisque pœnis usi sunt erga hæreticos: quin pœna etiam capitis constituta in eos est a Theodosio, Marciano, et Valentiniano Impp.

Attamen neque desunt, qui reprehendant istam agendi severitatem cum hæreticis, et criminantur Inquisitionis Institutum non solum scriptores e Protestantibus, verum etiam plures ex

Ca-

Catholicis. Fleurius *Dissert.* 4. *Tom.* 18. *Hist. Eccl* ad eamdem rem, quam improbabat, etiam attulit S. Augustini testimonium. Omnino sic senserat S. Augustinus. At vero hæc S. Augustini sententia ea erat, quam is suam primam vocat, et quam deposuerit convictus argumentis in contrarium. *Donatistæ*, ait, *nimium inquieti sunt, quos per ordinatas a Deo potestates cohiberi, atque corrigi, mihi non videtur inutile.* Idem rursus de Donatistis: *Si quid temporalis molestiæ passi fuerint per certissimum, et rectissimum ordinem potestatum, cum ipsi multa graviora passim, atque quotidie, nulla Regia, nulla Ecclesiastica lege committunt, nos corporum persecutores vocant, se animarum interfectores non vocant, cum privata licentia nec corporibus parcant.* Mirum autem est, Protestantes aliquid obmovere: quando istam gladio animadvertendi in hæreticos rationem ipse etiam Calvinus defendit. *Animas ipsi pravorum dogmatum veneno interficiunt, et legitima gladii potestas ab ipsorum corporibus arcebitur? Lacerabitur totum Christi corpus, ut putridi unius membri intactus maneat foetor?* Theodorus Beza pariter librum conscripsit *De haereticis a civili magistratu puniendis*, in quo etiam Lutherum, Brentium, Bucerum, Capitonem, Bullingerum, et Musculum affert, qui istius ejusdem sententiæ fuerunt. De Michaele Serveto Genevæ sumptum est supplicium ipso Calvino actore: idem erat paratum Valentino Gentili, nisi se simulasset, et quod tamen deinde subiit Bernæ in Helvetia. Sed quid opus multis? quandoquidem ab ipso Deo per Moysem supplicium lapidationis sit decretum *Deuter.* 13. *v.* 1. in eos, qui quempiam abducere vellent a Dei cultu, et Religione. *pag.* 358.

§. 46.

§. 46. Dum illud fervebat dissidium inter Alexandrum III. Papam, et Imperatorem Fridericum, exstitit alterum etiam in Anglia. *Henricus II.* Alexandro III. Papæ optime affectus, et antea etiam Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, deinde huic nimis se contrarium exhibuit. Quidam Presbyter homicidium commiserat, et alter Canonicus Regios ministros convitiis affecerat. Secundum poenas Canonicas Thomas utrumque severe punivit, ita ut homicidam illum ad perpetuam poenitentiam, clausum in monasterio, condemnaverit. Non potest negari, homicidam Clericum esse obnoxium etiam legibus civilibus. Sed Thomas istos petitos, ut in foro etiam seculari more aliorum reorum judicentur, tradere noluit, idque ex sententia omnium Episcoporum Angliæ. An ejusmodi privilegium ab Regibus sibi habuerit Clerus concessum, non liquet. Rex vero istud ultra non ursit: sed convocavit Episcopos, et ex his quæsivit, num velint jusjurandum dare, se consvetudines Regias observaturos. Affirmarunt, sed *Salvo ordine suo.* At vero Rex hoc jusjurandum exigebat citra additionem istius conditionis. Cum paruissent ceteri Episcopi, idem fecit etiam Thomas. Has consvetudines, ut dicebantur, Rex deinde Episcopis proposuit. Propter religionem juris jurandi subscripsit has etiam Thomas: sed quem etiam statim dolor intimus, et poenitentia subierit. Ne in irritum caderet, quod spoponderat, istud revocando, Rex indixit conventum tam Episcoporum, quam Procerum. Res eo spectabat, ut Thomas, si reniteretur, vel in carceres conjiciatur, vel etiam poena capitis afficiatur. Citatus ad hunc cum Cruce in manu ivit, et cum in eum, velut perjurum, lata fuisset sententia, appellationem

ad

ad Apostolicam Sedem interposuit, et ex conventu discessit. Erat in sequentem diem iterum indictus a Rege conventus. Thomas vero noctu se subduxit, et in Flandriam transfretavit. Ad *Ludovicum VII.* Regem Galliæ se primum contulit, a quo summa benevolentia susceptus est, deinde ad *Alexandrum III.* Papam, qui in Gallia eo tempore versabatur, a Friderico Imperatore insectationem illam, quæ jam dicta est, passus. Thomas in manus Pontificis deposuit Archiepiscopatum, sed ille hunc ei restituit, et bono animo jussit esse. Studuit deinde Pontifex Regem Thomæ reconciliare: sed omnia erant frustra, nisi illis consvetudinibus, quas Rex dicebat observatas sub prioribus Regibus, se subjiceret nulla ad sponsionem facta verborum aliqua additione. Cum Ludovico deinde Galliæ Rege Pontifex egit, ut Henricum placaret Thomæ. Erat inter hos Reges quædam controversia de aliquibus terris: ad quod negotium componendum in arce Montmirail provinciæ Cenomanensis in Gallia ambo Reges convenerunt, quo Thomas quoque volente Rege Galliæ, venit. *pag.* 358.

§. 47. Hic Thomas ad pedes Regis Angliæ procidit, dixitque, se totam causam illius committere arbitrio, salvo honore Dei. Sed ad istam additionem verborum: *Salvo honore Dei*, iratus Henricus, et se vertens ad Regem Galliæ, *Attende*, inquit, *Quidquid ei displicuerit, dicet honori Dei esse contrarium, et sic sua, et mea omnia sibi vendicabit.* Attamen, ne videatur honori Dei in aliquo velle resistere, se non aliud a Thoma petere, quam ut illud ei faciat, quod antecessorum illius in Archiepiscopatu major, et sanctior fecit suorum in Regia dignitate anteces-

so-

sorum minimo. Abnuit vero et istud, dicens, nec in sanctissimis hominibus, in ipso etiam S. Petro fuisse omnia ejusmodi, ut ea sequi oporteat. Patres nostri, ait, passi sunt, quia noluerunt nomen Christi subjicere: et ego, ut hominis mihi gratia restituatur, Christi honorem deberem supprimere? Absit, absit. *Indignati* autem sunt omnes, ipse etiam Rex Galliæ Thomæ, quod neque in hanc petitionem Regis sui voluerit consensum dare. Triduum nec alimenta ei subministrata sunt ab Rege Ludovico. Jam parabat etiam ex Gallia aliorsum migrare, cum ipso hoc momento eum Rex Ludovicus ad se vocat, et in amplexum ejus ruens, Vere, inquit, tu solus vidisti, quod rectum est: nos caeci fuimus, tibi svadentes, ut ad nutum hominis Dei honorem subjiceres. Quoties deinde e domicilio suo prodiit in publicum, digito Thomam monstrabant omnes, hunc esse illum, qui Dei honorem noluerit, arbitrio hominis committere.

Henricus Rex, ut Thomam vexaret, Henricum *filium* per Rogerium Archiepiscopum Eboracensem curavit *coronandum*, quod jus coronandi Regem spectabat ad Archiepiscopum Cantuariensem. Dum igitur Alexander Papa vidisset nihil spei superesse, ut sola lenitate Regis reconciliatio cum Thoma perficiatur, jussit eumdem Thomam remedium acrius adhibere. Ille non tantum suo, verum etiam Pontificis nomine universam Angliam *interdicto* subjecit. Dies quindecim erant statuti post quos a perceptione istius mandati Episcopus quisque jubebatur in sua dioecesi hocce mandatum exequi. Nondum hi dies quindecim præterierant, et Rex se pronum præbuit ad Thomam recipiendum in gratiam. Sua agen-

agendi ratione contra Thomam, et adversus jura Ecclesiæ ita abalienaverat plerosque a se, ut jam inceperit gliscere seditio adversum eum. Iste metus illum etiam perculerat. Itaque Rex Thomam revertentem sic suscepit, ut ei etiam obviam extra urbem processerit, osculatusque eum, et blandissime, diuque cum eo collocutus sit, quasi nihil unquam simultatis cum eo habuisset. An. 1170. sui exilii septimo Thomas rediit.

Unius mensis tantum adhuc postea fuit Thomæ Archiepiscopatus. Is *Rogerium* Archiepiscopum Eboracensem cum Londinensi, et Salerburiensi Episcopis, excommunicationis sententia percussit, quod coronando Regem jus violassent Archiepiscopi Cantuariensis, et Primatis Angliæ. Hi deinde, ut concitarent *Henricum* filium contra Thomam, insuflarunt ei, Thomam in eo esse, ut ejus infirmet dignitatem Regiam eo, quod ab ipso coronatus non esset. Iidem deinde pergunt ad Henricum patrem, et in genua procidentes implorant ejus clementiam, atque justitiam contra Thomam; nam ab ipso, postquam rediisset, in regno perturbari omnia, Henricumque sic incenderunt, ut maledixerit omnibus, quos beneficiis affecerat, quia ipsum de uno Sacerdote in regno non vindicarent. Quatuor e *Regis familiaribus*, hoc audito, Cantuariam iverunt, et Thomam interfecerunt a. 1170. die 29. Decemb. Quo nuncio Rex vehementer consternatus est, ut cibo triduum etiam abstinuerit Deum contestatus, istam cædem absque sua conscientia perpetratam esse. Occisores etiam ad poenitentiam conversi Romam ad Alexandrum Papam profecti sunt, et petierunt, ut poenitentiam ipsis

ipsis imponeret, qui peregrinationem ad Terram sanctam illis injunxit. *pag.* 376.

§. 48. Alexandro III. a. 1181. successit in Pontificatu *Lucius* III. Huic *Urbanus* III. Urbano III. *Gregorius* VIII. isti *Clemens* III. Sub hujus Pontificatu festum, quod Stultorum appellabatur, abrogatum in Gallia est, nondum tamen ita, ut sufferri statim ubique potuerit. Habebat ejusmodi deformitates, actas a Clericis in Ecclesia, et sub ipsius Missæ celebratione, ut valde mirandum sit, quomodo induci, et tolerari potuerit, idque longo tempore. Clementem III. secutus in Pontificatu est *Caelestinus* III. Hic *Henricum* VI. Friderici filium Imperatorem *coronavit* ea ratione, si Rogerio Hovedeno fides adhibenda esset, ut Imperator inclinato capite, de pedibus Papæ coronam receperit, et quam ei statim etiam pede ex capite decusserit ad significandum, suæ esse potestatis, illum excutere ex Imperio, Cardinales autem ad Imperatoris caput reposuerint. Baronius tamen huic narratiunculæ fidem adhibuit, Natalis Alexander autem hanc in suspicionem falsitatis vocavit. Melius autem rejicienda est, tanquam falsa: non tantum quod hujus rei silentium sit apud alios historicos, verum etiam quod Chronographus Reichspergensis, scriptor coævus, dicat,, Henricum cum uxore a Cælestino Papa *honorabiliter* coronatum esse. Nec Hovedenus est optimæ fidei scriptor, utpote non accuratus, et fabellarum sectator. *pag.* 386.

EPITOME

PARTIS IV.

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICAE.

§. 1. Cælestino III. a. 1198. *Innocentius III.* succedit in Pontificatu, Henrico VI. filio Friderici Aenobarbi mortuo Imperator factus est *Otto IV.* in Apostolicam Sedem non pronus. Hic cum Philippo Galliæ Regi bellum intulisset, victusque fuisset, atque a Germanis etiam desertus, vitam deinde vixit quasi privatam, nec diuturnam. Fridericus II. Henrici VI. filius regnum Germaniæ, atque etiam Imperium Romanorum adeptus est. In Anglia Henrico II. cui negotium intercesserat cum S. Thoma, primum Richardus successerat filius, huic vero *Joannes.* Post mortem Humberti, qui S. Thomæ successerat in Archiepiscopatu Cantuariensi, mona-

nachi Cantuarienses, ad quos spectabat electio, divisi in factiones duas, cum duos obtulissent Innocentio Papæ confirmationis gratia, et is ad componendum dissidium novam jussisset ipsos instituere electionem, electusque esset *Stephanus Langthon*, et consecratus, quem vero Joannes Rex habere nolebat, ideoque restitisset, Innocentius Angliam interdicto subjecit, et Joannem, cum neque sic cessisset, etiam excommunicatione affecit. Erat etiam invisus ipsis Anglis propter enormes exactiones, et spoliationes, ita ut nobiles, et opulentæ prius familiæ ad paupertatem redigerentur, neque minore licentia pudicitiam spoliabat nobilium virginum, et matronarum. Itaque Angli exacerbati ad Philippum Galliæ Regem se verterunt, regnumque Angliæ ei obtulerunt. Hac re perculsus ad Innocentium Papam confugit, pœnitentiam præseferens suorum factorum, et pro satisfactione Deo, et Ecclesiæ debita facienda, regna sua ei obtulit ex communi etiam Baronum suorum, ut professus erat, consilio, quæ regna deinceps nonnisi ut feudatarius Ecclesiæ Romanæ reciperet, et teneret. Hac ratione obtinuit, non tantum ut absolveretur excommunicatione, verum etiam bellum vitavit. Destitit enim Philippus a bello ei inferendo, se interponente Romano Pontifice: sed solummodo ad tempus. Nam cum Joannes etiam postea ivisset eadem facere, quæ antea, Proceres regni denuo Philippum advocarunt adversus eumdem Joannem: quod tamen bellum haud bene Philippo cesserat. Idem Joannes Rex ad Miramolinum, Regem Marochii, legatos miserat auxilii petendi causa, faciendo sponsionem, se in illius clientela futurum, et tributum pensurum. Quem vero cum ejus legati prædicassent,

Regem esse potentissimum; amentem etiam judicavit, qui talis Rex se ultro velit vectigalem alteri facere, et legatos a se rejecit. *pag.* 3.

§. 2. Idem *Philippus* Rex Galliæ *Ingeburgem*, sororem Regis Daniæ, sibi copulaverat matrimonio. Hoc ut dissolveretur, institit primum apud Cælestinum III. deinde, hoc mortuo, iterum apud Innocentium III. Hanc cognoverat: sed quia conceptus non erat secutus, volebat esse hoc matrimonium non consummatum. *Innocentius* respondit, ejus intentioni nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta suffragari. Si ergo absque deliberatione generalis concilii determinare aliquid tentaret, præter Divinam offensam, forsitan sibi Ordinis, et Officii periculum immineret, dum contra Veritatis sententiam: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, ejus non possit auctoritas dispensare. Hoc solent afferre in argumentum ii, qui ponunt Romanum Pontificem infra generale concilium, quasi ipse Innocentius istud de se professus esset, dum dixit, quod forsitan Ordinis, et Officii periculum sibi immineret, si contra illam Veritatis sententiam in matrimonio isto dispensaret. At vero fore, ut istud periculum ei a Concilio immineat, nuspiam in istis Innocentii verbis est. Quod ergo non est, illius verbis solummodo affingitur. Si dispensasset Innocentius in hoc matrimonio, quod consummatum erat, ipso hoc facto suo asseruisset, matrimonium consummatum posse dissolvi. Iste vero fuisset Fidei error. Quo admisso, sicut excidisset ex Ecclesia, ita una etiam desiisset esse ejusdem Ecclesiæ caput.

Idem

Idem *Innocentius, consultus* a quodam Abbate, an monachi cujusdam, qui ei confessus erat se, quamvis Presbyter non esset, tamen Sacrum celebrasse, et erga quem monendo, et præcipiendo, ut a celebrando abstineret, nihil profecerit, hoc facinus, a se in Confessione auditum, possit proferre, dicitur respondisse, omnino, hoc illum facere posse, *quia talis confessio non sit confessio, sed blasphemia.* Hinc autem auctor Defensionis declarationis Cleri Gallicani argumentum duxit adversus Romanum Pontificem, ejusque in condendis Fidei decretis eam firmitatem, ut labi errore non possit, quia docuerit sigillum confessionis servandum non esse. At vero Innocentius non hoc, verum illud dixit, illius monachi, utpote, quem facti sui non pœnituerit, qui neque propositum facere voluerit suæ emendationis, illam non fuisse, quam fecerat, confessionem, sed blasphemiam. Ubi vero Confessio nulla est, ibi neque sigillum est Confessionis. *pag.* 13.

§. 3. Anno 1215. die 11. Novemb. Innocentius III. celebravit Romæ *concilium Lateranense IV.* œcumenicum Episcoporum 412. Abbatum adhuc major erat numerus, aderant præterea Imperatoris Friderici II. Regum Galliæ, Angliæ, Hungariæ, aliorumque Principum legati. Constantinopolis in Latinorum transiverat potestatem, quod jam alibi dictum est, et enarratum. Quo pacto spes affulserat firmior rei bene gerendæ adversum Saracenos. Hoc erat, cur Principum legati etiam tam frequentes convenerint. Omnium consensione decreta est *nova expeditio* in Orientem ad diem 1. Junii subsequentis anni. Tractatum deinde est de Fide pro-

pter

pter Albigenses, Joachimum Abbatem, et Almaricum. De Albigensibus jam est actum Part. III. §. 17. *Joachimus* Abbas Florensis in Calabria disputans adversus Petrum Lombardum, asserentem Divinam essentiam nec esse genitam, nec gignentem, lapsus in errorem est, quo adstruxerat, personas tres divinas non esse unum essentia, sed tantummodo secundum voluntatis in unum consensionem. *Almaricus* Clericus Parisiensis asserebat, unumquemque Christianum debere credere, se membrum Christi esse, et salutem æternam certo obtenturum. Eo cito mortuo ejus discipuli addiderunt ad Almarici inventa plura alia, adhuc absurdiora, ut, Dei Patris potestatem durasse tantum quamdiu lex vetus vigebat: tuncque cœpisse Filii potestatem, et istam quoque Filii desiisse sua ætate, cui successerit Spiritus sancti potestas excluso Deo Patre, et Filio. Hinc autem etiam conclusionem fecerant, Sacramenta utpote a Christo instituta, nullius jam esse vigoris. Deum ita prædicabant bonum, ut negarent quempiam ob qualecunque scelus ab eo damnatum iri.

Ea, quæ definita, et decreta hoc concilio sunt, Capitibus 70 continentur. Capite primo, *Credimus*, ait,„ *et confitemur, quod una quædam summa res est, et incomprehensibilis simul, et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, Filius, et Spiritus sanctus tres simul Personæ, et singillatim quælibet earumdem. - - Unam tantum, et unicam esse fidelium universalem Ecclesiam, extra quam nemo salvus esse possit - - Verum Christi corpus, et sangvinem in Sacramento Altaris sub speciebus panis, et vini veraciter contineri, pane transubstantiato in corpus, et vi-*

vino in sangvinem Jesu Christi divina potestate etc. Capite 5. sancitum est, ut post Romanam Ecclesiam Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Jerosolymitana quartum locum obtineat, *servata cuilibet propria dignitate.* Constantinopoli, sub Latinorum potestatem redacta, etiam Patriarcha Constantinopolitanus creatus erat Latinus. Erga hunc igitur hoc factum erat, quod de Ecclesia Constantinopolitana sancitum est, ita autem, ut nihil tamen juris supra ceteras Patriarchales Ecclesias assecuta sit. Hoc enim est in verbis, Servata cuilibet propria dignitate. Constitutum præterea est, ut in Ecclesiis Cathedralibus Magister ad Clericos docendos instituatur. Prohibitum, ne novi Religiosorum Ordines inducantur, a quo tamen statuto ipsum etiam statim Concilium recessit, Prædicatorum Ordinem approbando. Capite 21. De Confessione Sacramentali minimum semel in anno facienda, et sumenda Eucharistia in Paschate præceptum datum est. etc. *pag.* 16.

§. 4. De initiis Anachoretici, et monastici instituti jam actum est Part. I. §. 26. Post illos primos Anachoretas, et monachos, idem institutum est multiplicatum vehementer. *S. Benedictus* fuit a. 529. Auctor Ordinis, qui ab eodem Benedicto nomen etiam nunc gerit. Non tantum Ordo hic in immensum crevit et floruit viris tam eruditione, quam vitæ sanctimonia præcellentissimis, protulitque insuper innumerabiles Ecclesiarum Antistites ipsius etiam Romanæ Ecclesiæ, nec non viros Apostolicos, qui permultas integras etiam gentes ad fidem Christi adduxerunt, Religionemque suo etiam sangvine rigatam propagaverunt. Etiam ex eodem hoc Ordine,

tan-

tanquam a matre multi alii Ordines processerunt. Ex his sunt monachi Vallis Umbrosæ, Cluniacenses, Montis Oliveti, Grandimontenses, Congregationis Silvestrinæ, Cælestini, Camaldulenses, et Cistercienses. Cum, ut fieri solet, in multis elanguisset primus fervor, quem vero alii cuperent instaurare; hinc factum est, ut aliæ, atque aliæ pullulaverint Monachorum congregationes.

Sunt vero Ordines alii etiam, qui a seipsis initium sumpserint. Talis est *Carthusianorum* a. 1084. a S. Brunone institutus solius vitæ austerioris, atque viæ ineundæ tutioris ad obtinendam salutem desiderio, non, ut a quibusdam creditum est, perculso voce Raymundi Diocres, Doctoris Parisiensis post mortem e tumba se erigentis, et testantis se esse damnatum. Alter Ordo est *Praemonstratensium* auctorem habens S. Norbertum circa a. 1120. exortus. Tertius *Humiliatorum* circa idem tempus etiam efflorescens. Henricus V. Imperator ex Lombardia quosdam abduxerat ad Germaniam, sibi ab illis metuens. Hi in captivitate, tædium conceperunt mundanarum rerum, et sibi institutum religiose vivendi formarunt, dimissi deinde etiam ab Henrico. A Pio V. Ordo iste exstinctus est, quod S. Carolum Borromæum quidam ex eo voluerint interficere, ideo, quod laxatam illius disciplinam studuerit reformare. Etiam Ordo *SS. Trinitatis* cœpit ista ætate auctoribus SS. Joanne de Matha, et Felice Valesio ad redimendos Christi fideles ex captivitate Saracenorum. In eumdem hunc finem S. Petrus Nolasco etiam instituit in Hispania Ordinem S. Mariæ *de Mercede* ad eos redimendos præcipue, qui a Mauris capti erant, Hispaniæ magnam par-

partem sibi subjugatam habentibus. Ad a. 1185. pertinet initium Ordinis *Carmelitarum*, cujus auctor Bertoldus fuit Presbyter e Calabria, qui in Orientem profectus, monasterium in monte Carmelo desertum, et a se refectum incolere cum decem sociis cœpit, et unde idem Ordo ulterius propagatus est. Carmelitæ originem sui Ordinis ad Apostolorum ætatem, imo ad ipsum Eliam Prophetam volunt referre. Nulla vero suppetunt argumenta. S. Hieronymus quoque de se dicebat, *Noster princeps Elias, noster Eliseus* ob similitudinem in solitudine vivendi, non quod monachorum, et eremicolarum eorum parentes fuerint, qui Palæstinam ævo S. Hieronymi incoluerunt. Ex Oriente etiam in Occidentem propagatus est Ordo monachorum *S. Basilii*, qui etiam nunc floret in Hungaria. Is ante Episcopatum vixerat in eremo vitam monachi, nec vitæ hoc institutum reliquit in Episcopatu neque tantum in contubernio monachorum vivens, verum etiam totius urbis Cæsareæ in Cappadocia, cujus erat Episcopus, ejusmodi existente vivendi ratione, ut urbs tota videri potuerit quasi unum monasterium. *pag.* 19.

§. 5. Ordinis ***Praedicatorum***, cujus jam facta mentio est, conditor fuit *S. Dominicus*. Is in suis alumnis omnium primum et præcipuum esse voluit, Scripturam sacram, et SS. Patres assidue volvere, ut parati essent tam verbo, quam scriptis etiam operibus ad errores refellendos, a fide Orthodoxa deviorum, et ad instruendos in Christiana pietate Christi fideles. Non multo post hunc *S. Franciscus*, cognomento Seraphicus, Ordinem *Minorum* instituit. Eo hunc direxit, et destinavit, ut ejus alu-

alumni tam verbo, quam exemplo omnes a rerum mundanarum amore abstraherent, et ad cælestia bona præ omnibus aliis quærenda inflammarent. Hunc in finem Franciscus, ejusque socii civitates, et loca peragrabant, et Dei verbum spargebant. Nec caruit res emolumento. Factum enim est, ut Christiana ubique refloresceret pietas. Exortis inter Fratres Minores disceptationibus de observanda summa paupertate, dum ista aliquibus videretur non perstitisse, quam S. Franciscus observandam tradidit, et fuissent, qui eamdem revocatam, et instauratam esse vellent; ex Fratribus Minoribus, qui Conventuales dicuntur, processit alter Ordo Minorum de *Observantia*, et Minorum *strictioris observantiæ*, quibus et Recollectorum nomen est, utrique autem communiter Franciscani dicuntur. Ex Fratribus de Observantia auctore Matthæo de Bassio prodierunt Capucini. *pag.* 34.

§. 6. Alter rursus Ordo exortus *Eremitarum* S. *Augustini*, inde sibi nomen a S. Augustino assumentium, quod Regulam *ad Servos Dei* ab illo compositam, et monachis datam, in quorum contubernio etiam ipse S. Augustinus vivebat, sibi statuerint observandam. Erant hi Eremitæ in plures Congregationes divisi, quas Alexander IV. Papa in unum corpus redegit illius Congregationis, quæ auctorem habuit B. Joannem Bonum. Ex hoc ordine Eremitarum S. Augustini enata est Congregatio Canonicorum Regularium S. Augustini per Stephanum Senensem. Eremitæ S. Augustini, qui circa medium sec. 15. juxta primævam sui ordinis regulam disciplinam sibi instauraverant, dicti sunt Discalceati. Alter iterum Ordo prodiit *Jesuatorum*, alio nomi-

ne

ne Clericorum Apostolicorum Joanne Columbino auctore. Ibant per civitates, et alia loca, adhortationesque faciebant ad agendam pœnitentiam. Anno 1233. Ordo *Servorum* B. Mariæ Virg. cœpit, institutus a septem viris nobilitate et divitiis inclytis Florentinis. Eusebius Canonicus Strigoniensis in Hungaria ad eremum se receperat, et eremicolas sparsos per solitudinem in unum contubernium collegerat: qui deinde Ordo dictus est *Emeritarum S. Pauli* I. Eremitæ: quem videlicet sibi proposuerint imitandum in vitæ solitariæ instituto. Ordinem S. *Salvatoris* instituit S. Birgitta pro viris, et pro feminis. Genus vitæ colebant contemplationi deditum. Similis ordo fuit *Hieronymitaram* in regno Castellæ. Mediolani ad finem vergente seculo 14. Ordo prodiit S. Ambrosii in subsidium Parochorum institutus. *pag.* 40.

§. 7. Anno 1435. Ordinem *Minimorum* Fratrum Eremitarum instituit S. Franciscus de Paula: qui licet admodum strictus, et severus, tamen vehementer propagatus est. Ordinem *Theatinorum* instituerunt a. 1524. Joannes Petrus Caraffa Episcopus Theatinus, et Cajetanus Thienæus ad Cleri, et populi mores corrigendos, et reformandos. Hunc secutus est Ordo Clericorum Regularium S. *Pauli Decollati*; quos etiam vocant Barnabitas: quorum professio erat populum suis concionibus ad pœnitentiam, et pie vivendum excitare. Anno 1534. S. Hieronymus Aemilianus novum rursus Ordinem instituit ad Orphanorum curam, et institutionem præcipue tendentem. Dicuntur Clerici Regulares de *Somascha.* Eodem anno initium sumpsit *Societas Jesu* a. S. Ignatio Loy-

Loyola instituta. Huic præter ordinaria tria Religiosorum vota est quartum de Missionibus. Ad hæc inter Catholicos etiam instaurare pietatem ingens cura eidem S. Ignatio fuit. Anno 1773. per Clementem XIV. soluta hæc Societas est, quibusdam Aulis eo usque non quiescentibus, donec hoc a Romano Pontifice extorsissent perversitate ministrorum earumdem Aularum ad submovendum Ordinem, quo stante nullam spem habebant futurum, ut procedat Deismus, in quo inducendo Deistæ laborabant, et cui Deismo favebant iidem ministri. Pius VII. eamdem Societatem restituit: cui Leo XII. Romanum etiam Collegium tradidit, assignato annuo censu scutorum duodecim millium monetæ Romanæ e Pontificio ærario. Scutum Romanum æquivalet flor. Rhen. duobus, et xf. sex argenteæ monetæ.

Anno 1550. S. Joannes de Deo Ordinem instituit, qui *Fratrum Misericordiæ* vocatur in subsidium ægrorum. S. *Camillus* quoque de Lellis Ordinis Clericorum Regularium infirmis ministrantium institutor fuit. Istorum professio dirigebatur ad spiritualem animæ curam ægris, et moribundis, impendendam, Fratres Misericordiæ occupantur etiam in curandis morbis, quibus affectum corpus est. Omnium ultimus Ordo eorum, quorum vota sunt solennia, est *Scholarum Piarum* a S. Josepho Calasanctio institutus a. 1597. cujus professio est juventutem erudire in pietate, et literis. Præter istos Ordines erant multa adhuc instituta eorum, qui in societates coiverint ad officii spiritualis aliquod genus exhibendum proximo, ut Congregatio *Oratorii* instituta Romæ a S. Philippo Nerio ad Christi fideles assiduo, et quasi semper Dei verbo,

bo, et Sacramentorum administratione pascendos; qualis etiam fuit Congregatio Presbyterorum secularium *Missionis* Parisiis a S. Vincentio a Paulo instituta, qualis Congregatio *Oratorii* Jesu erat, et tot aliæ, ut Silvester Maurolicus Opus suum, in quo sibi propositum habuit, omnia recensere Instituta Religiosorum, Oceanum Religionum appellaverit. Præter illud a S. Birgitta institutum pro feminis conditum, quod jam memoratum est, etiam feminarum instituta adhuc multa erant alia vel deditarum tantum vitæ ascetica, ut S. Claræ moniales, vel operi etiam cuidam intentarum, quo officium aliquod exhibetur proximo, quales sunt virgines Deo sacratæ Elisabethinæ, Ursulinæ, et quæ Notter Dame, et Anglicanæ vocantur.

Ii Ordines Religiosi, qui sibi tantum vacabant, et officium aliquod actuosum erga alios non profitebantur, nostra aetate magnam invidiam sustinuerunt, tamquam homines essent humanæ societati inutiles. Instituti autem sunt, ut tota mente intenti essent ad laudibus celebrandum Deum, et pietate colendum. Ad hunc vero finem sumus creati a Deo. Deteriorne est is, qui finem hunc attingit illo, qui aberrat ab hoc fine, et sæpe externa etiam commoda, quæ a Deo accepit, ad eumdem Deum offendendum, et lacessendum convertit? *pag.* 44.

§. 8. Anno post Concilium Lateranense IV. Innocentius III. vita functus est. Thomas Cantipratensis in Vita S. Lutgardis Virg. scribit, quasi quod ab eadem Lutgarde habeat, Innocentium post mortem apparuisse eidem Lutgardi, et manifestasse se in æternam damnationem iturum fuisse

se ob tria, nisi jam in extremis per patrocinium Beatissimæ Virginis donum a Deo poenitendi, et veniam obtinuisset. Sola vero Lutgardis, etsi piæ feminæ, narratio non facit certam fidem, utpote, quæ rem hanc tantummodo etiam somniare potuerit. Fuit vero Innocentius laudatissimus Pontifex, de quo S. Antoninus *Post innumera*, inquit, *opera egregia virtutum demum beato fine quievit.*

Innocentio III. successit *Honorius* III. Hoc Pontifice Fridericus II. dum Rex Germaniæ Aquisgrani, iterumque Romæ Imperator coronatus esset, voto se obstrinxerat cum exercitu proficiscendi *adversum Saracenos* in Orientem. Ingens consensio aliorum etiam Regum, et Principum erat in rem hanc. Ab anno autem 1215, quo coronatus Aquisgrani est, usque ad a. 1227, illam Fridericus distulerat. Tandem a *Gregorio* IX. qui Honorium secutus in Pontificatu est, admonitus sæpius, mensem Junium ipse defixerat, et Brundusium, quo tempore, et loco omnibus profecturis esset conveniendum. Ingentes copiæ convenerant undique, ita ex sola Anglia sexaginta armatorum millia affuerint. Sub Friderici auspiciis eundum erat omnibus. Ille vero etiam nunc simulata ægritudine protrahebat profectionem, unde factum est, ut vi ingentis caloris æstivi, et insalubris tam aeris, quam aquæ maxima pars exercitus interierit. Tandem, postquam Pontifex declarasset, ipsum incurrisse excommunicationem frangendo fidem, quam juratam dederat, tribuit facultatem proficiscendi copiis, sed jam imminutis ob eas causas, quæ dictæ sunt, ita, ut non superessent nisi quadraginta millia. Quas cum ipse secutus non esset, illæ etiam, postquam

ve-

venissent in Orientem, iisdem navibus, quibus venerant, rediverunt. Demum vero etiam *Fridericus*, non ferens querimonias, undique contra se factas, ipse ivit, sed exigua tantum viginti navium classe. In Oriente autem non bellum gessit contra Saracenos, sed donis atque muneribus pacem ab his emit in annos decem, eademque ratione obtinuit Jerosolymam pro Christianis, ubi sub propria jurisdictione possent habitare una cum Saracenis, sed nequidem Ecclesia supra sepulcrum Christi, quod locus etiam Saracenis in veneratione esset, sibi permissa, et tradita. Fridericus autem coronam quasi Regis Jerosolymorum ipse sibi imposuit, atque res quas egerit, et perfecerit in Oriente, datis literis in Occidentem fucata narratione divulgavit. Ad quod bellum iverat Fridericus contra Saracenos in Orientem, hoc adjutoribus Saracenis, qui partem Siciliæ a se occupatam tenebant, gerebat in Occidente per suos homines contra Romanum Pontificem, cujus ditiones invaserat, et depopulatus erat. Postquam Fridericus rediit ex Oriente, monitus est a Pontifice, ut sibi caveret, ne quid ei contingat, cujus ipsum possit pœnitere. Qui cum recogitasset casum Ottonis IV. de quo fuit supra §. 1. qui desertus a Germanis, quod excommunicatione affectus esset, deinde contabuit; paratum se obtulit ad reparanda damna, quæ intulerat, et promisit se ab injuriis deinceps abstenturum. Ita refloruit concordia inter eum, et Romanum Pontificem: quæ tamen stabilis, et diuturna non fuit. *pag.* 55.

§. 9. Namque continuavit ea facere, majore etiam acerbitate, quæ egerat ante: qui in suo etiam Germaniæ regno, ejusmodi egerit, quæ ad ipsi-

ipsius etiam Religionis subversionem spectaverint, Ecclesias diruendo, et evertendo, earumque ipsos etiam Episcopos partim proscribendo, partim occidendo. *Gregorius* IX. Papa in epistola, quam de eodem Friderico misit, non tantum ad omnes Episcopos, verum etiam ad cunctos Christianos Principes, testabatur, Fridericum jactasse, tres fuisse *baratatores* (impostores, deceptores) qui mundum deceperint, Moysem, Mahometum, et Christum. Unde jam licebit æstimare, qualia sensa ejusdem Friderici de Religione fuerint, et cur illa ausus sit, quæ homo numquam egisset, aliquem habens sensum de Religione. Dum alibi ubique fureret, et baccharetur in Ecclesias, atque earum ministros, et bona, verterat se adversus Pontificem, ejusque ditiones maxime. Hunc in finem citato cursu venienti in Italiam Pontifex exercitum opposuit Cruce insignitum, eo modo, quo hanc Crucem in veste gerebant milites, in Orientem proficiscentes contra Saracenos. Ab hoc victus redire coactus est in Germaniam sæviens crudelissime in eos, quos capere potuit ex adversariis.

Joannes III. Ducas, cognomine Batazes, vel ab aliis dictus *Vatacius* laborabat summa vi in recuperanda Constantinopoli, quæ erat capta, et tenebatur a Latinis. Quo minus vero ei resisteretur per copias, ex Occidente in Orientem mittendas, quæ parabantur, promiserat, se Ecclesiam Græcam revocaturum ad unitatem, et concordiam cum Ecclesia Romana. In hanc spem adductus Gregorius IX. *Concilium* indixit *Lugdunum* generale ad diem Paschatis a. 1241. istius concordiæ conficiendæ causa; deinde ut componerentur ea, quæ per Fridericum gerebantur nimis adversa Ecclesiæ. Fridericus vero, quamvis ipse

ipse istud Concilium appetiisset, si verum fuit, quod scripserat ad S. Ludovicum IX. Regem Galliæ; tamen Episcopos, etiam ex Gallia, Hispania, aliisque regionibus sibi non subditis, pergentes ad Concilium, comprehendit, et in carceres conjecit, tamque dure habuit, ut fame, et miseriis excruciati morerentur. Nec tantum sic impeditum erat Concilium, verum etiam illa calamitate. Tartari post Russiam, Poloniam, et Bohemiam, a se devastatam, irruerant etiam in Hungariam, et terrore compleverant Germaniam quoque, et alia regna. Bela IV. Rex Hungariæ erat advocatus in auxilium a Pontifice adversus Fridericum. Istud ut ferre non posset, non erat vanus rumor, ab ipso Friderico Tartaros esse incitatos ad Hungariam invadendam. *pag.* 66.

§. 10. Gregorius IX. mortuus est a. 1241. in quem indictum ab eo erat Concilium. Ei successit Cælestinus IV. cujus Pontificatus ne mensem quidem duravit. Annum, et octo menses vacavit Pontificatus ob suffragiorum discordiam. Tandem electus est omnibus suffragiis *Innocentius* IV. Fuit acceptus etiam Imperatori Friderico. Id momenti etiam accesserat ad ejus electionem, schismatis inter illum, et Pontificem tollendi causa. Statimque tractari cœpit istud negotium. Conditiones Imperatori erant propositæ a Pontifice summa moderatione, et æquitate, quas si implevisset, solveretur excommunicatione. Omnia spopondit. Pontifex Sutrii morabatur. Fridericus trecentos equites occulte misit ad eum comprehendendum eum in finem, ut adigeret ad tribuendam sibi absolutionem, etiamsi illa, quæ spopondit, non exsolvisset. De *insidiis* certior factus Pontifex, vestitu mutato, nocte ingruente,

quæ erat destinata ad eum comprehendendum, eques absque ullo comite se eripuit clam omnibus tanta velocitate, ut ante horam primam sequentis diei triginta quatuor millia passuum emensus sit. Primum Genuam se contulit, hinc Lugdunum, statimque eodem *concilium* indixit *generale* his de causis, ut Ecclesia sui status debiti possit habere decorem, ut subsidia pararentur, et ad recuperandam Terram sanctam, ipsamque Jerosolymam, quæ nequidem sic perstiterat, quemadmodum illam Fridericus obtinuerat a Saracenis supra §. 8. et adversus Tartaros omnia depopulantes.

Die 26. Junii 1245. cœpit *Concilium*. Centum, et quadraginta Episcopi convenerunt; multi quoque Principum legati, ipsius etiam Imperatoris Friderici legatus *Thaddaeus Svessius*. Iste promisit Fridericum effecturum, ut Græcorum Imperium redeat ad unitatem cum Romana Ecclesia, iturumque ad debellandos Saracenos, Tartaros, aliosque omnes hostes Christianorum, omniaque restituturum, quæ abstulit Romanæ Ecclesiæ, idque ipsius Friderici nomine. Pontifex vero magna voce respondit, ista nonnisi esse verba, ad declinandùm ictum, quem metuat a Concilio: dedisse nuper juratam fidem de servandis iis, quæ ei erant proposita. Ista igitur servaret. Exposuit deinde idem Pontifex speciatim acta, et mores Friderici. Missus ad eum est Svessius, ut ei referret, de quibusnam rebus male audiret in Concilio. Ille vero dedignatus est vel responsum aliquod dare. Lata deinde in illum sententia est, qua denunciatum est, omni honore, ac dignitate esse privatum a Domino, et omnes, qui ei juramento fidelitatis tenerentur adstri-

stricti, absolvi isto, et liberari. Hæc sententia sic concepta erat, ut Pontifex diceret, se eam ferre, *Sacro præsente Concilio*. Hinc *Natalis* Alexander *assertionem* fecerat, hanc sententiam esse latam non nisi a Pontifice, et absque assensu Concilii, ut eam faceret errori obnoxiam, non habens Pontificem infallibilem in suis decretis. Sed neque Concilium œcumenicum, etiam in quo conspirant invicem Romanus Pontifex, et Episcopi ceteri, est infallibile in re alia, præterquam Fidei, et morum, sed neque aliam etiam potestatem habet, quam spiritualem: privare autem aliquem agello, ne dum regno, non subest potestati spirituali. Proinde Natalis non debebat metuere, ne si dictum esset, Concilio etiam approbante, latam esse illam sententiam in Fridericum, Principum potestatem in sua regna subituram aliquod dispendium. Et quod hoc loco dictum est *Sacro præsente Concilio*, idem est ab eodem Innocentio lib. 3. epist. 8. expressum: *Sacri approbatione Concilii* de re, quæ acta contra Fridericum est in hoc concilio. Et certe Episcopi in Concilio non erant solummodo auditores, et spectatores eorum, quæ agebantur, verum etiam judices. Similem huic ab Innocentio IV. in Fridericum latæ sententiæ jam tulerat etiam Gregorius VII. in Henricum IV. Sed neque hunc existimasse illud, quod egit, sibi competere vi suæ spiritualis potestatis, demonstratum est supra Part. III. §. 32. Pariter Innocentii III ista verba sunt: *Rex superiorem in temporalibus minime recognoscit.*

Actum est præterea de auxiliis comparandis, et militum copiis eum in finem, qui jam dictus est. Statuta quoque sunt condita de Rescriptis,

de Electionibus, de Judiciis, et in quantum se jurisdictio Episcoporum extendat in Exemptos. Fridericus vero Imperator percussus illa sententia conabatur omnes Principes concitare adversus Pontificem. Potius vero ipsos adversus se commovit, ita ut Ludovicus IX. Rex Galliæ, qui inter Sanctos colitur, paratus fuerit Innocentio cum exercitu subsidio venire, atque ipsa etiam Blancha ejus mater, et fratres voluerint in eamdem expeditionem ire adversus Fridericum, ad defensionemque Pontificis. Fridericus tamen nactus sibi adhærentes non solum in Germania, verum etiam in Italia tuitus est suam dignitatem. Sex annis adhuc post Concilium vixit, mortuusque est laborans gravibus dysenteriis, frendens dentibus, spumans, se discerpens, ac rugiens immensis clamoribus, non absque suspicione veneni, sibi propinati a Manfredo notho suo, quod non se, sed Conradum filium hæredem scripsisset. A Friderici obitu in Imperio *interregnum* duravit usque ad a. 1273. quo Rudolphus Comes Habsburgicus electus Imperator est. *pag.* 73.

§. 11. Anno 1254. Innocentio IV. successit in Pontificatu *Alexander* IV. quem gessit usque ad a. 1261. *Urbanus* IV. deinde evectus ad Pontificatum est. Ab hoc venit *celebratio* solennis, et festiva Corporis Christi. Etsi S. Julianæ Virgini aliqua revelatio per somnium facta, ut narrabat, occasionem huc aliquam dederit, tamen Urbanus in decreto de hoc festo eam docuit sibi causam hujus fuisse, ut semel saltem in anno istud celebrius etiam ageretur, ut et pietas magis accenderetur in Christi fidelium cordibus erga hoc venerabile Sacramentum, et hæreticorum con-

confunderetur perfidia, non credentium veram Christi præsentiam in Eucharistia.

Urbano IV. *Clemens* IV. a. 1265. successit in Pontificatu. Innocentius IV. illam in Fridericum Imp. ferens sententiam, de qua jam dictum est, Siciliam, tanquam feudum Romanæ Ecclesiæ, ad se revocaverat. Manfredus vero Friderici nothus, hanc invasit, et a Siculis receptus etiam Rex coronatus est. Nec hoc contentus, arma vertit adversus Romanum Pontificem, ut patrimonium etiam S. Petri, ipsamque Romam ei eriperet. Itaque Pontifex Siciliam *Carolo Andegavensi*, fratri S. Ludovici Regis Galliæ, contulit. Deventum erat ad bellum. Manfredus non tantum victus est, sed ipse etiam in prælio occubuit, regnumque Siciliæ Carolus obtinuit. Post Manfredi hunc casum *Conradinus* filius Conradi, cujus jam mentio facta est, patre mortuo, Carolo bellum intulit ad regnum Siciliæ sibi asserendum. Victus vero etiam ipse est, et captus cum Friderico Duce Austriæ suo cognato, sibi associato in bello, et cum aliis undecim Neapoli publice in foro capite plexus est. Sparsum est ab iis, qui factioni Conradini addicti erant, isto Clementis IV. dicto: *Vita Conradini mors Caroli: mors Conradini vita Caroli* Carolum concitatum esse ad irrogandum illud supplicium, et quod ab iis etiam recantatum est, qui amant Romanum Pontificem vellicare. Non solum vero istud nesciunt probare, verum etiam refellitur contrario Ricordani, et Joannis Villani testimonio, qui docent, Carolum idcirco etiam reprehensum a Pontifice esse. Idem Clemens Conrado de Antiochia, nepoti Friderici II. Imperatoris ex Friderico filio, qui pariter captus

erat

erat cum Conradino venisset subsidio, et similiter supplicio affectus fuisset, nisi Pontifex vitam ei a Carolo obtinuisset.

Carolus autem cum in Siculos, armis subactos, mansvetudine uti debuisset, ad firmandum sibi in eos regnum, ille hoc quæsivit ratione contraria, Gallis concedendo omnem licentiam, quibus etiam solis administris utebatur, prædandi, et opprimendi non solum per enormes exactiones pecuniarum, verum etiam pudicitiam eripiendo tam virginibns, quam conjugatis effræna libidine. *Petrus* Rex Aragoniæ Constantiam Manfredi filiam sibi habuit copulatam matrimonio. Hunc Siculi invitarunt, et exstimularunt ad regnum Siciliæ sibi asserendum. Erupit flamma admodum celeriter. *Panormi*, ut ibi moris erat, multitudo maxima virorum, et feminarum feria secunda Paschatis, quæ tunc a. 1282. in diem 30. Martii inciderat, cujusdam hilaritatis causa, ad propinquum locum, qui Mons Regalis vocatur, se contulerat. Ibi Gallus quidam libidinosus, et impudens feminam palam apprehenderat, ut ea abuteretur; cumque ad eam liberandam accurrissent Siculi; iidem deinde conspirarunt ad Gallos omnes eadem adhuc die dato campanæ sono pro vesperis, contrucidandos. Id, quod tali iracundia perfecerunt, ut etiam infantes Gallis genitoribus satos, nondum natos ex discissisque matrum ventribus extractos confoderint: statimque quod Panormi, idem per universam Siciliam factum sit. Hæc cædes Gallorum *Vesperae* vocantur *Siculae.* Petrus Rex Aragoniæ cum supervenisset cum classe, Siciliam nullo negotio occupavit. Carolus ex animi ægritudine obiit. *pag.* 88.

§. 12. Clementi IV. vita functo a. 1268. *Gregorius* X. successit. Jam aliquoties Imperatores Græcorum ultro se se obtulerant ad ineundam communionem cum Romana Ecclesia. Etiam *tractatus* institutus est de hac valde memorabilis. Fratres Minores quinque ex Ordine S. Francisci venerant Nicæam, ubi Vatacius Imperator Græcorum eo tempore residebat, et Germanus Græcorum Patriarcha Constantinopolitanus. Ambo, his Fratribus benigne susceptis, declaraverant suam ineundæ communionis voluntatem. Missi etiam hac de causa legati sunt a Vatacio ad Romanum Pontificem Gregorium IX. Hic duos ex Ordine Prædicatorum, et duos ex Ordine Minorum misit ad Vatacium istius rei tractandæ gratia. Hi, ubi Nicæam venissent, suscepti sunt magno cum honore, et veneratione, ita ut totus etiam Clerus iis obviam processerit. Institutum deinde colloquium est, et quæsitum ex Græcis, quales causas haberent suæ disjunctionis ab Romana Ecclesia. Duas responderunt esse, unam ob processionem Spiritus sancti, alteram propter azymum panem ad conficiendam Eucharistiam. Latinis etiam insuper vitio dabant additionem ad Symbolum verborum *Filioque.* Sic vero ista defenderunt Nuncii Romani Pontificis, ut Græci progredi ulterius in disputando nequiverint, attamen veritati non acquiescentes, ad verba indecora descenderint. Non eo minus Gregorius X. cum rursus de hoc negotio *Michael Palaeologus* Imperator egisset, et spei plenas literas misisset, se pronissimum exhibuit ad tractandum denuo cum Græcis, et Concilium generale eum in finem Lugdunum indixit. *pag.* 97.

§. 13. Hoc Concilium *Lugdunense* II. inter œcumenica decimum, et quartum cœpit die 7. Maji 1274. Constitit ex Episcopis quingentis præter Abbates, aliosque inferiores plures adhuc Prælatos. Affuerunt etiam Regum, et Principum plurium legati. Primis tribus sessionibus, dum Græci ex Oriente nondum adessent, tractatum de his quæstionibus est, quæ erant controversæ inter Latinos, et Græcos, et quid Orthodoxæ fidei esset, confirmatum, et stabilitum. In subsidium expeditionum pro Palæstina decimam partem proventuum per annos sex promiserunt Episcopi, et Abbates, et de hoc deinde factum etiam statutum est. Advenerunt tunc etiam legati, Georgius Logotheta cum duobus aliis aulicis Imperatoris Michaelis Palæologi, Germanus, et Theophanes Metropolita Nicænus Episcoporum nomine. Erat tum Josephus Patriarcha Constantinopolitanus: quia vero se pervicacissime opposuerat ineundæ communioni; Imperator illum ad monasterium relegavit, Germanumque ei substituit. Tam Imperator, quam etiam Episcopi in literis suis ad Romanum Pontificem, hi sex, et triginta erant subscripti, professi sunt credere et tenere fidem eam, quam tenet, et docet Sancta Romana Ecclesia, speciatim illa etiam exprimendo, quæ habebant Græci dissona ab eadem Romana Ecclesia: cumque deinde non tantum suo, verum etiam omnium Episcoporum absentium nomine jusjurandum dedissent de iis servandis, quæ eorum scripta professio continebat; Pontifex insonuit hymnum *Te Deum laudamus*, quem ipse, omnesque ceteri gaudio exultantes, et inter lacrymas decantaverunt. Die 26. Junii hoc factum est. In festo autem Apostolorum Petri, et Pauli die 29. Junii Pontifici, rem Divinam facienti, adstiterunt Epi-

Episcopi omnes etiam Græci, et tam Latina lingva quam Græca decantatum Symbolum est, ter repetendo, *Qui a Patre, Filioque procedit.* In hoc Concilio accuratius etiam definitum est, quomodo habendi Cardinales essent, dum discordando inter se, Pontificis electionem retardarent. Inter causas, cur hoc Concilium coegerit, Pontifex posuerat etiam correctionem morum, et quanam ratione ista perfici deberet. Quæ vero res, dum in consultationem assumpta fuisset; illum modum Pontifex proposuit, et judicavit optimum esse, eumdemque etiam requisivit in Præsulibus, ut exemplo suo ceteris præeant; nam hoc si factum fuerit, nullis aliis statutis opus futurum. *pag.* 105.

§. 14. *Josephus* Patriarcha Constantinopolitanus ea conditione missus est ad monasterium, ut si concordia cum Romana Ecclesia non successisset, haberet facultatem redeundi ad Patriarchatum, secus, in monasterio maneret, alterque ei sufficeretur Patriarcha. Itaque *Joannes Beccus* Chartophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ evectus ad eumdem Patriarchatum est. Iste quoque Imperatori se vehementissime opposuerat, meditanti communionem inire cum Romana Ecclesia. Sed cum scrutatus fuisset ex libris SS. Patrum, quæ illorum de processione Spiritus sancti esset sententia, ita de veritate istius dogmatis convictus est, ut illud postea fortissime, et invicte semper propugnaverit. Is igitur non tantum nomen Romani Pontificis ad Dypticha reposuit, verum etiam concilium Episcoporum celebravit, in quo ab his eorumdem dogmatum professio facta est, in quibus antea a Romana Ecclesia dissenserant, in Lugdunensi autem

con-

concilio suum his consensum dederant, et anathema quoque in eos conjectum est, qui suæ pertinaciæ inhærentes Romanam Ecclesiam non recognoscerent pro matre, et capite omnium aliarum Ecclesiarum. At vero ii quoque Episcopi, qui præfracte in disjunctione perstiterunt, ipsi quoque conciliabulum instituerunt, atque in hoc omni cum execratione detestati sunt illam communionem, nactique asseclas monachos cum ementitis etiam revelationibus sibi divinitus factis, e quibus scirent, illam communionem initam cum Romana Ecclesia esse Deo detestatam, suam vulgarunt execrationem, atque plebem concitarunt ad renunciandum illi communioni: quæ furore accensa, et discurrens non tantum Beccum, et Imperatorem, verum etiam Romanum Pontificem hæreticum esse clamabat. Nec Proceres, et ipsi etiam propinqui Imperatoris melius erant affecti erga Communionem: quin etiam rebellatum est a quibusdam adversus eumdem Imperatorem.

In hoc statu rerum is *decretum* fecit, quo interdixit omnem disputationem, et sermonem de recessu Ecclesiæ Græcæ a communione cum Romana Ecclesia. Hac autem ratione cnm Palæologus non institisset tollendo schismati, quemadmodum juratam fidem dederat, potiusque fovisset illud suo decreto; Martinus IV. Pontifex declaravit, ipsum recidisse in excommunicationem. Nec postea diu superstes fuit a. 1283. mortuus, quem Græci nequidem in sacro loco humaverunt. *Andronicus* filius ei successit in Imperio. Is patri in omnibus consenserat, expetenti communionem cum Romana Ecclesia. Mortuo patre dicebat se hoc tantum simulate fecisse. Revocatur *Josephus* ad Patriarchalem dignitatem, *Bec-*

eus ad monasterium se recipit. Ex aliis quoque Sedibus omnibus pelluntur Episcopi probrose, et impactis etiam alapis, qui Communionem amplexi erant, aliique in eorum locum ponuntur e fæce hominum: et ut res speciem auctoritatis haberet, institutum est Constantinopoli conciliabulum. Ad hoc introductus ipse etiam Beccus, libere confessus est, se credere Spiritum sanctum procedere ex Patre, et Filio. Missus est in exilium cum duobus Diaconis ei fidelissime adhærentibus; ubi jubente Imperatore sic habitus est, ut necessaria ad victum ei denegata sint. Quamobrem nec diu superstes fuit. Morti proximus scriptum confecit, quod *Testamentum* appellavit, in quo etiam, atque etiam Processionem Spiritus sancti ex Patre, et Filio asseruit. *pag.* 111.

§. 15. Gregorio X. a. 1276. successit in Pontificatu *Innocentius V.* cujus nonnisi mensium quinque Pontificatus fuit. Post hunc *Adrianus V.* factus Pontifex est: sed qui jam etiam quadragesimo die Pontificatus mortuus est. Huic *Joannes XXI.* successit: isti vero jam nono mense e vivis sublato *Nicolaus III.* Huic tertio anno Pontificatus mortuo Martinus IV. suffectus est. Annos quatuor exegit in Pontificatu. Honorius IV. ei successit. Honorio post duos annos mortuo Nicolaus IV. Sub hoc Pontifice *domum* Deiparæ *Nazarethanam*, in qua nata, et educata sit, atque deinde salutata ab Angelo Christum conceperit, esse Nazaretho ex Palæstina divinitus allatam, et collocatam inter Tersactum, et Flumen, Dalmatiæ oppida, in colle vicino mari Adriatico, hinc vero octavo men-

se

se ulterius esse delatam, et prope Recinetum pariter in Dalmatia consedisse, donec hinc quoque post paucos menses ad agrum Lauretanum provinciæ Picenæ a. 1294. deportata fuisset, est scriptum ab Horatio Tursellino *Hist. Lauretan. lib.* 1. *cap.* 2. neque absque gravibus, et ad fidem faciendam idoneis monumentis. Post obitum Nicolai IV. cum biennium, et menses tres iterum, quod Cardinales inter se discordassent in ferendis suffragiis, electus tandem est *Petrus e Murrone* eremita, auctor Congregationis Cælestinorum, Pontificali nomine Cælestinus: sed quem post menses quinque deposuit. *Bonifacius VIII.* ei successit. *pag.* 119.

§. 16. Fiebant in quibusdam regnis nimis immoderatæ exactiones a Clero subsidii nomine. Propter has Bonifacius Constitutionem edidit, dictam a primis illius verbis: *Clericis laicos*, atque ipsis etiam Clericis interdixit, ne, si quid exigeretur, præstarent. Res male affecerat *Edvardum III.* Regem Angliæ, et *Philippum Pulchrum* Regem Galliæ. Ille, cum Clerus jam ei promisisset decimam partem proventuum suorum, isto autem superveniente decreto renuisset dare, quod promiserat; occupaverat horrea ad Clericos pertinentia; iste Constitutioni Bonifacii opposuit suum edictum, quo prohibuit omnem pecuniæ, et aliarum rerum e suo regno exportationem. Propter hoc edictum questus est Bonifacius Philippo, et declaravit, non fuisse sui propositi prohibere subsidia, sed tantummodo voluisse, ne quod tribueretur, fieret inconsulta Sede Apostolica: cumque Clerus ad illum recurrisset, statim concessit, quod erat petitum. Nec tamen isto modo contentus erat Philippus. Edvardus vero Angliæ Rex etiam

etiam veniam precatus a Clero est, et restituturum se promisit, quod ei per vim abstulerat. In Gallia autem processum est adhuc ulterius. Rex jura Episcoporum, non ita sivit esse, quemadmodum ad illud tempus se habebant, et dominia illorum ad se traxit. *Bernardus* Episcopus Apamiensis idcirco sic excesserat reverentiam erga Regem, ut etiam conviciis illum affecerit. Quem cum Rex per satellites suos comprehendendum curasset; Bonifacius istud sumpserat pro facto, quo immunitas Clericalis violata sit, petiitque, ut Bernardus e custodia dimissus ad se mittatur. Idem omnes Episcopos Galliæ Romam ad concilium evocaverat ideo, quod Rex bona vacantium Episcopatuum ad se traxisset: quos Rex ire non permisit, et Parisiis instituto Episcoporum, et Procerum conventu factum Bonifacii tali forma proposuit, quasi supremam potestatem etiam politicam supra Galliam sibi vellet asserere. In quam partem illius Constitutionem: *Unam sanctam Ecclesiam Catholicam* post illud Romanum Concilium editam etiam trahebant assentatores Regis, eo quod dixisset in ea, spiritualem potestatem esse eminentiorem seculari potestati. At vero ipse *Bonifacius* cum cognovisset, istud de se spargi, Petro Flote legato Philippi ad se misso, dixit, annis quinquaginta operam se dedisse juri discendo, scire se, duas potestates esse ordinatas a Deo, atque ideo neminem debere credere tantam fatuitatem, tantamque insipientiam fuisse, vel esse in capite suo: protestari se, quod in nullo vellet usurpare jurisdictionem Regis; Regem tamen negare non posse, quin esset subjectus Pontifici ratione peccati. *pag.* 125.

§. 17.

§. 17. *Bonifacius* ad rem componendam, quæ inter se, et Fridericum Regem intercedebat, ultro misit Joannem Moinium Cardinalem legatum ad eumdem Regem, et offerebat absolutionem ab excommunicatione, si eam incurrisset. Qui vero conditiones respuit, sub quibus reconciliatio erat oblata. Quin celebrato conventu Parisiis Episcoporum, et Procerum omnium *actionem* instituit in ipsum Bonifacium. Gulielmus Nogaretus Juris doctor velut accusator illius in medium processerat, reumque egerat hæreseos, simoniæ, aliorumque atrocissimorum criminum, neque esse Papam, qui vivente antecessore suo ad Pontificatum adscenderit. Itaque decernitur, alium oportere eligi Pontificem. Mittuntur hac de re literæ ad Cardinales, et ad omnes Reges. His literis autem Bonifacius suas opposuerat, docens ista, quæ in eum collata sint, meram esse calumniam: sed neque Concilium generale absque se posse celebrari, quod vero in gratiam hominum pestilentissimorum facturus non sit. Nec istud satis erat Philippo, quod jam egerat. Misit eumdem Gulielmum Nogaretum, et Sciarram Columna (iste cognatus erat duorum Cardinalium e familia Columna, quos Bonifacius dignitate Cardinalitia privaverat, et in Galliam fugiens Regi suam operam addixerat) cum tercentis equitibus ad *Bonifacium comprehendendum* Anagniam, ubi morabatur. His, postquam in ædes vi irrupissent, Pontifex indutus vestibus Pontificalibus ultro conclave, in quo erat, aperiendum curavit. Volebant eum adigere, incusso metu, ad deponendum Pontificatum. At ille caput offerens, *Hunc mihi vivo*, ait, *nullus auferet*. Triduum, postquam Galli Pontificem suis custodiis

cin-

cinctum tenuissent, Anagnienses adversum eos arma ceperunt, in fugamque egerunt multis eorum occisis. Bonifacius Romam reversus parabat convocare generale concilium, ubi judicium de tam atroci sibi illata injuria fieret. Mortuus vero est jam post unum mensem. Bonifacius non caret insectationibus eorum, qui famam Romanorum Pontificum amant rodere. In illius defensionem sic scriptum est a Natali Alexandro: *Caput muro concussisse, digitos corrosisse, desperato similem mortuum esse, Ciaconius, et Spondanus post Nicolaum Gillium scripsere. At S. Antonini, Platinae, Pauli Aemilii, aliorumque silentium, et Bonifacii celebrata magnanimitas id de ipso credere vetant.*

Dum *annus secularis* inivisset tercentesimus supra millesimum prima Januarii et subsequentibus diebus hominum maximus confluxus fiebat ad Basilicam S. Petri. Quidam ex his, qui annos ætatis centum superaverant, testabantur, idem factum esse etiam ultimo anno prioris seculi, atque sibi a parentibus inculcatum, ne idem facere negligerent, si eousque in vita superstites mansissent ad obtinendam indulgentiam peccatorum. Quamobrem Bonifacius, quamvis nihil de hac Indulgentia in literarum nonumentis reperiri potuisset, fecit decretum, quo concessit plenam peccatorum indulgentiam quovis centesimo anno basilicas Apostolorum Petri, et Pauli visitantibus, si Romani essent, diebus triginta, si extranei quindecim diebus. Tantus statim confluxus hominum eodem adhuc anno factus est non solum ex Italia verum etiam aliis regionibus, ut singulis diebus peregrinorum triginta millia fuerint, quæ Urbem ingressa, et totidem, quæ egressa sint.

Cle-

Clemens VI. deinde Jubilæum ad quemvis annum quinquagesimum, Urbanus VI. ad annum quemvis trigesimum, et tertium, Paulus II. ad annum quemvis vicesimum, et quintum posuit. pag. 135.

§. 18. Bonifacio VIII. successit in Pontificatu *Benedictus* XI. Huic Philippus Rex illico gratulatus de dignitate est. Benedictus vero statim etiam eumdem Philippum cum omnibus, qui ei adhærentes eamdem censuram incurrerant, excommunicatione absolvit, exceptis solummodo iis, qui Bonifacium Anagniæ adgressi erant. Sed Benedictus nonnisi octo mensibus Pontificatum tenuit, sublatus veneno. Vacavit deinde Pontificatus mensibus fere undecim ob Cardinales scissos in partes duas; quarum altera Italum, altera Gallum vellet Pontificem habere. *Albertinus* Cardinalis, et Episcopus Ostiensis, eam deinde rationem eligendi proposuit, et svasit, ut ii, qui pro Gallo starent, tres proponerent: ex his autem stantes pro Italo eligerent, quem vellent; istam vero electionem omnes ceteri ratam haberent. *Bertrandus* de Gotto Archiepiscopus Burdigalensis male erat affectus Regi Philippo ob quasdam injurias suis consangvineis illatas a Carolo Valesio Regis fratre. Albertinus svasit Regi, ut cum Bertrando in gratiam rediret. Nam si a Cardinalibus Gallum Pontifieem habere cupientibus Bertrandus esset propositus inter illos tres, videbat futurum, ut altera pars hunc eligeret, habens illum Gallis non bene affectum. Rex cupidissime secutus est, quod ei erat svasum, statimque ad Bertrandum ipse venit, eique demonstravit, sibi esse proclive facere, ut fiat Pontifex, sed debere prius quædam sibi pr mittere, quæ sit præstiturus, postquam factus fuerit Pontifex:

eadem-

eademque statim exposuit, præter unum, quod se expositurum dicebat tantum tempore et loco suo. Bertrandus ad ista fidem suam obligavit, et electus est Pontifex, dictus Clemens V. Ab hoc Romani Pontifices Avenione residebant usque ad Gregorium XI. spatio annorum 71. Clemens VI. Avenionem etiam suæ possessionis fecit, emendo eam ab Joanna Regina Neapolitana. *pag.* 145.

§. 19. De *Templariis* jam serpserat etiam antea aliquis male olens rumor. Quidam ex his fugitivus ex Ordine, et captus ob delictum, Squino de Floriano in carcere narraverat, quæ solerent a Templariis fieri: qui vero Regi ista indicavit. Alii dicunt, Noffum Templarium fuisse, qui ex carcere profugus, in quem a Magistro sui Ordinis erat missus, hoc indicium Regi fecerit. Regis mandato una, eademque die decima tertia Octobris a. 1307. comprehensi in Gallia sunt omnes Templarii. Ex his, sumptis in quæstionem, prodierunt ejusmodi fœditates, quas vel nominare inverecundum sit. Repertum etiam est, ei, qui ad Ordinem reciperetur ipsos solere offerre Christi, in Cruce pedentis, effigiem ad eum ter abnegandum, et conspuendum, ab iisdem Templariis adorari cranium humani capitis deauratum cum prolixa barba, et oculis rutilantis. Quæstionem cum Clemens Pontifex etiam per seipsum instituisset; misit literas in Germaniam, aliaque regna de Templariis etiam ibi comprehendendis, et ad custodiam ponendis. Idem Pontifex indixit insuper generale concilium Viennam, sitam in Delphinatu Galliæ ad tractandum de Templariorum Ordine, de Fidei puritate asserenda contra hæreses, de moribus instaurandis, et subsidiis comparandis pro Terra sancta. Die 18.

Octob. 1311. coepit Concilium, cui plures, quam trecenti affuerunt Episcopi. In hoc concilio exstinctus Ordo Templariorum est, suffragantibus omnibus Episcopis præter unum Italum, et tres Gallos. *pag.* 147.

§. 20. *Templarios* non omnes habent *sublatos* justis de causis, sed propter eorum opes, quibus Philippus Rex Galliæ inhians Clementem V. Papam induxerit ad abolendum illorum Ordinem. Parisiis, et in aliis civitatibus Galliæ per Quæsitores Fidei est primum facta de ipsis inquisitio. Hanc deinde Pontifex etiam per seipsum fecerat. Ea, quæ reperta sunt ex propriis Templariorum confessionibus, producta fuerunt in Concilio. Damnatus est Ordo omnium Episcoporum, solis tribus demptis, suffragiis. In contrarium nihilominus afferri solent ista: *Clementem V.* in Constitutione sua ipsum dicere, se Ordinis abolitionem non fecisse per modum definitivæ sententiæ, cum eam super hoc (Ordine) secundum inquisitiones, et processus prædictos non posset ferre de jure, sed per viam provisionis, et ordinationis Apostolicæ, hunc sustulisse. Quia videlicet, quamvis acta esset inquisitio; forma tamen ulterior judicialis non est observata: alioquin secus, quod de jure, et secundum jus, atque æquitatem non esset actum, iniquum fuisset: quod certe de se, et de Concilio, Clemens dicere noluit. *Dicunt* deinde, crimina, quorum nomine condemnatus Ordo est, fuisse fundata in delatione illorum duorum Templariorum, qui vero proditionem suam maligne fecerint, irati suo Ordini. Quod vero non ita est. Nam istud eo solummodo serviverat, ut inquisitio institueretur. Petrus Puteanus *in Hist. Templarior.* quam

ex

ex ipsis Actis judicialibus confecit, docet, ex centum, et quadraginta Templariis, qui Parisiis sumpti in quæstionem erant, nonnisi tres fuisse, qui illa negaverint, ob quæ Ordo damnatus est. Trecis, Cadomi, Carcassonæ facta eadem inquisitione ad unum omnes, crimina eadem confessos esse. Ex Parisiensibus duos, et septvaginta ipse Pontifex ad se adducendos curaverat, qui vero eadem crimina denuo coram ipso recognoverunt. Sed Molæus *inquiunt*, Magnus Ordinis magister cum pluribus aliis revocavit deinde suam confessionem, et fuisse hanc etiam ab aliis tantum metu extortam. Molæus, et quidam alii omnino revocarunt suam confessionem: sed hoc fecerunt tantum post Concilium, dolenter ferentes sui Ordinis condemnationem, et abolitionem, seque vindicare volentes, Pontificem, et Concilium arguebant iniqui judicii, ideoque damnati ad rogum sunt. Nam per Concilium nonnisi ad pœnitentiam condemnati erant, idque pro ratione factæ confessionis cum majore, vel minore indicio animi pœnitentis, ipseque etiam rigor iste illis deinde mitigaretur, quorum sincera observata esset pœnitentia. Nec tormenta ipsis adhibita sunt ad exprimendam confessionem, ut hanc mallent falsam criminum de se confessionem facere, quam illos cruciatus, et tormenta sustinere. Hæc itaque confessio erat magis libera, quam coacta. Nec Regis Philippi impulsu Pontifex abolevit Ordinem, ut ille ejus bonis potiretur, quæ Equitibus Jerosolymitanis S. Joannis, postea dictis Rhodiis, post Rhodum a se captam, et Turcis ereptam sunt collata. *pag.* 154.

§. 21. Anno 1307. Conventus *Pictavii* est institutus, cui affuit ipse etiam Clemens V.

Philippus Rex Galliæ, legati quoque Regis Angliæ, et Siciliæ, tractatumque in eo est de subsidiis belli, et expeditione apparanda in Orientem. In hoc Philippus Rex indicaverat etiam Clementi, quid illud esset, quod petierit sibi præstari ab eo, si factus Pontifex esset, tunc autem non expresserat. *Supra* §. 18. Istud vero Pontifex dicebat, se non posse facere extra concilium generale, ne simpliciter Regi negaret, ad quod se obstrinxerat improvide, dato etiam jure jurando, et nullo modo honeste poterat præstari. Ad Concilium Viennense idcirco venerat etiam Rex, ut illud idem urgeret. *Petebat* autem, ut Bonifacii VIII. nomen e Catalogo Pontificum deleretur, ejusque corpus, et ossa comburerentur tamquam hæretici. Ne contra fidem datam videretur agere, permisit Pontifex, ut institui possit actio. Gulielmus *Plessius* erat actor, qui vero nonnisi ejusmodi produxit, quæ erant insulsima. Nam probaturus, Bonifacium fuisse hæreticum, dicebat, quosdam esse, qui audiverint illum dixisse, asinum, vel canem se malle esse, quam Gallum, videlicet gente: unde arguebat, Bonifacium non credidisse animæ humanæ immortalitatem, neque vitam æternam: sed neque ullum nominare scivit, qui istud ex Bonifacio audivisset. Alterum rursus afferebat velut illius dictum. Quod si totius mundi homines starent in una, et ipse solus in altera parte; tamen ab his non posset decipi, nec in jure, nec in facto. Ex quo rursus, Ergo, inquit, habet dæmonem, cujus nitatur consiliis, ac proinde etiam est hæreticus. Sic se habebant omnia, quæ crimina data erant Bonifacio. At vero Cardinales ex ejus vita, et rebus, quas egit, ostenderunt, sensa ipsius de Religione fuisse intemerata semper.

Duo

Duo Catalauni equites ad probandam innocentiam Bonifacii adversarios ipsius provocarunt etiam ad singulare certamen, ut moris tunc erat, ista etiam ratione probare innocentiam. Tunc Rex erubuit, nec amplius quidquam conatus est.

Multa in hoc Concilio edita a Clemente V. *decreta* sunt, quæ Clementinarum nomine in Corpore Juris Canonici veniunt. Ad svasionem *Raymundi Lulli* ex Fratribus Minoribus tertii Ordinis constitutum ab hoc Concilio est, ut lingva Arabica, Hebræa, et Chaldaica in Academiis doceretur. Arabica lingva dirigebatur ad Saracenos, reliquæ duæ ad Judæos convertendos ad Christi Religionem. Templarii inflati potentia, et divitiis, non se morigeros gesserant erga Episcoporum præcepta, attinentia etiam ad externam, et extra sua monasteria conversationem. Etiam ex aliis Ordinibus nonnulli immiserant se ad munia, quæ propria sunt Parochorum absque illorum voluntate, et consensu. Querimoniæ ea propter factæ sunt a quibusdam Episcopis. Surrexerat vero Jacobus Abbas Ordinis Cisterciensis ad defensionem earumdem exemptionum. Ea moderatione controversia composita est, et statutum, ut et Præsules sinerent intacta jura exemptionum; et ne Religiosi quidpiam sibi sumerent in muniis, quæ propria sunt Episcoporum, et Parochorum absque illorum concessione. Nam exemptiones certe quidem factæ non sunt a Sede Apostolica, nisi justis de causis. *pag.* 164.

§. 22. Anno post Concilium Viennense altero Clemens V. decessit. *Joannes XXII.* ei successit post intervallum annorum duorum, quo Sedes Pontificia vacabat propter vim allatam eligen-

gentibus Cardinalibus, et dissipatis. Philippi Pulchri Regis Galliæ ingenioso consilio perfecta deinde electio est.

A Friderici II. Imp. obitu usque ad a. 1273. etsi fuerint, qui se pro Regibus Germaniæ vellent gerere; tamen nullius certa erat dignitas, oppugnata ab æmulis. Eo autem anno, qui dictus est, *Rudolphus* Habsburgicus insigni pietate, et fortitudine bellica excellens Princeps evectus ad Regis dignitatem est. Hic est conditor etiam Imperii Austriaci, dum Ottocaro Bohemiæ Rege, a se devicto, Austriam Imperio Germanico assertam Alberto filio suo contulisset. Rudolpho successerat *Adolphus* Comes Nassoviæ. Quem vero ob enormia tributa, imposita populo, seque ab eo despectos Electores e dignitate dejecerunt, eique Albertum, filium Rudolphi, substituerunt. Hunc vero occidit Joannes, ejus nepos ex fratre, quod bona, quæ tutoris nomine tenebat, nondum ei tradidisset. Henricus Luxemburgicus ei successit. Jam anno quinto Imperii decessit. Erat rumor, ex quo collecto Scriptores etiam plures divulgarunt, Henricum esse veneno sublatum, quod ei Bernardus Politianus præbuerit in hostia consecrata, ex Ordine Prædicatorum eidem Henrico a sacris Confessionibus. Post mortem in ejus cadavere, dissecto a medicis, nullum vestigium veneni repertum est. Illius filius Joannes, Bohemiæ Rex per literas suas datas publice etiam testabatur, se in rem hanc inquisivisse, falsamque reperisse. Homines tamen a nostris Sacris alieni, ad invidiam Sacerdotio conflandam, non dubitarunt istam adhuc ad nostram usque ætatem serere famam. *pag.* 169.

§. 23.

§. 23. Post mortem Henrici e septem Electorum suffragiis quinque obtinuerat *Ludovicus Bavarus*, duo Fridericus Austriacus. Dum illorum uterque sibi vellet dignitatem asserere, enatum est civile bellum. Hujus flammam ut exstingveret, Joannes XXII. Papa controversiam ad se revocaverat. Qua vero conditione illorum neuter uti volebat. Fridericus a Ludovico erat devictus, et captus, tantumque sub ea conditione dimissus, ne quid postea moliretur denuo. Hoc pacto res potuissent pacatæ manere, nisi Ludovicus se junxisset hostibus Romani Pontificis Gibellinæ factionis, quorum talis erat adgressio, ut Pontifex necesse haberet comparare sibi exercitum, quales Cruce insigniti proficisci solebant adversus Saracenos in Orientem. Qua de causa Pontifex etiam ei institerat, quod jam inceperat agere de Ludovico, ut dubiam illius dignitatem haberet, et vellet illum ab hujus administratione abstinere, donec ipse rem dijudicasset. Quo vero Ludovicus magis exarserat, et non se, nam eo nomine etiam, quod schismaticis, et rebellibus se junxisset, Joannes Papa de Ludovico questus erat, illamque litem ei intentaverat, verum ipsum Joannem esse hæreticæ pravitatis fautorem, et Ecclesiæ depravatorem, et perturbatorem, regessit, speciatimque ei objecerat, quod in fratribus Minoribus secreti Confessionis sacramentalis violationem, quam solerent facere, dissimularet. Hoc de violatione ista nec Ludovicus probavit, nec uspiam alibi de hac est reperire vestigium.

Habebant vero *Fratres Minores* inter se controversiam ad summamne paupertatem, ut nihil proprii, etiam in communi, possent habere,

et

et possidere vi suæ regulæ obligarentur. Nicolaus III. ut controversiam componeret, omnium rerum, quas Fratres Minores possiderent, dominium in se transumpserat, solo illarum usu ipsis relicto. Hinc vero iidem Fratres Minores se coeperant supra omnes alios Religiosorum Ordines efferre, quasi qui soli paupertatem servarent undique perfectam, eique æqualem, quam Apostoli, atque ipse etiam Christus servaverit. Hanc vero assertionem Christum, et Apostolos nihil habuisse proprii Joannes XXII. *erroneam*, et *haereticum* declaraverat esse, atque illud etiam dominium, quod Nicolaus III. in se receperat, Fratribus Minoribus restituit. At vero isti declarationi Pontificis non omnes acquieverunt, verum obstrepebant. Istos Pontifex, erant autem *Michael Caesenas*, supremus Ordinis Minister, Gulielmus Occam, et Bonagratia, ad se jussit venire; cumque nullis monitis potuisset ad sanitatem revocare, et jussisset Avenione manere, illi vero aufugissent, excommunicatione ipsos percussit. His vero Ludovicus Bavarus etiam triremem misit, qua ad eum deveherentur in Italiam Gibellinis sociatum, istisque adjutoribus deinde usus in iis est, quæ deinde adversus Joannem Papam egit, et in schismate, quod conflavit. Idem Ludovicus nactus præterea est, *Marsilium* de Padua, Jurisconsultum, et *Joannem* de Janduno Theologum, et Philosophum, qui ei principia ingenerarunt de potestate Principum seculari supra spiritualem Ecclesiæ, quibus infascinatus illa ausus est, quæ ei numquam in mentem venissent, si istos doctores non habuisset. *pag.* 174.

§. 24. *Ludovicus* statim ut venerat in Italiam a Gibellinis adversus Pontificem invitatus

a. 1327. *conventum* celebravit Tridenti, atque in hoc judicium de Joanne Papa instituit, pronunciatumque est, reum hæreseos esse, adeoque desiisse etiam esse Pontificem. Mediolanum deinde processerat, atque ferream coronam sibi imponendam curavit: hinc vero Romam profectus est, ubi Imperator Romanorum coronatus est ab Jacobo Albertino Venetiarum Episcopo, et Gerardo Orlandino Episcopo Aleriae in Corsica, ab Joanne Papa depositis ex Episcopatu. Diebus paucis post Ludovicus præ foribus Ecclesiæ S. Petri in suggestu omnibus insignibus dignitatis Imperatoriæ exornatus cum sedisset, populusque convocatus circumstetisset, et per Nicolaum Eremitam S. Augustini, ex carcere profugum proclamatum fuisset ter, essetne quispiam, qui Jacobum Presbyterum, (Joannes Papa isto nomine designabatur, quod antea gerebat) vellet defendere; nemine respondente, *lecta* est *sententia*, qua idem Jacobus, id est Papa Joannes XXII. denunciabatur depositus e Pontificali dignitate ob hæresim, et futurum, ut propediem Pontifex ab Imperatore ponatur alius. *Jacobus* vero *Columna* triduo post singulari animositate recitavit publice sententiam, a Pontifice in Ludovicum Imperatorem latam, et ad valvas Ecclesiæ S. Marcelli affixit, seque equo conscenso ex Urbe proripuit.

Cum illa scena prior acta fuisset die 22. Aprilis a. 1328. altera rursus secuta est die 12. Maji subsequentis mensis. Iterum Ludovicus sedit in throno ante fores Vaticanæ Ecclesiæ, alte constituto, ornatus omnibus insignibus Imperatoriæ dignitatis. Nicolaus, ille idem, cujus jam facta mentio est, habuit sermonem ad populum. Jacobus

bus Albertinus, hujus quoque jam facta mentio est, ter voce magna rogavit eumdem populum, placeretne ei habere *Petrum Corbarium* Papam. Facta acclamatione cum dispositi fuissent, qui acclamare inciperent, Ludovicus jussit legi decretum electionis, et Corbarium ad se sursum ad suggestum vocatum penes se constituit, annulum in digitum ejus induxit, stola Pontificali induit, atque nomen Nicolai V. ei indidit. Corbarius ex Ordine Minorum Conventualium erat, sed hypocrita. *Scena* tamen hæc diu non duravit. Volebat Ludovicus Siciliam pro se occupare. Res non successerat, et a propriis militibus desertus est ob stipendia sibi non soluta. Romæ tam in ipsum, quam in Corbarium undique exaudiebantur probrosæ voces, imo lapidibus impetebantur, et mactabantur ii, qui ex ejus factione erant, atque Germanorum, qui Romæ mortui, et tumulati erant, cadavera e sepulcris extracta per pueros raptabantur in plateis. Tam Ludovicus, quam Corbarius ex Urbe se subduxit. Adhuc Pisis et Ludovicus, et Corbarius scenam eamdem, quam Romæ luserant, in Joannem Papam, ejus etiam simulacro confecto, et stramine effarto, in ignemque conjecto continuarunt: unde tamen nonnisi pudorem etiam, quo confundebantur, reportaverunt. *pag.* 180.

§. 25. Pisis Ludovicus cum in Lombardiam se contulisset ad comparanda subsidia belli, Pisani *Corbarium* ex civitate expulerunt. Defecit deinde Hetruria primum a Ludovico, quam secutæ sunt aliæ etiam Italiæ civitates. Nec res illius melius stabant in Germania. Jam enim parabatur electio alterius Imperatoris. Indigne quippe omnes ferebant ipsius eam temeritatem,

qua

qua sibi arrogans supremam supra Ecclesiam potestatem, illud egit adversus Joannem Papam, quod jam commemoratum supra est. Corbarius latebras quærens, cum detectus fuisset, ductus est ad Joannem Papam, cui se in monachi veste, fune ad collum posito obtulit, ad pedesque procidens illius misericordiam imploravit. Ea vero benignitas Pontificis fuit erga illum, ut manibus suis erexerit, osculo exceperit, et tria aureorum millia in singulos annos ei adsignaverit, attamen appositis ei custodibus. Post id etiam *Ludovicus* semel, atque iterum miserat legatos ad Pontificem deprecandi, et veniæ petendæ causa. Fecerat vero istud non sincera ductus pœnitentia, tantumque, ut Pontifex ipsum protegeret, seque interponeret adversus alterius ad Regiam dignitatem electionem, qui Marsilium, aliosque a Pontifice damnatos adhuc apud se retinuisset. Dum autem ista aguntur Joannes XXII. a 1334. decessit, et *Benedictus XII.* ei successit: qui prior etiam Ludovicum per literas invitaverat ad sui reconciliationem cum Sede Apostolica. Tractari cœpit inter Benedictum, et Ludovicum de conditionibus. Philippus V. cognomine Longus Rex Galliæ, et Robertus Rex Neapolis intercesserunt, ne Pontifex Ludovicum prius excommunicatione solveret, quam alter electus esset Rex Germaniæ. Philippus prensabat hanc dignitatem. In Robertum, quod arma cepisset pro Joanne XXII. Ludovicus tulerat capitis sententiam, eamque subiisset, si capi ab eo potuisset. Anno 1342. Benedicto XII. mortuo Clemens VI. in Pontificatu successit. Durabat adhuc tractatus de reconciliatione. Neque enim Ludovicus ea facere volebat, sub quorum conditione illa ei tribuenda erat. Electores autem suis

suf-

suffragiis Ludovico abrogarunt dignitatem, et Carolum IV. Joannis Bohemiæ Regis filium ad eam evexerunt. Dum adhuc arma Ludovicus parasset ad occupandam Siciliam; in venatione ex equo delapsus a. 1347. mortuus est anno altero, postquam dignitate Imperatoria exutus fuisset. *pag.* 187.

§. 26. *Joannes XXII.* in aliquot concionibus suis dixerat, Sanctos in cælo non videre, nec visuros faciem Dei sive divinam essentiam ante resurrectionem mortuorum. Hoc autem is solummodo protulerat velut rem, de qua in utramque partem adhuc quædam disceptatio esset, et quam ipse etiam S. Augustinus dubium reputaverit. Quapropter idem Joannes etiam Philippo VI. Regi Galliæ scripserat, ut sineret de ea disputari, quo ad veritatem quæstionis promptius possit perveniri, donec aliud per Sedem Apostolicam esset ordinatum, vel etiam declaratum; cumque rumor sparsus fuisset, Joannem Papam negare, Sanctos Dei visione frui ante resurrectionem; is literis etiam emissis in universum Christianum orbem, hunc de se rumorem refutaverat. *Calvinus* rem hanc ita depinxit in suis Institutionibus, ut diceret, totam Sedem cum suis fulturis, Cardinales intellexit, tunc prorsus concidisse, quasi qui ipsi etiam Joanni Papæ hac in re consentientes fuerint: cum neque ipse Joannes quidpiam de ea tanquam certum asseveraverit, Gersonemque testem citat, qui neque natus adhuc tum erat. Sed neque illud verum est, etiamsi Gerson dicat, per Theologos Parisienses cum sono buccinarum coram Rege Philippo damnatam esse Joannis sententiam: siquidem in Actis istius Tractatus de hoc nihil, potiusque con-

contrarium sit, atque Regi Doctores Parisienses testatos esse, Joannem, quidquid in hac materia dixerit, non asserendo, sed solummodo recitando dixisse. Destinatum sibi Joannes XXII. habuit, quæstionem hanc decidere: quod morte interveniente ipse non perfecerat, Benedictus XII. ejus successor istud deinde præstitit, definivitque Sanctos jam etiam ante resurrectionem frui Dei visione. *pag.* 192.

§. 27. Benedicto XII. a. 1342. mortuo successit *Clemens VI.* Clementi VI. *Innocentius VI.* *Cardinales* antequam hunc elegissent, et ferre suffragia cœpissent, *leges* quasdam conceperant, et ab unoquoque sui collegii jusjurandum exegerant de his servandis, si factus esset Pontifex. Quidam, atque ipse etiam Innocentius hoc jusjurandum solummodo sub conditione dederunt, si jura sinerent, ut Cardinales possint in potestate circumscribere Pontificem. Ut autem factus Pontifex est, et judicasset, ad hoc nullum ipsis esse, non tantum in irritum misit omnia illa, quibus ligare volebant Pontificem, verum etiam statuit, nihil etiam valiturum, si quid postea similiter attentassent. Romanus Pontifex suam potestatem a Christo habet. Illius est Vicarius. Quæ se igitur manus porrigit adversus jura, et potestatem Romani Pontificis, eadem se injicit in ea, quæ Christi sunt. Innocentio VI. a. 1362. suffectus est. *Urbanus V.* Contulerat se Romam habitatum, sed rediit Avenionem ad pacem componendam inter Regem Galliæ, et Angliæ, ubi etiam vita functus est. Cum Romæ esset, eodem venerat *Joannes Palaeologus* Imperator Græcorum, et facta Fidei professione publice communionem iniit cum Catholica Ecclesia. Urbano

V.

V. successit *Gregorius XI.* Qui post moram dhuc Avenione trium circiter annorum, rediit Romam, et tunc cessavit Pontificum commoratio Avenionensis. *pag.* 202.

§. 28. Errores, qui hoc spatio temporis, per quod se tendit hæc quarta pars Institutionum harum, sunt jam aliqui memorati §pho 3. Fuerunt vero etiam alii. Quidam Joachimum Abbatem, cujus errores in Concilio generali Lateranensi IV. damnati sunt eodem citato §pho 3. defendendum suscepit libro, quem *Evangelium aeternum* appellavit. Non enim certo constat de ejus auctore. Continebat, doctrinam Joachimi esse præcellentiorem doctrina Christi. Legem Evangelii neminem ad perfectionem perduxisse, et jam desiisse, solos nudipedes esse idoneos ad docendum, ut omittam cetera plura ineptissima, et absurdissima. Non tamen eo minus *Gulielmus* de Sancto Amore, Doctor Parisiensis, hoc Evangelium Aeternum, damnatum ab Alxandro IV. libro in hunc finem composito, defendit, et plures nactus est asseclas ex ipsa etiam academia Parisiensi. Alia nova secta exstitit *Stadingorum*, qui abjecerunt, et contemptui habuerunt potestatem Ecclesiasticam: Ecclesiasticorumque bona, imo etiam Comitum, et nobilium invadebant, in eosque grassabantur non tantum eos contundendo, verum etiam occidendo: Eucharistiam sumptam et in ore domum portatam in cloacam exspuebant, mundumque a Lucifero, dæmonum principe, conditum asserebant. Militum copiis immissis partim occisi, partim dissipati sunt. Rursus alia secta orta est *Apostolorum*, hoc enim sibi nomen adsciverunt auctore Gerardo Segarelli. Tunica

alba

alba induti, fune præcincti, et barbati incedebant. Habebant dogma, mundum a Deo Patre se cum severitate gubernatum usque ad adventum Christi, gubernaturi eumdem mundum per gratiam, et cui jam etiam gubernatio tertia successerit Spiritus sancti per Charitatem. Hanc charitatem sibi esse venditantes, nihil erat tam fœdum, atque turpe, cujus sibi licentiam non dedissent, quia istud, ut sibi sumebant, charitatis impulsu exercerent. Potestatem, quam Christus in Ecclesia posuit, tantummodo sibi arrogabant. Militia Cruce insignita etiam adhibita est, ad sectam hanc coercendam, et eradicandam.

Alia secta enata etiam est *Fratricellorum*. Ex iis Fratribus Minoribus hæc processerat, qui quasi juxta regulam S. Francisci, nihil proprium, ne in communi quidem, habere, sibi fas esse asserebant: cumque Joannes XXII. declarasset, licitum ipsis esse, habere granaria, et cellaria ad reponenda ea, quæ mendicando collegissent citra aberrationem ab regula S. Francisci, illi negarunt, istud recte esse ab eodem Joanne declaratum, neque huic juris aliquid fuisse in regula S. Francisci quidpiam relaxandi, vel aliter ordinandi: quin per hanc declarationem dicebant, Romano Pontifici, et omnibus Episcopis ablatam etiam esse omnem potestatem, et nonnisi apud se remansisse; iidemque, quamvis se Spirituales prædicassent esse, tamen hircorum instar libidinosi erant. Sectam iidem suam pro quodam Ordine Religiosorum volebant haberi, quæ non tantum viros, verum etiam feminas continebat. *Henricus de Ceva* illius summus moderator erat. Erat et alia secta pariter dicta Fratricellorum, cujus auctor erat Hermannus

nus Pongilupus erroribus adhuc fœdioribus affectorum, et spurcius viventium. *pag.* 205.

§. 29. Circa a. 1060. secta exorta est *Flagellantium* auctore Rainero eremita Periisii, atque hinc propagata in alias Italiæ regiones, in Germaniam quoque Hungariam, et Poloniam. In turmas divisi ibant per civitates, et loca, atque se denudato usque ad umbilicum corpore flagellis aculeatis cædebant, donec dies tres, et triginta implevissent. In flagellatione hac nullus adhuc erat error orthodoxæ Fidei contrarius: sed ad eam accesserat, quod ii, qui se flagellassent tot istis diebus, crederent, sibi indubitate esse remissa peccata; deinde, quod sibi quamvis tantum etiam laicis, crediderint esse potestatem absolvendi peccatis etiam alios, quin suam flagellationem ejus virtutis esse prædicabant, ut per eam ad infernum etiam missos possint ex eo liberare. Inhibita, et poenis coercita ista flagellatio est tam per Episcopos, quam etiam potestata seculari. Attamen a 1349. *repullulavit.* Per mercatores ex Oriente allata erat pestis, quæ se fudit per Galliam, Hispaniam, Angliam, Germaniam, et totam paene Europam tamque sæva, ut tantum Parisiis una die plures quingentis mortui sint. Itaque illam flagellationem priorum resumpserant majore etiam, et ad spectaculum magis composito ritu. Habebant vero isti quoque suæ flagellationi adjunctam superstitionem, credentes, suum sangvinem, flagellis excussum, misceri cum sangvine Christi, atque ista ratione se obtinere veniam peccatorum. Interdixit Romanus Pontifex hanc flagellationem, nec permissa est a Magistratibus secularibus, poenisque affecti, si qui flagellantes se exhibuissent in publico.

Cir-

Circa a. 1315. *Lolhardorum* secta auctore Lolhardo Valtero prodiit denuo nova, admodum ferax errorum. Contemptui habuerunt omnia Sacramenta, Hostiamque consecratam Deum appellaverunt fictitium, matrimonium dicebant esse sponsionem juratam meretriciam. Iidem negabant, Deum cognoscere ea, quæ infra terram agerentur. Quamobrem loca subterranea petebant, ubi nefandos, et incestos concubitus exercerent. In Austria, Bohemia, et tota Germania ista se pestis diffuderat. Lolhardus Coloniæ comprehensus, et igne exustus est. Eadem severitas adhibita est alibi in Lolhardos, si resipiscere noluissent. Circa a. 1373. in Gallia, et maxime in Delphinatu secta enata *Turlupinorum* est, tam turpis, et inverecunda, ut in patulo atque oculis aliorum, omni pudore seposito, more canum coirent. Carolus V. cognomine Sapiens summam diligentiam adhibuit in exstingvenda hac secta, suppliciis etiam capitalibus animadvertendo in istius sectæ homines, suis erroribus inhærentes pervicaciter.

Andronicus III. Imperator Græcorum a. 1341. misit *Barlaamum* Abbatem monasterii S. Salvatoris, quod erat Constantinopoli, ad Benedictum XII. subsidiorum causa contra Turcas, a quibus Græci magis, ac magis semper premebantur, nec non de reconcilianda Græca Ecclesia cum Latina. Paratum habuit Pontificem ad utrumque, dum modo sperari possit, ut Græci aliquam constantiam præstent, qui neque concordiam, et conjunctionem in concilio Lugdunensi factam servaverint. Quod ad alterum attinebat, Romani Pontifices semper laborabant de subsidiis in Orientem mittendis; sed res ad ma-

turitatem perduci non potuit Principibus in Occidente inter seipsos dissidentibus. Dum Barlaam revertens Thessalonicam venisset, et monachos montis Athon in Macedonia invisisset; reperit eos ejusmodi persvasione infascinatos, ut crederent, si clausis cellarum suarum foribus, menteque ab omni alia re abstracta sedentes, oculos ad umbilicum defixissent, se reperturos locum sui cordis, unaque lumen visuros, quod ipse Deus sit. Præcipuus horum monachorum erat *Gregorius Palamas*, a quo iidem monachi dicti Palamitæ sunt: sed Simon Xerocercus Abbas erat auctor ipsis istius persvasionis. Cum Barlaam frustra laborasset in monachis istis ad meliorem mentem revocandis; rem detulit ad Joannem Aprium, Patriarcham Constantinopolitanum. Habitum est concilium, ad quod citati erant etiam monachi. In hoc cum Andronicus Imperator præsedisset, eo judice Palamitarum triumphum retulit sententia. *pag.* 214.

§. 30. Anno 1375. *Wicleffistarum* secta exorta est in Anglia. Joannes Wiclef Ecclesiæ de Luttlevvorth dioecesis Lincolniensis rector illam condidit. Præfecturam collegii Cantuariensis invaserat. Hæc ab Urbano V. Papa, ad quem in controversia erat itum, monachis, prout ad hos spectabat, adjudicata est. Prensabat deinde Episcopatum Wigorniensem. Hac quoque spe excidit. His de causis iram primum in Romanum Pontificem, deinde in omnes etiam Episcopos concepit, et adgressus est illorum potestatem convellere: cumque prius laicos concitasset ad excutiendam potestatem Ecclesiasticam, deinde etiam subditorum concitator fuit erga suos dominos, ipsumque etiam Regem: nec ullum finem fecit

ali-

alios, atque alios errores proseminandi. Synodus Constantiensis in damnatione illius errorum, solummodo præcipuos recensens, tamen numerum illorum habet quinque, et quadraginta, speciatimque istos, Ecclesiam Romanam non esse caput omnium Ecclesiarum, Apostolis a Christo æqualem esse datam potestatem, et Papæ potestatem esse nonnisi datam a Cæsare: neque standum esse etiam judicio Concilii generalis; non esse discrimen inter Episcopum, et Presbyterum. Si Episcopus, vel Sacerdos in peccato letali sit, nullum conficere Sacramentum, infantes etiam absque baptismo salutem æternam posse obtinere, in Eucharistiæ Sacramento non esse verum corpus Christi, Confessionem esse novitium inventum, Deum debere obedire diabolo, et quamlibet creaturam esse Deum, omnia ex necessitate absoluta evenire.

Et tamen tam portentosa docentem *secuta* est innumerabilis *multitudo.* Prævaluerant autem partim illecebræ, quibus et nobiles alliciebat, et plebejos, illis licentiam dando invadendi bona Ecclesiasticorum, his excutiendi subjectionem erga dominos, partim minæ etiam ad sectam propagandam adhibitæ, atque vis. *Joannes Baleus* Presbyter, unus ex Wicleffi asseclis longe audacissimus, cum ea rusticorum turba, quam primam collegerat, procedebat de loco ad locum, denunciabat incolis, si sua, seque ipsos salvos cuperent, adjungerent se: unde factum, ut admodum exiguo tempore grassatorum numerus excreverit ad millia hominum ducenta. Simonem Archiepiscopum, oratione sua conantem illos demulcere, et componere, occiderunt, parique modo grassati caedibus in Ecclesiasticos, et nobiles sunt.

Richardus II. Rex nisi in turrim munitam confugisset, eamdem vicem non effugisset. Postquam usque Londinum sic bacchantes processissent, atque hinc non jam conjunctim, sed distracti ab invicem alii alio se vertissent, prædationes, et latrocinia continuaturi, Rex immisit in eos exercitum, a quo concisi magnam partem sunt, et dissipati. Baleus illorum coryphæus comprehensus, quadrifariam sectus, et ad patibulum appensus est.

Multa *concilia* Episcoporum habita sunt in Anglia adversus Wicleffum, ejusque errores. Qui ejus errores cum semper essent confixi, ipse ne configeretur, eluserat Episcopos, simulando, se semper voluisse esse integre Christianum, et quamdiu halitus in se fuerit, mansurum in recta fide: quod si tamen in aliquo errasset, se submittere correctioni sanctæ matris Ecclesiæ. In Synodo Constantiensi iterum de illius erroribus actum est, sed jam post illius mortem, quam in festo S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis a. 1384. quem, et S. Silvestrum Papam solebat proscindere in suis concionibus maxime, inter concionandum repente paralysi totius corporis correptus, obiit inter desperationis manifesta signa. *pag.* 225.

§. 31. Libros Wicleffi Pragam attulerat quidam nobilis Bohemus Oxonio, ubi scientiis operam navaverat, et Petrus Payne ex Anglia profugus, ne comprehenderetur, quod esset Wicleffista. Hos avide arripuit *Joannes Huss* artium Magister a Pragensi academia, et Pragæ concionatoris munus gerens in Ecclesia dicta Bethlehem. Etiam natio Bohemica Universitatis Pragensis, quippe in nationes quatuor erat divisa

Bo-

Bohemicam, Bavaricam, Saxonicam, et Polonicam, idem fecerat, quod Huss, contradicentibus reliquis nationibus Universitatis, et Wicleffi sententias condemnantibus. Id, quod factum quoque est ab Archiepiscopo Pragensi *Sbinko*, cujus jussu libri etiam Wicleffi combusti sunt. Hussus prohibitus concionari, Praga ad locum suum natalem Huszinetz se recepit, et in conventiculis errores Wicleffi pergebat disseminare. Mortuus est Sbinko: in cujus locum Albicus Wenceslai Regis medicus factus est Archiepiscopus, pecunia Archiepiscopatum a Wenceslao mercatus, et sordide vivens domum Archiepiscopalem in cauponam, et macellum converterat, et literarum expers. Sub hoc Archiepiscopo ii, qui capti erant doctrina Wicleffi, eo confidentius eamdem disseminabant, Hussum quoque Universitas revocaverat Pragam ad resumendum docendi munus. Urbanus VI. Papa, dum in Albico nihil spei esset, commisit administrationem Archiepiscopatus Pragensis Conrado Archiepiscopo Olomucensi. Hic permovit Wenceslaum Regem ad edictum faciendum, quo sub poena exilii prohibebantur assertiones Wicleffianæ, atque Hussus quoque Praga amandatus est, quin ad supplicium etiam condemnatus erat, quod evasit plebe ad seditionem concitata per *Hieronymum Pragensem*.

Hic Hussi erat fidissimus discipulus, et postquam plures academias exteras peragrasset, Pragæ artium Magister constitutus, Cracoviam quoque erat vocatus ad ordinandam accuratius academiam. Qui cum non neglexisset doctrinam Hussi spargere, ubicunque occasionem nactus erat, ex Polonia revertens, et per Hungariam iter faciens, hinc expulsus est, et Viennam in Austria veniens,

ens, positus ad custodiam est, unde vero fugit. Nec contentus spargere venenatas sententias, grassabatur in Sanctorum etiam imagines, et eorum Reliquias. Joannes XXIII. Papa ob publicam necessitatem Indulgentias concesserat, et curaverat publicandas. Cujus publicationi Hieronymus ita se opposuit, ut præter alias contumelias illatas iisdem Indulgentiis, homines etiam e suo grege immiserit ad Ecclesiam, dum earum promulgatio fieret, qui populum fustibus dispellerent, et concionatores e cathedris detractos contunderent. Ex his tres audaciores, et in ipsum etiam Romanum Pontificem contumeliose insurgentes, et Antichristum vocantes, magistratus capitis poena affecit: quos deinde Hussitæ pro Martyribus coluerunt.

Ad *Concilium* generale Constantiæ celebratum ipse etiam *Hussus* ultro venit, petitis et acceptis a Sigismundo Imp. fidei publicæ literis: imo qui, ut jactaret, se causæ suæ confidere, per scriptum, in publico loco appensum, adversarios suos etiam provocaverit ad eodem eundum. At vero postea hæc illum confidentia deseruit, et in curru sub stramine occultatus in fugam se dederat, ex qua vero reductus est. Postquam in Sess. 6. Concilii de sententiis Wicleffi judicium factum erat, itum est etiam ad causam Hussi dijudicandam. Hoc tempore is se se varie gesserat; primum spondebat se revocaturum suas sententias, deinde autem negabat se hoc facere posse, ne, ut dicebat, perjurium committeret, seque paratum esse potius subire millies supplicium ignis, ne iis, qui ejus doctrinam susceperunt, in ea constanter tenenda, offendiculo esset. Itaque die 6. Julii a. 1415. obstinatus in suis erroribus a

Con-

Concilio condemnatus de hæresi, et judicio Curiæ secularis relictus est. Scriptores *Protestantes* Hussum celebrant non solum ut Martyrem, verum etiam prædicant miraculum, quod Deus patraverit ad testandam illius innocentiam, siquidem eo in loco, in quo exustus est, gramen non crescat, qui omnia miracula inficiantur, quæ facta narrantur post Apostolorum aevum. Iidem eumdem Hussum etiam Prophetam faciunt; qui, dum jam positus ad rogum esset, divino spiritu afflatus dixerit: *Nunc quidem torretis anserem: at veniet Cygnus, quem torrere non poteritis. Post centum annos Deo, et mihi respondebitis.*

Hieronymus Pragensis Husso, pergenti Constantiam, promiserat, se se illum secuturum. Idque fecerat. Postquam autem Hussum reperit mandatum custodiæ, biduo post se Constantia subduxit, cumque Uberlingam, urbem sitam in Svevia venisset, datis literis ad Proceres Bohemiæ, qui erant Constantiæ, petiit, ut literas ei peterent a Sigismundo Imperatore fidei publicæ, quo secure posset redire Constantiam. His acceptis non tamen reverti voluit Constantiam, sed iter verterat Pragam. Ad oppidum quoddam Hercyniæ cum venisset et jactasset, se disputando superasse omnes Concilii Praelatos, aliosque Doctores, adeo, ut rubore suffunderentur, et conviciis affecisset Synodum ita, ut eam etiam synagogam satanae appellaret, illius loci magistratus illum comprehendit, et Constantiam in vinculis reduxit. Productus ad judicium in Concilii Sess. 10. publice ejuravit suos errores. Rediit vero ad eosdem, vel potius, quos ficte tantum ejuraverat, iterum deinde asserere cœpit, ne pusilli animi esse videretur. Itaque vultum indutus imper-

perterritum, quali supplicium pertulerat etiam Hussus, ibat ad sibi præparatum rogum, cantans, prout etiam ille, Symbolum fidei, Lytanias, et hymnum *Magnificat*, eumdemque in rogo ipso cantum repetebat, donec vox eum defecisset. *pag.* 231.

§. 32. Concilium Constantiense magnam sibi collegit invidiam apud Protestantes ex Husso, supplicio affecto, quasi istud ipsi irrogatum fuisset adversus fidem publicam ei datam. In Actis Concilii ejusdem est, Hussum, postquam hæreseos condemnatus fuisset, et alienus a communione Ecclesiæ denunciatus a Concilio, relictum esse Curiæ seculari, *Dei Ecclesia non habente, quid ultra gerere valeat.* Si quid actum igitur esset adversus illas literas fidei publicæ, id recideret in Sigismundum Imperatorem, qui et literas illas dederat, et Hussum, damnatum a Concilio, Curiæ tradidit supplicio plectendum. Nec tamen istud eo dicitur, ut invidia devolvatur in Imperatorem. Nam neque ille adversus fidem publicam quidquam egit. In Actis Hussi ab anonymo Hussita conscriptis (eo minus id, quod narratur, suspicionem subire potest falsitatis) est ipsum Sigismundum declarasse Husso querenti, se ad custodiam positum esse, et quasi jam etiam hac ratione fides non esset servata, quæ ipsi data erat publica, ipsum has literas accepisse, ne qua ei fieret injuria, sed libera coram toto Concilio dicendi potestas esset, et de sua fide, atque doctrina respondendi: cumque eum hortatus esset ad se submittendum auctoritati Concilii, *Sin minus*, inquit, *facile habebunt Praefecti Concilii, quod de te statuant. Nos quidem tuis erroribus, et pertinaciæ numquam patrocinabimur. Imo nos his-*

hisce manibus ignem tibi parabimus potius, quam ut ea, qua hactenus pertinacia te diutius uti patiamur.

Sectatores Hussi, hujus, et Hieronymi Pragensis audito supplicio, quasi in rabiem acti Ecclesias, et omnia Catholicorum *invaserunt*, atque igne, et ferro vastaverunt, saevientes præsertim in Sacerdotes. Martinus V. Papa in suis literis, quibus Bohemos revocare ad officium conabatur, eam, quam ipsi commoverant persecutionem in Catholicos, Neronianam vocat, et tormenta, quibus eosdem excruciaverant, dicit fuisse talia, qualia neque temporibus paganorum audita sint. Nec furor iste spectabat adversus solam Religionem, sed qui conculcabant Ecclesiasticam potestatem, iidem neque stare volebant potestatem Regiam, et magistratuum. *Irruerunt* Pragæ in Curiam, et ceteris fuga dilapsis, septem ex Senatu Regio comprehensos per fenestras præcipites egerunt, hastis, et verubus sic infra defixis, ut his transfigerentur. Wenceslaus Rex, ne in manus illorum incideret, fugit ad castrum quodpiam munitum. Quidam Presbyter, Corenda nomine, vitam ei a seditiosis, et rebellibus exoravit. Eodem a. 1419. quo id accidit, mortuus est. Cum filium non reliquisset, regnum jure hæreditario spectabat ad Sigismundum ejus fratrem. At vero Hussitae, Joanne Ziska sibi constituto duce ad regnum capessendum non admiserunt, et cum armis illud sibi vellet asserere, illi viribus semper prævalebant.

In monte Pragæ vicino Ziska arcem exstruxit fortissimam, cui nomen Tabor indidit, unde suos *Taboritas* voluit nominari. Erant Hussi-

si-

sitæ scissi in sectas plures. Itaque præter Taboritas alii etiam erant, qui se *Horebitas* vocarent, alii rursus *Adamitœ*, e quibus videntur pullulasse, qui sub initium seculi 16. dicti sunt *Fossarii.* Hussitis nomen etiam *Calixtinorum* erat datum, quod in suis domibus intus, et foris depictum haberent calicem propter communionem sub utraque specie, quam veluti necessariam assererent. Post mortem Ziskae, quæ accidit a 1420. etiam Taboritæ se bifariam diviserunt: quorum alii, pristino retento nomine, Procopium cognomine Parvum sibi ducem posuerunt; alii nullum sibi certum ducem ponentes, *Orphanos* se vocarunt: qui tamen semper se conjungerent, quoties adgrederentur Catholicos: nec contenti grassari in Bohemia, Germaniam quoque, Hungariam, et Poloniam incursaverunt. *Militia* adversum eos conscripta est Cruce insignita. Erat hæc tam numerosa, ut solus Fridericus Marchio Brandeburgicus adduxerit militum millia quadraginta. Dilapsus vero iste exercitus est, dum incendium in castris casu fuisset exortum, et milites vano metu correpti, actique in fugam ipsa etiam castra Hussitis diripienda reliquissent.

Cum Basileam jam indictum fuisset Concilium, de quo adhuc succedet narratio, *Sigismundus* Imperator per literas *invitavit* eodem Hussitas ad tractandum de concordia, ea promissa securitate, ut nihil ejus ipsis esset metuendum, quod in Constantiensi concilio acciderat Husso, et Hieronymo Pragensi. Nihil etiam ista ratione profectum est. Quamvis enim Hussitæ venissent; tamen nonnisi iis conditionibus a se oblatis concordiam inire voluissent, in quas

si-

si consensus ipsis datus fuisset, omnis prior licentia suo ingenio sapiendi in Religione, et agendi confirmatus fuisset. Et quid spei ab his potuisset esse, qui eo etiam tempore, quo per legatos suos de Concordia tractabant cum Concilio, Pilsenum urbem eum in finem adgressi sint, ut eam vi adigerent ad sua dogmata? *Mainardus* Baro de Neuhas, ex secta Hussi reversus ad Orthodoxam Religionem, clam facta confoederatione cum Proceribus, et nobilibus Bohemiæ, dum Táboritæ, qui Pragam veterem tenebant cum Orphanis, a quibus Praga nova tenebatur, armis certassent, Pragamque veterem primum, ac deinde etiam novam cepisset, et utrosque rursus cum iis etiam, qui in illorum auxilium accurrerant, in acie fudisset; reliqui ad viginti millia se Mainardo dediderunt. E quibus illos quoque, qui Ziskae veterani erant milites, astu ad horrea inductos, iisque incensis sustulit. Sic demum confractæ sunt Hussitarum vires, et Sigismundus quoque adiit possessionem regni Bohemiæ. A Josepho II. Imp. et Rege Bohemiæ circa a. 1785. eæ quoque illorum reliquiæ, quæ adhuc supererant, et detegi poterant, e Bohemia amandatæ sunt. *pag.* 246.

§. 33. Gregorius XI. Papa mortuus est a. 1378. Illo redeunte Romam cessaverat Pontificum commoratio Avenionensis. Ne fortasse Pontifex, Gregorio succedens, rursus Avenionem abiret, Romani Cardinales conclave ad eligendum Pontificem intrantes rogarunt, ut Romanum, vel Italum Pontificem ipsis darent; deinde vero iisdem significarunt, se nonnisi Romanum cupere. Erant inter Cardinales nonnisi duo Romani, sed alter ob senilem, alter juvenilem ætatem, judicati minus

ido-

idonei gerendo Pontificatui. Itaque sedecim Cardinalium, qui in conclavi erant, concordibus suffragiis electus est *Bartholomaeus Prignanus* Neapolitanus, Archiepiscopus Barensis. Sex Cardinales adhuc morabantur Avenione, unus legatione fungebatur in Hetruria. Isti quoque, quamvis non requireretur, suum professi erant consensum electioni. Universe enim tres, et viginti erant eo tempore Cardinales. Hac intellecta electione Romani tumultuari coeperunt ita, ut armis etiam sumptis vociferarentur, se interfecturos Cardinales, ipsumque Pontificem ab iis electum, et illi idcirco metu alii alio diffugerint, seque recondiderint. *Agapitus* Abbas Cassinensis sedavit tumultum ita, ut jam altera die omnes secure possent e suis latebris prodire. Exposuit Romanis nomine Cardinalium, se quidem posse occidi, at vero, ut alium eligant, Urbano VI. jam electo, istud sibi nomen recenter electus Pontifex assumpserat, id a se nullo modo extorqueri posse.

Urbanus erat homo vitæ severæ, et naturæ nonnihil asperioris. Vix septimana intercessit, et Cardinales in consessu aliorum etiam Prælatorum reprehendit, iisque denunciavit, se non passurum ea, quæ agerent. Avaritia erat, et simonia, quam in ipsis arguebat. Paciscebantur videlicet pensiones annuas cum iis, quibus beneficia Ecclesiastica a Curia Romana conferebantur. Hinc irati Cardinales tres, et decem sub prætextu caloris æstivi Anagniam se contulerunt, ibique Robertum Gebennensem alium Pontificem elegerunt, qui se Clementem VII. nominavit, obtendentes priorem Urbani electionem ob metum sibi incussum, nullius esse vigoris, missisque lite-

teris ad Reges, et Episcopos in omnes partes, significarunt, non Urbanum, sed Clementem esse Summum Pontificem, a se legitime electum, et schisma conflarunt diuturnum, et longe teterrimum, dum regna alia Urbano, alia, decepta a Cardinalibus, Clementi adhæsissent. *pag.* 270.

§. 34. Urbano VI. mortuo a. 1389. suffectus est Petrus Thomacellus Cardinalis, qui se *Bonifacium* IX. nominavit. Hujus prima cura fuit, abstractos per schisma ad unitatem Ecclesiæ revocare, ipsum quoque Clementem VII. facta etiam promissione dignitatis Vicarii Apostolicæ Sedis per Galliam, et Hispaniam. Is vero obstinatus, etiam legatos Bonifacii, ad se missos, in vincula conjecit, nec ante dimisit, quam Carolus VI. Rex Galliæ intervenisset. Agi deinde cœptum de ratione sufferendi schismatis etiam ab Universitate Parisiensi: quæ nisi suo judicio suffragata fuisset Pontificatui Clementis VII. nec Carolus V. tunc Rex Galliæ, et plures alii Principes, ejus iudicium secuti ob eam, quam habebat eruditionis, et sapientiæ famam apud omnes, Clementi eidem adhæsissent, neque schisma corroboratum fuisset. Clemens VII. antipapa mortuus est a. 1394. Carolus VI. Rex Galliæ illico misit ad Cardinales literas, qui ex factione erant Clementis, eosque hortatus est, ne in locum Clementis prius alium eligerent, quam de concordia cum Bonifacio Papa tractatum esset. Illi vero eo magis depropperarunt electionem, et Clementi substituerunt *Petrum de Luna* patria Aragonensem, qui se Benedictum XIII. appellavit: ne autem viderentur ista ratione voluisse confovere schisma, unusquisque illorum ante electionem jusjurandum dedit de dimittendo Pontificatu, si ad exstinguendum

dum schisma conferret. Petrus de Luna non erat particeps illius factionis Cardinalium, quæ Clementem antipapam elegerat: sed postea ad hunc defecerat, deserto Urbano VI. cum ad ea, quæ jam habebat beneficia Ecclesiastica, insuper aliud ab Urbano petiisset, et non impetrasset. Habebat in ore quam maxime studium, et desiderium tollendi schismatis. At vero istud postea tantum sic semper voluisset tolli, ut ipse obtineret Pontificatum, alter eumdem dimitteret.

Hanc rationem tollendi schismatis urserat Gallia, urserat Germania multis hac de causa habitis conventibus. Consensit Bonifacius, si idem Petrus de Luna fecisset, cedens, et ad parem cum eodem Petro, quamvis pseudo-papa, conditionem se demittens. At vero eam respuit Petrus de Luna. Rex Galliæ idcirco iratus, Bucicaldum belliducem misit, qui hominem vi adigeret ad subeundam illam conditionem. Neque vero sic cessit prius, quam obsidionem, quam sustinuerat integra hieme, et oppugnationem, diutius sustinere non potuisset. Appositæ deinde ei erant custodiæ: sed his elusis in libertatem se asseruit. Redierunt ad eum etiam sui Cardinales, a quibus omnibus jam desertus erat: quin hi Regi quoque Galliæ eum reconciliarunt. Petrus deinde de Luna, ne videretur fidem, quam dederat Regi, non servasse, misit legatos ad Bonifácium Papam, ab eoque postulavit, ut se abdicaret Pontificatu, quin idem ipse fecisset, vel se dixisset facturum. Bonifacius jam alioquin æger, indignatus hinc, triduo post, accedente ad morbum animi commotione decessit. *pag.* 279.

§. 36.

§. 35. Cardinales, quos Bonifacius habebat, suspenderunt electionem, si fortasse Petrus de Luna vellet stare suæ sponsioni de abdicando Pontificatu. Petitum est a legatis Petri de Luna, qui ad Bonifacium missi, adhuc morabantur Romæ, ut irent, et afferrent hanc abdicationem. Responderunt, se frustra ituros: neque enim eam a Petro sperandam esse. Itaque spe hac frustrati Cardinales concordibus suffragiis elegerunt Cosmam de Melioratis Card. et Archiep. Ravennatensem, qui se *Innocentium VII.* nominavit, data sponsione ante electionem, quod idem a ceteris etiam Cardinalibus factum erat, daturum se operam tollendo schismati etiam renunciando ipsi Pontificatui. Eam ob causam statim etiam concilium indixit generale Romam ad diem 1. Novemb. 1405. *Joannes de Columna*, adjutore Ladislao Rege Neapoleos, quærens dominatum occupare urbis Romæ, seditionem fecerat, ita ut Pontifici etiam fugiendum ex Urbe fuerit. Quamobrem istud fieri concilium non poterat. Innocentius VII. mortuus est anno subsequenti 1406. Cardinales rati non consultum esse, differre electionem, ne factio Joannis de Columna, quæ repressa erat, ipso etiam Joanne, et Ladislao Rege Neapoleos, pulsis ex Urbe, vires resumeret vacante Pontificatu; elegerunt *Angelum Corarium* Card. Gregorii XII. assumpto nomine, qui se ante electionem obstrinxerat ad exstinctionem schismatis procurandam etiam renunciando Pontificatui. Statimque per literas significavit Petro de Luna, se hoc facturum, si idem ipse etiam fecisset. Eidem Petro Rex Galliæ quoque denunciavit, futurum, ut non tantum Gallia, verum etiam aliæ provinciæ hactenus ei obedientiam præstantes, ab eo recedant, nisi fecisset,

quod

quod a Gregorio XII. erat petitum. Non ausus aperte negare, colloquium cum Gregorio expetiit, et Savonam, eidem colloquio locum designavit. Quem vero recusavit Gregorius, et alium habere voluit, quod Savonam venire, non videret sibi tutum esse, timens sui comprehensionem, aut quidpiam etiam gravius. Classis ibi stabat Gallorum, quæ postea usque Romam iverat ad eamdem Romam asserendam Petro de Luna. *pag.* 287.

§. 36. Antequam actum fuisset de illo colloquio Savonensi, *Parisiis* die 1. Novembris 1406. *conventus* est institutus, cui Regii Principes, et Præsules quatuor, et sexaginta interfuerunt: in quo constitutum est, si in illo colloquio non se ambo Pontifices abdicassent Pontificatu, tunc eum, qui hoc renuisset facere, habendum esse pro schismatico; deinde Cardinales utriusque partis debere convenire ad eumdem locum, et eligere Pontificem: et si neque hoc successisset, petitum est ab Rege, ut hanc electionem ipse perficeret cum iis Cardinalibus, qui non adhærerent Pontifici abdicare Pontificatum renuenti. Hac de re, quam facturus esset, Carolus VI. Rex Galliæ literas miserat quaquaversus. Næ sibi Gallia nimium arrogavit. Idem Rex *diem* fixit *Petro de Luna*, ad quem usque se abdicaret Pontificatu, et cui postea jam nullam Gallia obedientiam exhibitura sit. Is, ut sui comprehensionem effugeret, de qua jam etiam datum erat a Rege mandatum, in Cataloniam sub protectionem Regis Aragoniæ fugit. Hinc anathema vibravit in Regem Galliæ, omnesque a quibus desertus esset. Illius edictum de hoc anathemate, et qui illud Parisios attulerant, dederunt spectaculum nimis ludicrum, et ignominiæ,

at-

atque ludibrii in Petrum de Luna plenissimum. *pag.* 296.

§. 37. Inter conditiones, de quibus servandis fidem suam obstrinxerat Gregorius XII. antequam Pontifex eligeretur, erat illa etiam, ne Cardinalium numerum augeret, nisi hoc etiam a Petro de Luna factum esset. Advertit quosdam e suis Cardinalibus propendere in partes Petri de Luna. Hanc ratus causam justam, ut ad eum numerum, quem habebat, adjiceret quosdam adhuc Cardinales, adjecerat quatuor, quo se firmaret adversus factionem Petri de Luna. Hanc causam prætexentes *Cardinales* Gregorii XII. *desciverunt* in partes Petri de Luna: in quorum locum sibi ille creavit Cardinales alios. Dum illas literas Carolus VI. Rex Galliæ publicasset, de quibus dictum est superiore §pho, una etiam iidem Cardinales, qui a Gregorio defecerant, vocabantur, ut juncti Cardinalibus Petri de Luna electionem instituerent novi Pontificis. In quo eidem Regi Galliæ libentissime paruerunt. Hi ambarum partium Cardinales coaliti *Pisas* generale *concilium* indixerunt novi Pontificis eligendi causa. Quod concilium deinde etiam factum est die 25. Mart. 1409. Literis, quibus convocarunt concilium, apposita erat dies 24. Junii a. 1408. In qua appositione diei 24. Junii quæ latuerit astutia eorumdem Cardinalium, postea adhuc declarabitur. Citarunt iidem ad hoc concilium, velut ad judicium, non tantum Petrum de Luna, verum etiam Gregorium XII. Convenerunt Episcopi 96, plures vero adhuc alii per suos Procuratores. Aderat etiam Abbatum numerus ingens, et tam Regis Galliæ, quam Ruperti Regis Romanorum, aliorumque Principum plu-

rium legati. Hoc deinde concilium se appellavit œcumenicum, et legitimum. Jam vero tum, cum literæ fuissent promulgatæ, quibus indicebatur concilium, in pluribus provinciis non modica erat *disceptatio*, num hoc Cardinales indicere potuerint, etsi istam convocandi, et celebrandi Concilii potestatem de se prædicaverint in literis, quibus illud indixerant. Inprimis in conventu Francofordiensi, cui interfuerat etiam ipse Rupertus Rex, huic potestati Cardinalium contradictum est. Suos tamen Oratores Rupertus miserat ad concilium.

Conradus de Susato Magister Theologiæ, et Canonicus Spirensis, Orator Ruperti, jamque in concilio, ejusmodi difficultates obmovit adversus idem concilium, quæ Cardinalibus angustias fecerunt, et ex quibus se expedire nullo modo sciverunt. Primum productis illorum literis ad Rupertum Regem, demonstravit, antequam ipsi indixissent concilium, jam hoc fuisse indictum ab ipso Gregorio XII. idque in hac ipsa causa schismatis tollendi. Nam quamvis istud jus ipsis, quam maxime competiisset, quod et ipsum inficiabatur; tamen causam nullam potuisse ipsis suffragari vel in speciem ad hanc convocationem faciendam, postquam jam facta esset a Gregorio. Sed et fidem Cardinalium ostendit manifeste sublestam, qui in literis ad Rupertum die 26. Julii datis significaverint, tantummodo se adhuc deliberasse de indicendo concilio, qui tamen in literis diem 24. Junii apposuerint, quibus indixerant concilium, eum videlicet in finem, ut ipsi viderentur hoc indixisse, quia illud defugerit Gregorius Papa indicere, et facere quasi inimicus pacis, atque unitatis, fautorque schismatis.

In

In iisdem literis, quibus indixerant concilium ab ipsis descriptum esse Gregorium velut schismaticum, et talem, qui nullus sit Pontifex. Contra hoc autem Conradus dicebat, quod si dubitant de Pontificatu Gregorii, num legitimus sit, ipsos etiam debere dubitare de suo Cardinalatu, quippe, qui illius Cardinales fuerint. Deinde ipsos in literis, quibus Ruperto Regi significarunt Gregorii electionem, professos esse hunc verum et indubitatum esse Papam a se electum nemine discrepante, et illo inspirante, qui omnia gubernat. Quærebat etiam, quomodo cum Cardinalibus, quos pro schismaticis habebant, coalescere in unum corpus potuerint. *Petrus Ancaranus* Jurisconsultus Bononiensis argumenta Conradi sibi sumpserat solvenda: nihil vero aliud protulit quam illud solummodo repetiit, quod de potestate indicendi concilii Cardinales jactaverant, in literis, quibus illud indixerunt. Conradus, et ceteri Ruperti Oratores facta contradictione tam verbo, quam scripto ipsius Ruperti Regis nomine contra hoc conventiculum, et anticardinales, sunt ipsorum verba, discesserunt. *pag.* 299.

§. 38. *Concilium* deinde tam in Petrum de Luna, quam etiam in Gregorium XII. *sententiam* tulit, qua ambos denunciavit fuisse, et esse notorios schismaticos (sunt verba concilii) et antiqui schismatis manutentores, et notorios hæreticos, notoriisque criminibus enormibus perjurii irretitos: itaque ne præsint, a Deo, et sacris Canonibus esse ipso facto abjectos, et privatos, ac etiam ab Ecclesia præcisos, Ecclesiamque vacare Romanam. Instituerunt deinde Cardinales electionem, et concordibus suffragiis elegerunt

Petrum de Candia Card. et Archiepiscopum Mediolanensem, qui se Alexandrum V. vocavit. Huic autem concilio Pisano nec Petrus de Luna, nec Gregorius XII. cessit. Petrus adversus hoc Pisanum aliud instituit *Perpiniani* in Aragonia *concilium*, cui fere nulli alii, quam Aragonenses interfuerunt Episcopi. Ab hoc Petrus de Luna agnitus est verus Papa: sed illius gravissimam indignationem incurrerunt, qui svaserant ut se abdicaret Pontificatu, dum schismati tollendo expediret. *Gregorius* jam indixerat concilium, antequam Cardinales Pisanum indixissent. Nec ad istud multi convenerant Episcopi, utpote distracti in diversas partes. Austriæ, quæ civitas est diœcesis Aquilejensis, istud habitum est concilium. Definitum in eo est, Urbanum VI. et qui eidem successerunt, ipsumque Gregorium XII. veros, et legitimos esse Pontifices, contra autem antipapas Clementem VII. et Petrum de Luna.

Quaestio hic existit, fueritne hoc *Pisanum Concilium* legitimum, et vere œcumenicum. Istud Natalis Alexander asseruit cum multis aliis, atque huic sententiæ ipse quoque accesseram in priore mea editione Institutionum Historiæ Ecclesiasticæ. Alii hoc in dubio reliquerunt, ut Bellarminus, alii autem ut S. Antoninus, istud negarunt. Re a me denuo pensata, et examinata, in sententiam ultimam etiam ipse concessi. Nam nemo jam dubitat Clementem VII. et Petrum de Luna fuisse pseudo-pontifices, Urbanum vero VI. ac proinde etiam eos, qui huic successerunt, e quibus etiam est Gregorius XII. veros, et legitimos Pontifices. Isto igitur non consentiente, imo etiam contradicente, non potuit valere concilium, quod Cardinales indixerunt, iique

iique tam Petri de Luna, quam a Gregorio desciscentes, et ab eo per excommunicationem etiam exterminati ex Ecclesia. Prætendebant Gregorii Cardinales, suæ factiosæ nequitiæ, cur ab eo defecerint, perjurium, quo se contaminaverit Gregorius, creando novos Cardinales. Jamne, etiamsi perjurus fuisset, ideone excidisset ex Pontificali potestate? Nam et Petrus cum perjurio abnegaverat Christum. Ideonevero desiit esse, quod ei dictum a Christo est: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam?* Deinde, hoc nomine cum fuisset traductus Gregorius a Cardinalibus per literas, quibus concilium indixerunt, literas et ipse emisit Gregorius, quibus refutavit istam calumniam. Sed neque vim obligandi Gregorium poterant habere eæ conditiones, quæ præmissæ erant ejus electioni, quando jam per Innocentium VI. *supra* §*pho* 27. factum decretum est, ejusmodi conditiones, etiamsi appositæ essent a Cardinalibus, nullius vigoris futuras. Hinc vero illud etiam consequens fieri debet, nec Alexandrum V. qui in Pisano hoc concilio electus est, fuisse legitimum Pontificem, neque Joannem XXIII. qui eidem mortuo suffectus est, tametsi crediti sint a permultis esse legitimi, et ipsi se tales esse crediderint bona fide: quemadmodum tali ratione, qui Clementi VII. et Petro de Luna adhæserant, inter quos S. Vincentius Ferrerius quoque erat, non fuerunt schismatici. *pag.* 312.

§. 39. Alexander V. jam nono sui Pontificatus mense mortuus est, eique suffectus, ut jam dictum est, *Joannes XXIII.* dictus antea Balthasar Cossa Cardinalis. In concilio Pisano erat constitutum, ut intra triennium denuo generale conci-

ci-

cilium fieret. Itaque istud Joannes indixerat Romam ad diem 10. Febr. 1413. Sed pauci convenerunt Episcopi, bello ardente in Italia, quod erat accensum per Ladislaum Regem Neapoleos totam Italiam quærentem suæ subjicere ditioni. Quamobrem idem Joannes cum Sigismundo Rege Romanorum, et Hungariæ egit de Concilio alio pleniore, et frequentiore, duabus potissimum de causis, ad Wicleffistas, et Hussitas cum Ecclesia reconciliandos, deinde ad unitatem perficiendam, dum in concilio Pisano tantum abest, ut ea perfecta sit, ut etiam dissidium auctum sit ad duos Pontifices addito tertio, qui Nicolaus V. erat. Quærebat autem Joannes, ut auctoritate istius Concilii ipse unus ab Omnibus agnoscatur Pontifex, oppresso non solum Petro de Luna, verum etiam Gregorio XII.

Ad diem 1. Nov. a. 1415. indictum est *concilium* Constantiam, et inchoatum quoque. Ducenti, et amplius convenerant Episcopi. Intererat concilio etiam Sigismundus Imp. et Regum, atque Principum legati quam plurimi. Duravit usque ad 22. April. 1418. Concilium negotiorum tractandorum causa erat divisum in nationes quinque, Italicam, Gallicam, Germanicam, Anglicanam, et Hispanicam, et quod discussum erat prius seorsim in consessibus nationum, illud postea proponebatur toti concilio decidendum. Ad Concilium erat invitatus etiam Gregorius XII. et Petrus de Luna. Iste ut semper antea, ambages fallendæ fidei quærebat; ille suam dignitatem tuitus, negavit istud absque se legitimum esse concilium: pro bono autem Ecclesiæ paratum se ad Pontificatum deponendum, sed non aliter, quam si idem etiam ab Joanne factum esset. *pag.* 324.

§. 40.

§. 40. In concilio omnium primo *actum* est de *tollendo schismate.* Si omnes tres, qui se Pontifices ferebant, Pontificatum deposuissent, ac deinde novi Pontificis electio instituta fuisset, existimabatur etiam nunc optimum. Tergiversabatur Joannes. Attamen deposuit Pontificatum intentatis sibi minis, istud tamen futurum cum ejus ignominia, quod salvo honore suo facere noluisset. Sustentabat se adhuc ea spe, fore, ut denuo eligeretur Pontifex. Visum autem autem est Concilio, nullum ex illis tribus eligere, inter quos exstiterat controversia de Pontificatu. Ad hoc igitur frustrandum, cum in se positam haberet Pontificiam potestatem, et scivisset separate a Pontifice non posse generale esse concilium; clam se subduxit cum decem Cardinalibus, et *fugit Schaffhusam* oppidum in ditione Friderici Ducis Austriæ, cum quo jam inierat foedus, ut sibi assisteret, si quid incommodi per Concilium pateretur. Cujus fuga cognita cura omnes incesserat, quid hoc in casu faciendum esset. *Joannes Gerson* Theologus, et Cancellarius Universitatis Parisiensis, et tam hujus, quam etiam Regis Christianissimi nomine missus ad Concilium, orationem habuit, cujus argumentum erat, Concilium oecumenicum esse supra Papam. Hujus itaque vi statuerunt agere concilium etiam absque Pontifice: quin in sessione 4. et 5. istam etiam decisionem fecerunt: *Quod ipsa* (Synodus Constantiensis) *in Spiritu sancto legitime congregata, generale concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiam Papalis, existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, et exstirpationem dicti schismatis,*

tis, et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, et in membris. Et si quis etiam Papalis dignitatis obedire contumaciter contemneret, nisi resipisceret, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, et debite puniatur, etiam ad alia juris remedia, si opus foret, recurrendo. Sigismundus vero Imperator exercitum illico expedivit, et non tantum Fridericum adegit ad remittendum Joannem Papam, verum etiam ut Fridericus supplex ad concilium veniret, et flexis genibus ab eo veniam deprecaretur. Instituta est deinde actio in Joannem Papam, accusatumque de aliis etiam criminibus, sua sententia Concilium e Pontificatu deposuit, cui ille se subjecit.

Gregorius XII. legatos ad Concilium misit, qui primum illius nomine convocationem Concilii ratam habuerunt, deinde autem, Pontificatus cessionem fecerunt. Nemo erat in Concilio, qui non agnovisset, non Gregorium, sed Petrum solum de Luna fuisse, cujus ambitione, et pertinacia schisma tamdiu prorogatum sit. Ut vero etiam iste tandem cederet, Sigismundus ipse profectus est usque in Aragoniam: sed neque sic adduci potuit, ut deponeret, quem sibi arrogaverat Pontificatum. Igitur per sententiam Concilii depositus est, et Aragonia quoque, nec non reliqua Hispania illum deseruit, seque cum Concilio Constantiensi junxit. Ille autem usque ad extremum spiritum præfracte inhæsit schismati, eoque mortuo duo ejus Cardinales, neque plures jam habebat, adhuc elegerunt Pontificem in ejus locum Aegidium Munionem Canonicum Barcinonensem: cui vero Pontificatui suo is non multo post renunciavit. Itaque omnes etiam istius fœdissimi schismatis reliquiæ exstinctæ

sunt

sunt, postquam durasset annos duos, et quinquaginta. *pag.* 332.

§. 41. His transactis, quæ narrata sunt, *itum* est ad *electionem* novi Pontificis. Electus est Odo Columna Cardinalis, qui se *Martinum V.* nominavit. Is antequam eligeretur, laboratum est a Concilio in forma constituenda, juxta quam reformatio in Capite, et membris deberet fieri ab electo Pontifice, priusquam inauguraretur, cujus reformationis supremum jus etiam sibi Concilium tribuerat in Sessione tertia. Non convenerunt autem in hac forma determinanda nationes: tandem postquam diu litigatum fuisset, a ceteris nationibus datum Germanis responsum est, *Electum Papam non posse ligari.* Attamen in Sess. 40. Concilium quæpiam collegerat, quæ existimabat reformanda, ut ea Pontifici, postquam is electus esset, offerret confirmanda. Acta Concilii habent, Martinum, dum ista ei fuissent oblata confirmationis causa, respondisse, *Quod omnia, et singula determinata, conclusa, et decreta in materiis Fidei per præsens Concilium conciliariter, tenere, et inviolabiliter observare volebat, et numquam contraire quoquo modo: ipsaque sic conciliariter facta approbat, et ratificat, et non aliter, nec alio modo.*

Concilio erat etiam propositum errores Wicleffi, et Hussi evellere. Istos Martinus V. per Bullam: *Inter cunctas Pastoralis curæ sollicitudines* condemnavit, unaque præscripsit quæstiones, quæ ex his sectis, reverti volentibus ad Ecclesiam proponendæ essent, neque nisi ista se credere professus esset, reciperetur. Joannes cogno-

gnomento Parvus Doctor Parisiensis asserebat, Quemlibet tyrannum posse, et debere licite, et meritorie occidi per quemcunque vasallum, et subditum: quæ pariter sententia damnata a Concilio est. Joannes Falkenberg libellum ediderat, ut omnes concitaret ad arma capienda adversus Uladislaum Regem, totamque nationem Polonorum propter disceptationes quasdam cum Equitibus Teutonicis de limitibus possessionum. Jam erat libellus reprobatus a Concilio. Poloni autem petiverant a Martino Papa, ut graviore adhuc censura eumdem libellum afficeret. Hoc recusavit Pontifex facere studio reconciliandi Equites Tetonicos cum Rege Poloniæ, et cavens, ne exasperarentur. Poloni vero dicebant, se ab illo ad Concilium generale appellaturos. Is hoc vero si fecissent, excommuciationem ipsis minatus est. *Nulli enim*, sunt illius verba, *fas esse, a supremo judice, videlicet ab Apostica Sede, seu Romano Pontifice, Jesu Christi Vicario in terris, appellare, aut illius judicium in causis Fidei, quæ tamquam majores ad ipsum, et Sedem Apostolicam deferendæ sint, declinare. pag.* 344.

§. 42. Vidimus *supra* §. 40. *in Sess.* 4. *et* 5. *Synodum* hanc Constantiensem *definivisse*, statuisse, et decrevisse, quibus etiam ipsis verbis illa usa erat, se potestatem a Christo immediate habere, cui quilibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiam Papalis, existat, obedire teneatur, atque etiam jus sibi asseruisse ipsius etiam Pontificis puniendi, et alia etiam juris remedia adversus eum adhibendi, si mandatis, statutis, aut præceptis a se, vel ab alio generali concilio factis, obedire contumaciter contempsis-

set.

set. Nec est obscurum, quid eadem Synodus intellexerit per alia juris remedia, quæ sibi etiam vindicaverat adversus eumdem Romanum Pontificem, si aliis poenis non cessisset, videlicet, quæ synodus possit ei etiam Pontificatum abrogare. Hoc enim deinde eadem Synodus Constantiensis etiam fecit erga Joannem XXIII. atque ipsa etiam illa decreta condiderat Sessionis 4. et 5. ut istud jus exauctorandi Romani Pontificis sibi assereret, et vi horum decretorum concilium quoque Basileense, de quo adhuc fiet narratio, sibi sumpserat eamdem licentiam in Eugenium IV.

His iisdem decretis Concilii Constantiensis Juris Ecclesiastici doctores *Febroniani* inædificant suam assertionem, *Concilium esse supra Papam.* De Primatu Romani Pontificis, et plena potestate supra universalem Ecclesiam sermo jam incidit sæpius, et adhuc etiam fiet postea, idemque est definitum per Synodum œcumenicam Florentinam. Plenam potestatem esse eamdem, quæ suprema sit, neque ipsi diffitentur iidem, qui dicti sunt, Juris doctores. Illud enim intelligitur plenum esse, cui nihil superaddi potest: et cui superaddi nihil potest, idem etiam supremum, et supra omnia cetera est. Habet Romanus Pontifex sibi a Christo datam plenam potestatem pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam, quemadmodum est in definitione Concilii Florentini. Universalem Ecclesiam repræsentat Concilium generale. Itaque Romanus Pontifex habet sibi a Christo datam plenam et supremam potestatem etiam supra generale concilium. Igitur non concilium supra Papam, sed Papa supra Concilium est.

Sed

Sed et ipsum Concilium Constantiense istam Romani Pontificis potestatem supra universam Ecclesiam, atque eo magis supra concilium generale, quod Ecclesiam solummodo repræsentat, docuit, asseruit, rebusque ipsis declaravit. Namque in condemnatione assertionum Wicleffi, et Hussi una præscriptum fuit, quemadmodum jam memoratum §pho superiore est, ut ex eo, qui suspectus esset de erroribus Wicleffi, et Hussi, quæreretur, *Utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, sit successor B. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei*: opposite videlicet ad ea, quæ Wicleffus, et Hussus docebant; et quæ damnata in ipsis a Concilio erant. Rursus, dum Poloni dixissent, se a Martino Papa appellaturos ad Concilium generale, vidimus etiam §pho superiore, Martinum idcirco Polonis excommunicatione comminatum esse: *Nulli enim fas esse a Supremo Judice, seu Romano Pontifice Jesu Christi Vicario in terris appellare.* Ab inferiore ad superiorem jus est semper appellare, et provocare, nisi ipse superior in certis casibus exceptionem fecisset: superiorisque potestas per eum semper infringeretur, qui appellationem impediret. Demum, potestne is illum, supra quem potestatem habet, legibus circumscribere? At vero dum ejusmodi leges pararentur ad circumscribendum Pontificem, qui eligendus esset, nonne etiam vidimus eodem §pho superiore, dictum esse, *Electum Papam non posse ligari*, atque eamdem Synodum Constantiensem destitisse coepto suo.

Quid igitur illa decreta Sessionis 4. et 5. tantumne in ventum facta sunt? Ista architectatus est Joannes Gerson, postquam Joannes XXIII.

fu-

fuga se subduxisset: sumpsit vero ex illo Parisiensi Conventu, de quo commemoratum est *supra* §*pho* 36. ubi cusum istud jus in Romanum Pontificem est, atque ipsi etiam Regi Galliæ tributum Pontifices exauctorandi, alteriusque eligendi, et fluxit ex capite Joannis Parvi, cujus jam etiam facta mentio est, et quæ perinde seditiosa assertio est, atque illa erat impia, et exitiabilis Regibus, et Principibus ejusdem Joannis, Quemlibet tyrannum posse, et debere occidi per quemcunque subditum illius. Quamvis autem præeunte, et prælucente Gersone, illa facta decreta sint, tamen quia Concilium consensit Gersoni, hæc ipsius etiam Concilii decreta sunt. Sed Concilium illud verum, et legitimum generale est, cui Papa præsidet vel per se, vel per legatos, et quod deinde confirmatum etiam per illum est. Sine qua confirmatione nullum unquam auctoritatem habuit concilium. Sine autem Pontifice facta sunt illa decreta, nec Martinus Papa illa confirmavit, qui potius omnia contraria egit istis decretis, et statutis. Unde quid conclusionis fieri debeat, estne quispiam, qui non videat? *pag.* 352.

§. 43. In Concilio Constantiensi constitutum etiam erat, ut post quinquennium rursus Concilium haberetur ad reformandos mores. Martinus Papa istud *Papiam* indixit; sed morbus, contagione perniciosus, cum illic serpere cœpisset, *Senas* illud transtulit. Alphonsus Rex Aragoniæ propter regnum Siciliæ, in quo adipiscendo magis faverit Ludovico Andegavensi, quam sibi; a Martino conabatur Patres Concilii absrahere, et in partes Petri de Luna trahere. Quod advertens Martinus, et quod admodum pauci convenissent Episcopi, Concilium abrupit, et in aliud tem-

tempus distulit, Basileæ a. 1431. habendum. *pag.* 361.

§. 44. Hoc concilium *Basileam* ad diem 3. Mart. 1431. erat etiam indictum a Martino, sed prius quam dies hæc advenisset; is mortuus est. *Eugenius IV.* ei successit, qui Julianum de Cæsarinis Cardinalem confirmavit in munere legati Apostolicæ Sedis ad præsidendum Concilio, quod sibi babebat collatum jam a Martino. Jam ad concilium Constantiense venerant legati a Manuele Palæologo Imperatore Græcorum, et Josepho Patriarcha Constantinopolitano communionis ineundæ causa cum Ecclesia Latina, et Sede Apostolica: (nimis in arctum jam res Græcorum erant deductæ a Turcis) iterumque ad Concilium Senense, atque etiam tertio ad Eugenium eadem de causa. Eugenius Papa idcirco statuit *differre* Concilium ad annum, et menses sex, ad quod tempus etiam Græci adesse possent in concilio. Accesserat et illud, quod jam mense labente altero a die, quæ præstituta erat concilio, nonnisi decem adhuc convenissent Episcopi, ideoque nec inchoatum fuerit. At vero Julianus, quamvis scivisset jam esse paratam ab Eugenio Bullam de differendo Concilio, tamen eo ipso instituit primam sessionem. In hac, quod Pontifex absque ipsorum consensu dilationem illam fecisset, ita *obfirmarunt* se illi decem Episcopi adversum eumdem Pontificem; ut non tantum non paruerint Bullæ Eugenii, postquam advenisset, sed illum cogere etiam voluerint ad revocandam illam Bullam; quin literis etiam quaquaversus emiserint denunciantes, Concilium continuatum iri, quoniam istud a se decretum esset. Videlicet ex illis decretis in Concilio Constantiensi Sess. 4. et

5.

5. factis sumpserant sibi hi Episcopi tantos spiritus, et in illa sua paucitate tamen ponebant vim oecumenici concilii, etiam si Pontifex cessari ab eo voluisset, quod absque illo, quantuscunque numerus fuisset Episcoporum, oecumenicum esse non potuisset. Iidem Summum Pontificem ad suum concilium venire jusserunt cum Cardinalibus. Julianus Cardinalis statim in Sess. 2. omisit præsidere, nec se amplius immisit ad aliquod negotium concilii. Inconsultissime, et temerarie instituerat primam sessionem. Retraxerat vero se, videns, cui rei ansam dederit. Iidem Episcopi Pontificem non obsequentem suis mandatis, quibus vocabatur ad concilium etiam deinde identidem, citarunt tanquam ad suum tribunal, quod non paruisset, diem ei sæpius præstituebant, ad quam usque si se non stitisset, comminabantur se se illum suspensuros ab administratione Pontificatus: quin si etiam tum se contumaciter gereret, ulterius etiam processuros. Sub eadem poena suspensionis denunciarunt Cardinalibus, et Episcopis, ut venirent ad Concilium.

Multos fefellerat nomen generalis concilii, quod illi sibi sumpserant, et ex illis decretis in Concilio Constantiensi factis de concilii potestate supra Romanum Pontificem, quamvis falsa, attamen ab his recepta erat persvasio. Itaque Sigismundus quoque Imperator steterat aliquamdiu cum Basileensibus, superiores illos habens Papa. Sollicitus vero, ne schisma denuo oriretur, quod paulo ante tam difficile erat exstingvere, agebat, et instabat, ut Eugenius vellet cedere Basileensibus, idemque fiebat a Carolo VII. Rege Galliæ, aliisque pluribus Principibus. Ea moderatione erat Pontifex, ut cesserit, *decernendo, et declaran-*

rando, generale concilium Basileense a tempore inchoationis suæ legitime continuatum fuisse, prosecutionemque semper habuisse, eamque habere debere, perinde, ac si nulla dissolutio facta fuisset. Illius continuationem eo modo vocavit legitimam, quo etiam liberi naturales fiunt legitimi. Miserat deinde Eugenius etiam suos legatos ad Concilium. Hi primum rebus, quæ tractabantur, subscripserant quidem, sed suo dumtaxat nomine, deinde vero etiam ad sessiones ire omiserunt, cum Basileenses perrexissent eodem fastu, et arrogantia, qua prius, et indigna agere adversus auctoritatem Romani Pontificis. Eugenius Papa dum consensisset in continuationem concilii, id non aliter fecerat, quam sub conditione, si Basileenses revocassent sua decreta, facta adversus Romanum Pontificem: cui conditioni cum illi non stetissent, Eugenius ipsa rescidit, reprobavit, et in irritum misit. *pag.* 364.

§. 45. Eugenius Papa ea fuit æquanimitate, ut Basileensibus detulerit designationem loci ad habendum concilium cum Græcis, ubi advenissent. Hi vero de hoc non poterant inter se convenire, nec alii aliis volebant cedere. Itaque *Pontifex* ipse designavit *Ferrariam*, quæ etiam a Basileensium una parte erat expetita, statimque triremes ad Græcos advehendos expedivit. Prope septingenti erant, qui Joannem Palæologum II. Imperatorem (iste Manuelis, cujus jam facta mentio est, erat filius) et Episcopos comitabantur, quibus Pontifex omnibus, eousque donec etiam redeuntes Constantinopolim pervenissent, sumptus omnes subministrabat. *Basileenses* vero etiam huic translationi Concilii Basilea Ferrariam *obnitebantur*, sed ex Episcopis

pis 357. ad quem numerum Concilium excreverat, postquam illius continuationem se ratam habere publicasset Pontifex, nonnisi sic obstinati erant viginti. Nam ceteri omnes promulgata translatione, quam decreverat Eugenius, reliquerant Basileam, et plerique etiam se contulerant Ferrariam. At tamen hi viginti, etiam postquam Episcopi, absque comparatione plures, abivissent, ipsique etiam Cardinales, qui præsidebant Concilio, pergebant adhuc insistere illi suo conventui, et pro generali concilio habere. Ut autem istud jure, et legitime viderentur facere, istos, velut Fidei articulos, condiderunt: *Primo, quod veritas de potestate concilii generalis supra Papam, et quemlibet alterum, declarata per Constantiense, et hoc Basileense, generalia concilia, est veritas Fidei Catholicæ. Secundo, veritas hæc, quod Papa concilium generale legitime congregatum sine ejus consensu nullatenus potest dissolvere, est veritas Catholicæ Fidei. Tertio, quod veritatibus prædictis pertinaciter repugnans est censendus hæreticus.* Iidem Basileenses edictum etiam emiserunt, quo denunciarunt, Concilium Ferrariense esse nonnisi conciliabulum schismaticum: præterea, Eugenium Papam iterum citarunt ad suum judicium, primumque sententiam suspensionis ab administratione Pontificatus, in eum tulerunt, deinde autem Pontificatum etiam ei abrogarunt: insuper alium quoque Pontificem elegerunt, Amadeum e Ducibus Sabaudiæ in eremo Rippalensi vitam solitariam agentem. Eugenius autem Papa post factam a se Concilii translationem Ferrariam adhuc dies triginta concesserat Basileensibus ad continuandum tractatum cum Hussitis de eorum revocatione ad Ecclesiam: quod si autem adhuc ultra insisterent suo conventicu-

lo, pœnam in eos excommunicationis, et privationis dignitatum sancivit, civitatique Basileensi sub pœna interdicti, et excommunicationis præcepit, ne conciliabulum illud agi ulterius apud se sinerent. *pag.* 373.

§. 46. Disceptari solet, *Basileense concilium* fueritne generale, et legitimum. Quoad convocationem fuisse tale, nullum debet esse dubium. Sed quoad ejus celebrationem, et decisionum, atque statutorum eam vim, quam habent, quæ sunt decisa, atque decreta per generalia concilia, trifariam divisæ sunt sententiæ. *Febronius*, et qui ejus sententiis inhærent, quamvis istas ipse postea correxerit, volunt totum, et integrum concilium Basileense fuisse legitimum, et œcumenici concilii potestate, et auctoritate præditum, utpote cujus Febronii fuerit, et sequacium illius sit, Concilium esse supra Papam. Hoc vero inædificant illis decretis Sess. 4. et 5. Concilii Constantiensis, quemadmodum Basileense quoque his illa superstruxeruut, quæ tam insolenter adversus Eugenium Papam egerunt, et seditiose. Non suffragantur vero illa decreta huic sententiæ de eminentia Concilii supra Papam. Itaque fundamento subtracto, cui hæc innititur assertio *Supra* §. 42. necesse est cadere ipsam etiam hanc assertionem.

Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et *Tibi dabo Claves regni caelorum* est a Christo dictum Petro. Ad unitatem Ecclesiæ servandam est a Christo institutus Primatus. Qui supremam potestatem constituunt in Ecclesia, et concilio generali, Ecclesiam repræsentante, hanc auferunt Petro, et Romano Pontifici. Vi Primatus

tus habet Romanus Pontifex in Petro sibi datam plenam potestatem pascendi, et regendi universalem Ecclesiam. Supremam potestatem, quæ eadem et plena est (supra §. 42.) Febroniani asserunt esse Ecclesiæ immediate collatam a Christo, et cujus administrationem solummodo Ecclesiæ nomine habeat Romanus Pontifex in ea mensura, in qua illam Ecclesia ipsi committere vult. Anne ergo hæc a Christo ipsi Romano Pontifici in Petro collata potestas est? Estne hæc plena, in qua subjacet alteri, et circumscribitur? Qui Primatum Romani Pontificis invadunt, tendunt ad dissolvendam unitatem Ecclesiæ, cui rei Basileenses documento fuerunt. Qui unitatem dissolvunt Ecclesiæ, iidem etiam dissipant Ecclesiam, sunt subversores Religionis. Deinde Basileenses definiverunt (§pho superiore) Fidei Catholicæ veritatem esse, concilii generalis potestatem esse supra Papam, censendumque esse hæreticum, qui huic veritati repugnat. Audebitne autem quispiam ex Febronianis dicere eum hæreticum, qui credit non concilium generale esse supra Papam, sed hunc supra illud? Ipse Gerson confessus est *Consideratione XII.* sententiam de Superioritate Papæ (ipsius sunt verba) supra concilium ita viguisse ante concilium Constantiense, ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus. Post Concilium vero de eadem sententia Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus, *Totus*, inquit, *orbis exceptis pauculis Doctoribus eam amplectitur.* Dumque ista in Gallia per Declarationem Cleri Gallicani sententia suscitata fuisset ad vexandum Romanum Pontificem, contraitum est alibi ubique, eamque in Hungaria quoque Georgius Szeleptsényi Primas cum toto Clero Hungariæ damnavit, et proscripsit, *Ut absur-*

surdam, et plane detestabilem, a Satanæ ministris disseminatam. In concilio quoque Lateranensi V. quod inter generalia numeratur, est de decretis a Basileensi Concilio factis, ista nullum robur habere potuisse, *cum etiam solum Romanum Pontificem, tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere, nedum e Sacrae Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constet.* Ex his, credo, satis adverti posse, qualis veritas Catholica insit illis decretis Basileensium. Si vero certa illorum veritas Catholica non est, neque possunt haberi pro decisionibus legitimi, et oecumenici concilii, et quod has decisiones fecit, non fuit legitimum oecumenicum concilium.

Aliis hoc Basileense concilium est legitimum, et oecumenicum usque ad ejus sessionem 30. Tunc enim translatum esse Ferrariam per Eugenium, ac proinde desiisse Basileæ, aliis vero solummodo usque ad Sessionem 16. Cur hi usque ad Sessionem 30. nolint valuisse Concilium, pro causa afferunt, quod Eugenius, dum in concilio jam perventum fuisset usque ad Sess. 16. ejus continuandi facultatem dederit Basileensibus sub ea conditione, ne quid ulterius in eo attentarent adversus honorem Apostolicæ Sedis, quam vero conditionem Basileenses non servaverint. At vero sub eadem conditione declaraverat, concilium a tempore inchoationis suæ legitime continuatum fuisse. Itaque conclusio eadem facienda est de anterioribus

ses-

sessionibus 16. quæ de ulterioribus ad sessionem usque 30. Sed nec sua illa concessione aliud præstitit Eugenius Basileensibus, quam ut concilium, quod agitabant contra jus, atque fas, fieret legitimum: quin tamen ipsa etiam decreta illorum rata habuerit, quod disertis verbis ipse etiam Eugenius declaraverat testimonio Cardinalis de Turrecremata. De hoc Concilio Basileensi Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus, *Fuit*, ait, *seditiosa contra verum Pontificem Eugenium IV. conjuratio, potiusque latrocinium, quam concilium. pag.* 377.

§. 47. Initium *Ferrariensis Concilii* ad diem 1. Januarii 1438. erat defixum. Imperator Græcorum, itemque ceteri ex Oriente mense subsequente Februario primum Venetias venerant, hinc vero Ferrariam deducti sunt. In principe Ecclesia Ferrariensi habitum est Concilium, Latinis in dextro latere, et ad altaris majoris eam partem, in qua Evangelium legitur, considentibus, Græcis in adversa. Post inchoatum Concilium de rebus inter Latinos, et Græcos controversis aliquamdiu sunt tantummodo colloquia instituta. In concilio autem sic tractabantur negotia. Septem utrinque erant delecti, qui in medio, facie sibi obversa, considentes inter se conferrent. Nicolao Sagundino tam latinæ, quam Græcæ lingvæ bene gnaro, interprete in utramque partem. Disputatio coeperat de *Purgatorio.* Videntur Latini putasse, istud a Græcis non credi. At vero illi hoc professi sunt se credere, sed solummodo in suspenso mansit quæstio de qualitate pœnæ, et num iste materialis ignis esset. Hinc itum est *ad additionem* verborum *Filioque*, factam in Symbolo. Marcus Archiepiscopus

pus Ephesinus, hanc ita Latinis objecerat, ut prævaricatores vocaret Ephesini I. œcumenici concilii. Ex Actis hujus Concilii ostensum est Græcis, Patres hujus Ephesini Concilii solummodo contra Nestorium decrevisse, ne quid contrarie Symbolo Nicæno doceretur, neque enim Nestorium ullam attentasse additionem ad Symbolum quoad verba. Quæsitum est ex iisdem Græcis, num Nicæni Patres Symbolo Apostolorum, et Patres Constantinopolitani Symbolo Nicæno quidpiam addiderint; istud illis negantibus, non enim per eos corruptam esse Fidem, sed solummodo magis declaratam. Ergo dictum iis est, neque Latinos corrupisse symbolum per verborum *Filioque* additionem, quæ fidem de processione Spiritus sancti tantum etiam magis declaret. Nec Latinos fuisse auctores schismatis, nam et hoc idem Marcus Latinis dederat crimini: nam istam doctrinam jam fuisse SS. Ambrosii, et Augustini, quin inter Græcos et Latinos hinc enatum sit schisma, atque Symbolum cum additione verborum *Filioque* esse cantatum jam etiam ante tempus Constantinopolitani concilii œcumenici quinti, quin id Græcis ansam schismatis dederit. Ecclesiæ etiam deinceps mansisse potestatem eamdem, quæ fuerit temporibus concilii Nicæni, et Constantinopolitani. Sicut ergo tunc Ecclesia potuerit ad Symbolum addere, quod judicavit addendum, ita et postea istud facere potuisse. Veniendum deinde erat eo, num Spiritus sanctus procederet etiam a Filio. Marcus vero Ephesinus istud videns, fugam parabat cum quibusdam aliis, quos Imperator Græcorum abire non sivit. *pag.* 385.

§. 48. Ferrariæ tempore æstivo morbus contagione noxius coeperat serpere. Hanc ob causam Eugenius etiam volentibus Græcis *Concilium* transtulit *Florentiam.* Die 26. Febr. 1439. prima sessio habita est Florentiæ. Modus de rebus conferendi is mansit, qui erat Ferrariæ. Hic assumptum est omnium primo ipsum dogma processionis Spiritus sancti a Filio, et ante cetera, quid significet procedere, determinatum est, videlicet, illud, quod etiam de sua processione a Patre per nativitatem Christus dixerit: *Exivi a Patre*, Joan. 16. v. 28. Quæsiverat deinde Julianus Card. ex Marco Ephesino, essetne igitur procedere idem, quod accipere *Esse.* Illo affirmante, Ergo, inquit Julianus, rem, quam volumus, habemus. Qnod autem Spiritus sanctus a Filio accipiat Esse, ex his Christi verbis demonstratum est: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.* Joan. 16. v. 14. Idem probatum est testimoniis SS. Patrum Basilii inprimis, Gregorii Nysseni, et plurium aliorum, eorumque Græcorum. Tandem Græci, qui viribus omnibus restiterant, ut jam etiam actum videretur esse de eorum reconciliatione, remissiores esse cœperunt. Bessario Nicænus Archiepiscopus præiverat ceteris, testimoniis etiam collectis SS. Patrum, et exhibitis ad ceteros convincendos. Etiam ipse Imperator Episcopos adhortatus erat, ne reniti pergerent. Quamobrem, Patriarcha præeunte, omnes una voce exclamaverunt: *Anathema ei, qui retardat piam Christianorum Unionem.* Solus Marcus in pertinacia perstitit, frendens præ iracundia ut etiam alienari mente observatus sit.

De-

Decretum deinde factum *Unionis* est, et definitum, Spiritum sanctum ex Patre et Filio æternaliter, tanquam ab uno principio, et unica spiratione procedere, verba Filioque veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate licite, ac rationabiliter Symbolo addita esse; insuper Christi corpus tam in pane azymo, quam fermentato veraciter confici; eorum animas, qui vere pœnitentes in Dei charitate decedunt, si dignis pœnitentiæ fructibus non satisfecissent, pœnis Purgatorii purgari, precibusque, et pietatis operibus juvari; illorum animas, qui post Baptismum nullam peccati maculam incurrerunt, aut illam eluerunt, in cælum mox recipi, et intueri clare Deum trinum, et unum; illorum vero animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas; denique Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem successorem esse B. Petri, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Chrisianorum patrem, et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Decretum hoc Unionis die 6. Julii 1439. firmatum omnium subscriptione, et solenniter publicatum est. Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, die 10. Junii prioris mensis decessit, scripto relicto, quo professus est, se omnia, quæ sentit, et dogmatizat Catholica, et Apostolica Ecclesia Domini nostri Jesu Christi senioris Romæ, se quoque sentire, et acquiescere, et Papam antiquæ Romæ esse Summum Pontificem, Patrem Patrum, et Vicarium Christi. *pag.* 394.

§. 49.

§. 49. Post confectam conjunctionem Eugenius Papa quasdam adhuc *quaestiones* Græcis proposuerat, cur conjugia dirimerent, videlicet propter adulterium, quod Græci etiam nunc faciunt; cur Sacramentum Confirmationis apud eos non Episcopi, verum Presbyteri administrarent, et de quibusdam aliis: nec exstat in Actis Concilii, quomodo ad ista Græci responderint. Episcopi Græci parati erant Marcum Ephesinum exauctorare, quos ipsos etiam non dubitabat traducere velut schismaticos, et hæreticos. Ad ejus lachrymas intercessit Græcorum Imperator, spondens se facturum Constantinopoli, ut is vel subscribat decreto Unionis, vel certe impunis haud maneat. *Bessario* reverti in Orientem noluit, præsagus ejus, quod deinde factum est. Quem Eugenius Papa cum Isidoro Archiepiscopo Ruthenorum Cardinalem creavit. *Marcus* autem Ephesinus, postquam rediit in Orientem, subvertit omnia, sparsis in omnes partes literis, quibus Synodum Florentinam depinxerat iis coloribus, quibus ipse volebat, mentiens Episcopos cum ceteros, tum ipsum etiam Patriarcham Josephum, auro a Latinis emptos esse; eosdem Latinos usos esse interpolatis, a se ipsis Patrum libris, atque sic decepisse Episcopos, qui eorum communionem amplexi sunt. Nec tantum istos, qui hanc iniverant cum Latinis, execrabatur, verum etiam ipsum Imperatorem conviciis, et maledictis incessebat. Non deerant ex Episcopis, qui in concilio Florentino erant, Marci mendacia qui scriptotenus etiam refutaverint. Verum magis credebatur Marco, quam aliis, utpote in quam partem populus per inveteratum schisma raperetur. In locum Josephi Patriarchæ Florentiæ vita functi, Imperatoris opera suffectus est

M e-

Metrophanes Cyzicenus studiosissimus initæ conjunctionis: sed neque iste, quantumcunque laboraret, plebem adversus conjunctionem frementem poterat componere. Isidorus, cujus paulo ante mentio facta est, dum in Russiam voluisset inducere eamdem conjunctionem, in carcerem conjectus est, ex quo se fuga liberavit. Alexandrinus, et ceteri Orientis sub Turcis positi Patriarchæ vices suas demandaverant Episcopis ex Patriarchatu Constantinopolitano, Florentiam ituris. Isti quoque opera Marci Ephesini conjunctioni, in quam concessuri fuissent, renunciarunt.

Amurathes Sultanus Turcarum non solum totam jam fere Asiam sibi subjugatam habebat, sed invaserat multas etiam Europæ regiones, easque depopulatus erat; cumque illas jam sibi subjecisset, tamen quotannis exactores mittebat, qui ex singulis familiis Christianorum minimum unum puerum abducerent, Mahometana religione initiandum. Eugenius Papa Principum Europæorum auxilio implorato alterum navalem, alterum pedestrem comparavit exercitum, et misit adversus Amurathem, neque tamen eo successu, quem sperabat. Franciscus Condulmerius Cardinalis, quem classi præfecerat Pontifex, secum habebat Bartholomæum de Florentia Episcopum Coronensem ex Ordine Prædicatorum. Joannes Græcorum Imperator, ejusque Optimates *expetebant disputationem* hujus cum Marco Ephesino. Ne, si disputatio hæc denegata fuisset, Marcus se jactare posset contra Latinos, Cardinalis consensum dederat in illam. Cujus vero disputationis is fuit exitus, ut Marcus superatus, et in ruborem datus, ex moerore intra

pau-

paucos dies obierit a. 1440. Joannes Palæologus Imperator vixit usque ad a. 1445. *Constantinus Palaeologus* frater ei in Imperio successit. Hic instituerat conjunctionis cum Latina Ecclesia negotio. Coram legato Romani Pontificis, is Nicolaus V. erat, qui Eugenio IV. successerat a. 1447. instituerat publice in templo Sophiæ hanc conjunctionem. Cum autem postea res divina fieret, et ex diptychis nomen Romani Pontificis lectum fuisset, fugit ex Ecclesia populus. In qua aversione eumdem populum magis confirmaverat quidam monachus, nomine Gennadius, in sanctimoniæ opinione ab eodem populo habitus. *pag.* 404.

§. 50. Turcis jam pridem præmeditatum erat, *capere Constantinopolim.* Mahomet II. die 29. Maji 1453. rem perfecit. Cæsa sunt incolarum quadraginta millia, sexaginta capta; urbs data direptioni militum per triduum. Constantinus Imperator quoque occubuit, et cum eo exstinctum est Græcorum Imperium. Proclamari deinde Mahomet jusserat, ut qui diffugissent, vel se abdidissent, secure prodirent, et incolerent suas domos. Iisdem Græcis etiam permisit, ut sibi Patriarcham possent eligere: qui vero dum fit, ad Sultanum deducitur eique aurum offert, quod *Pescescium* vocatur. Scriptores Græci, sed non coævi, et tantum, qui multo tardius post a. 1450. vixerunt, habent concilium esse celebratum Constantinopoli isto, qui modo dictus est anno in templo Sophiæ, et quod *Sophianum* vocant, cujus auctoritate concilii rescissa sit conjunctio Græcorum cum Latinis. Suæ disjunctioni, quam perrexerunt continuare et inhærere, ista ratione quæsiverunt

ful-

fulcrum. Confictum vero nonnisi est, cujus mentionem nullam faciunt, qui e Græcis, ut Bessario, in conjunctione perstantibus adversus disjunctos Græcos scripserunt, nec apud Malaxum, et Philippum Cyprium illius temporis historicos, quidquam de hoc concilio est. Hocce concilium deinde ponitur celebratum esse sub Athanasio Patriarcha Constantinopolitano. Is vero etiam non existit isto tempore in Catalogis Patriarcharum Constantinopolitanorum. Denique, etiamsi Græci, refragantes Unioni cum Ecclesia Latina, istud sibi instituissent concilium, istiusne majus pondus debebit esse, quam Florentini concilii, quod congregatum ex toto Oriente, et Occcidente erat; cui præsederat Romanus Pontifex; cui affuerant Josephus Patriarcha Constantinopolitanus per se, ceteri Patriarchæ per legatos? Dum Constantinopolis sub Turcarum potestatem venisset is, qui Russorum ad illud usque tempus erat Metropolita Episcopus, excrevit deinde ad Patriarchalem dignitatem: quam vero ei sustulit Petrus I. Russorum Imperator, et instituit, ut rectio Ecclesiæ Russicæ per synodum exerceretur. *pag.* 413.

§. 51. Dum Græci, positi sub Patriarcha Constantinopolitano, venturi erant in Occidentem Unionis faciendæ causa cum Romana Ecclesia, *Eugenius* Papa Jacobum a Primardiciis ex Ordine Minorum miserat ad *Patriarcham Armeniorum* Vagarsabathum, ad eamdem Unionem illum invitans: qui legatos cum literis ad Eugenium misit, seque paratum, et promptum obtulit. Idem fecerat Eugenius postea erga *Jacobinos*, vel paulum mutato nomine erga Jacobitas, Mesopotamiam incolentes, idem erga *Aethiopes*, et *Maronitas*, tam erroribus

ve-

veterum hæresium, imprimis Nestorii, et Eutychetis, quam per schisma Græcorum, quorum exemplum erant secuti, abalienatos, et disjunctos ab Romana Ecclesia. Gregem dissipatum colligere adlaboravit Eugenius Papa, remque perfecit: sed qui Græcorum exemplo Unionem amplexi erant, eosdem Græcos deinde etiam iterum secuti sunt ab Unione resilientes.

Russi, quantopere aversos se exhibuerint ab Unione, utpote positi sub Patriarcha Constantinopolitano, a quo etiam suum Metropolitam acciperent, est memoratum §pho superiore. Russos incolentes Russiam Rubram sibi Carolus Robertus Rex Hungariæ devinxerat Tartaris ex eorum regione pulsis. Eamdem Russiam Casimirus III. Rex Poloniæ adjunxit eidem Poloniæ. Hac ratione Russi in Poloniam, Galliciam, et Hungariam quoque tutiora loca ad habitandum inquirentes, immigrarunt. Hi in Hungaria opera Episcoporum avocati a schismate sunt, et reducti ad unitatem Ecclesiæ. Hoc idem factum est erga *Valachos*, qui ex Valachia in Transilvaniam, Croatiam, et Hungariam venerant: qui tamen nondum omnes a disjunctione recesserunt. *pag.* 422.

§. 52. Jam conclusum, et terminatum erat concilium Florentinum, Græci, et Armenii, aliæque nationes, quæ dictæ sunt, reconciliatæ sunt Sedi Apostolicæ, et Romano Pontifici, velut supremo Capiti Ecclesiæ, se se subjecerant, recognoscentes suum errorem. At vero *Basilienses*, postquam Ecclesiam in discidium misissent, non tantum huic finem non fecerunt, verum etiam suum conciliabulum adhuc continuarunt.

Lu-

Ludovicus Delphinus Caroli VII. Regis Galliæ filius Vexillifer Romanæ Ecclesiæ ab Eugenio Papa creatus, arma corripuit ad illud Basileensium conventiculum dissipandum. Basileenses autem non tantum non erant executi, quod sibi mandatum habebant, ut dispellerent illud (supra §. 45.) verum etiam tam hi, quam ceteri Helvetæ arma quoque sumpserunt ad hoc protegendum. Victi autem sunt, et dissipatum est Conciliabulum: sed ne nunc quidem adhuc remiserat eorum, qui istud agitabant, pervicacia. Lausannam se receperunt, ibique continuabant suum hoc Conciliabulum. *Germania* ad hoc usque tempus quasi in bivio stabat, deliberans, in eamne partem quæ Eugenio adhæreret, vel eam, quæ Felici, quem Basileenses crearunt Papam, deberet concedere: propendebat vero magis in partem Felicis. Fridericus III. Rex Romanorum ad hanc tollendam dubitationem ratus optimum, si Eugenius, et Basileenses sibi reconciliati essent, svaserat utrisque hanc reconciliationem. Eugenius se paratum obtulerat ad hoc, at vero Basileenses negarunt se hoc facturos. Quamobrem non tantum Germanis, verum etiam aliis, qui falsa persvasione acti putabant in illis esse positam supremam Ecclesiæ potestatem, etiam supra Papam, tandem caligo, ut inquit Aeneas Silvius, ab oculis cecidit, considerantibus, non esse Dei Spiritum, quo Basileenses agerentur, defugientes Ecclesiæ pacem, et concordiam. Itaque Fridericus, et tota Germania, missa legatione, Eugenio se se subjecit, nonnisi quædam obtulerat, in eaque illius consensum expetierat. Hæc deinde dicta *Concordata* Germaniæ Eugenio ultra non diu superstite, perfecta sunt per Nicolaum V. qui Eugenio IV. a. 1447. in Pontificatu successit.

Ba-

Basilea quoque, et Helvetia se subjecit Eugenio. Nondum vero *Felix* antipapa volebat cedere. Carolus VII. Rex Galliæ arma expedivit ad eum compellendum, ut deponat suum Pontificatum: qui metuens, ne a Rege Galliæ etiam Sabaudia eripiatur sibi, et filio, (in matrimonio antea vixerat) fractus est, priusquam ad manus ventum esset, deposuit Pontificatum, quem Nicolaus V. sic suscepit in gratiam, ut Cardinalium etiam collegio inseruerit, et Pontificalem vestitum ei reliquerit excepta Cruce in calceo, et Eucharistiæ antelatione. Hi autem, quos habuit perpaucos suæ factionis, jam Pontificatu deposito a Felice, adhuc electionem Pontificis instituerunt. Elegerunt autem Nicolaum V.

Carolus idem Galliæ Rex de Basileensibus, et eorum concilio, *Ad hanc Vesaniam,* inquit, *devenerunt, quod supremam potestatem in uno supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ cito in diversa scinditur, collocant.* Hujus filius Ludovicus, dum Gerson, et ceteri doctores Sorbonici ex Constantiensi concilio reversi fuissent, cujus Gersonis ductu decreta illa facta erant de potestate suprema Conciliorum generalium supra ipsum etiam Papam, et vi quorum exauctorarunt Joannem XXIII. istis dixit : *Vellem equidem nosse, unde tantum vobis audaciæ, ut Pontificem de Petri solio deturbare veriti nequaquam sitis. Id unum fortasse superest, ut de Regia dignitate genitori meo adimenda cogitetis. Sed vestra consilia abrumpemus.* Atque omnino hinc, Concilium esse supra Pontificem, cum in Gallia primum, ac deinde in pluribus aliis regnis post Gallos, ventum etiam huc esset, Regnum esse supra Regem; vi-

di-

dimus ipsi, qui hac ætate vivimus, quæ secuta sint Regibus, et regnis exitialia, et dictu etiam horribilia. *pag.* 430.

§. 53. *Concordata* Germaniæ, quæ esse inita inter Nicolaum V. et Germaniam, dictum §pho superiore est, spectabant præcipue ad collationes beneficiorum Ecclesiasticorum, et Annatas. Hoc nomine intelliguntur fructus primi anni, quos is, qui beneficium Ecclesiasticum obtinuit, pendet Cameræ Apostolicæ. A Bonifacio IX. solet harum initium repeti. Sed jam Joannes XXII. istas etiam petierat in Sedis Apostolicæ necessitates. In his autem Concordatis Germaniæ hæ restrictæ sunt ad proventuum primi anni quintam partem. In concilio Florentino erant promissa auxilia Græcis adversus Turcas, eaque etiam missa erant. Sed *Constantinopolis* prius capta a Turcis erat, quam illa pervenire eodem potuissent. Idem *Mahometes II.* qui Constantinopolim expugnaverat, quod nonnullis præliis Christiani eo superiores fuissent, efferatus ita est, ut in illos quos ceperat, sæviret crudelissime, e quibus quingentos in singulis stationibus serra discinderet, et qui votum etiam conceperit, non somnum se visurum oculis, non epulaturum dulcia, non ab Oriente in Occidentem suam versurum faciem; donec dejecisset, et equi sui ungulis conculcasset omnes Christi cultores, jamque ista immanitate plures depopulatus erat Occidentis provincias. Itaque Romani Pontifices, Eugenius IV. Nicolaus V. et qui huic a. 1455. successit in Pontificatu, Callistus III. vehementer solliciti erant de comparandis viribus adversus Turcas, Christiani nominis immanissimos hostes. Anno 1456. idem Mahomet II. jam usque Bel-

gra-

gradum cum formidabili exercitu venerat. Ab Joanne de Hunyad gubernatore Hungariæ, S. Joanne a Capistrano Crucem exercitui præferente, victus, et profligatus est amissis quadraginta suorum millibus. Victoria perexiguo numero plebejorum, et a S. Capistrano subito collectorum perfecta est. *pag.* 437.

§. 54. Callisto III. a. 1458. mortuo *Pius II.* successit, priore nomine Aeneas Sylvius. In concilio Basileensi ad negotia tractanda assumptus, nulla adhuc Ecclesiastiaca dignitate præditus, partibus Basileensium adhærebat tenacissime, ita ut Felici V. pseudo-papæ etiam a secretis fuerit. Perseverandum putabat in factione Basileensium, ne, quemadmodum ipse confessus est in Bulla retractationis, partem, quæ verior nobis apparebat, relinquentes, detrimentum animæ faceremus. Transivit deinde ad Fridericum III. Imp. et ad Aulæ negotia assumptus legatione functus erat ad Eugenium IV. in ipso negotio Germaniæ reconciliandæ cum eodem Eugenio. Tunc ipse quoque primum cœpit nutare, deinde autem dubio deposito se Eugenio subjecit. *Recognovimus,* ait in eadem Bulla, *errorem nostrum, venimus Romam, Basileense dogma rejecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput submisimus, et reconciliati Ecclesiæ Romanæ doctrinam ejus imbuimus, et illud Hieronymi diximus: Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam fundatam Ecclesiam scio.* A Nicolao V. deinde primum Episcopus Tergestinus, postea Senensis, demum a Callisto III. etiam Cardinalis factus, etiam in Pontificatu eidem successit.

Sollicitudine eadem, qua Pontifices ii, qui eum antecesserunt, laborabant in propulsandis Turcis, indixit Pius II. conventum *Mantuam* a. 1459. Promissæ a Principibus, et a nationibus magnæ sunt vires. Legati autem Caroli VII. Regis Galliæ in eodem conventu querebantur de injuria suo Regi facta a Pontifice. Erat controversia de regno Siciliæ inter Ludovicum III. Andegavensem, et Ferdinandum Aragoniensem. Cum huic alteri Pius II. regnum adjudicasset; eam suam etiam injuriam reputaverat Rex Galliæ, cui sangvine junctus erat Ludovicus Andegavensis. At vero Pontifex priore possessore mortuo absque hærede in regno Siciliæ, asserebat istius liberam collationem spectasse ad se: adeoque Regi a se nullam factam esse injuriam: at vero a Rege hanc esse illatam Sedi Apostolicæ per ejus sanctionem Pragmaticam. Episcopi Galliæ *apud Bituricas* a. 1438. concilium celebrarunt, in eoque decreta Basileensium, quibus potestas Romani Pontificis impetebatur, adoptarunt; et Carolus Rex factum hoc Episcoporum non tantum ratum habuit, verum etiam statutum ab iis factum per illam suam sanctionem omnibus in Gallia observandum dederat. Carolus VII. a. 1461. e vita excessit. Ludovicus XI. filius Caroli Sanctionem illam abrogavit. Quamobrem Pius II. titulo Christianissimi Regis illum remuneratus est. Leo X. quoque a. 1516. in Concilio generali *Lateranensi V.* illum Bituricensem Conventum, ejusque statuta, velut corruptelam damnavit, et in irritum misit: cum Francisco I. autem Rege Galliæ eodem tempore *Concordatum* fecit: quod ad collationes beneficiorum, et electiones ad dignitates Ecclesiasticas imprimis spectat.

Sed

Sed ad conventum Mantuanum redeamus. Nimis erat frequens, cujus jam etiam exempla quædam vidimus, ut contra censuras Romani Pontificis fieret appellatio ad generale concilium. Quamobrem in hoc eodem Mantuano conventu Bullam *Pius II.* edidit, qua istas *appellationes* una cum iis, qui eas fecissent, condemnavit, et excommunicationem incursuros denunciavit. Ex illis vero promissis Mantuæ factis contra Turcas, non multum erat, quod deinde præstitum sit, dissidentibus inter se, et confligentibus Principibus. Mahomet autem nova irruptione facta, jam occupaverat Valachiam, et Bosniam. At vero Matthias Corvinus Rex Hungariæ, quamvis bello cum Friderico III. Imperatore occupatus esset; tamen ad provincias istas recuperandas e vestigio properavit, cumque Mahomet, ut eas tueretur, protinus etiam accurrisset; sic in illum irruit, ejusque exercitum omnem ita exterruit, ut relictis omnibus impedimentis fugerit usque in Macedoniam.

Pio II. mortuo a. 1464. *Paulus II.* successit in Pontificatu. Huic a. 1471. *Sixtus IV.* Turcæ, victis Venetis jam in Apuliam etiam irruperant, et Hydruntem ceperant; totamque Italiam ingenti terrore compleverant. Hoc tam vicinum suis etiam regnis incendium teporem Principibus excussit, et coegit admaturare ea, quæ ad bellum contra Turcas spectabant. Pontifex Romæ instituit conventum: in quo decreto bello, unanimi Principes consensione, quisque, quantum vires paterentur, spoponderunt militem, naves, et pecunias. Apparabat bellum Mahomet quoque adversus Italiam, et omnia regna Occidentis. In hac cura, die 3. Maji 1481. in ca-

stris prope Constantinopolim repentina morte sublatus est. Cujus morte audita etiam Turcæ, qui Hydruntem tenebant, deditionem fecerant sub conditione, ut possent liberi abire. Quæ tamen conditio ipsis servata non est, cum deprehensi essent puellulas Appulas secum velle abducere. *pag.* 443.

§. 55. Post Mahometis mortem inter ejus filios, Bajazethem, et Zizimum orta est *contentio* de *successione* in Imperio. Zizimus, a Bajazethe armis superatus, fugit in Rhodum, Equitum Rhodiorum fidei se commendans. Hi, quo esset tutior, in Galliam illum miserunt, unde Romam deductus est. Cum Turcæ inter se scissi, et alii Bajazethi, alii Zizimo addicti essent, atque hinc spes boni successus contra Turcas affulsisset, si exercitus cum Zizimo ad eum ponendum in Imperatoris dignitate missus contra Bajazethem esset, et ipse etiam Zizimus, devinctus beneficio, fauturus Christianis esset; nihil prætermissum est, quod in hanc rem conferre posset. Dum vero parat Carolus VIII. Rex Galliæ assumpto Zizimo expeditionem in Turcas, is mortuus est. Jam solus belli apparatus ita terruit Bajazethem, ut quo sibi Christianos conciliaret, fidem Christi per duodecim sacerdotes suos curaverit prædicandam. Ubi vero vidit, illum tepuisse fervorem, mortuo Zizimo; ipse potius audaciam sumpsit invadendi regna Occidentis, ipsamque etiam Hungariam: sed unde insigni affectus clade, a Matthia Rege profligatus est. Hic solus suffecisset ad Turcas debellandos, et ad ipsum Orientem ab eorum jugo liberandum, si per Fridericum Imperatorem non fuisset impeditus: qui eo nomine infensus erat

Mat-

Matthiæ, quod regnum Hungariæ consecutus esset, quod ipse appetierat. Sixto IV. a. 1484. in Pontificatu successit *Innocentius VIII.* huic a. 1492. *Alexander VI.* qui nescio, quamvis in Catalogo Romanorum Pontificum ponatur, an tamen verus, et legitimus fuerit Pontifex. Nam electus simoniace est, Cardinalibus auro corruptis: jamque etiam Cardinalis dignitatem, quam antea gesserat, suis deformavit moribus.

Sub Alexandro VI. *novus orbis* detectus est per Christophorum Columbum, qui acceptis navibus a Ferdinando Rege primum ad insulas Canarias profectus, atque hinc ulterius devectus, post iter triginta, et trium dierum, ne noctibus quidem intermissum, devenit ad insulas sex. Ab eodem Ferdinando Rege missus est Bernardus Boil ex Ordine Minorum ad homines illarum insularum in Religione Christiana instruendos. Post annos quinque *Vespucius* Florentinus ab Emmanuele Rege Lusitaniæ missus, regiones ulteriores detexit, quæ ab ejus nomine vocantur America. Alexander VI. ob studium Religionis in illis insulis plantandæ, nec non propter Granatam, e manibus Saracenorum ereptam, et Christianam Religionem illic in libertatem assertam, Ferdinando Regi titulum Regis Catholici contulit. Alexander VI. a. 1503. mortem obiit non ex veneno, ut aliqui tradiderunt, verum ex febri, a maligno aere contracta. *pag.* 454.

EPI-

EPITOME

PARTIS V.

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICAE.

§. 1. Post Alexandrum Pontifex factus est Franciscus Piccolomineus Cardinalis, Pii II. ex sorore nepos, nomine Pontificali *Pius III.* Jam die 26. ab inito Pontificatu mortuus est. Julianus Ruvereus ei successit, assumpto nomine Julii II. Post mortem Alexandri VI. Veneti aliquot civitates, et territoria occupaverant ex Patrimonio S. Petri. Venetis ista restituere nolentibus Julius ad Maximilianum I. Regem Romanorum, et Ludovicum XII. Regem Galliæ confugit. Eo promptius hi ei auxilium præstiterunt, quod etiam quædam sua, a Venetis decerpta, vellent recuperare. Maximilianum etiam eo vehementer iidem Veneti irritarunt, quod pergenti Romam, ut Imperator coronetur, iter intercludere conati sint. Itaque facto fœdere cum Ludovico Galliæ, et Ferdinando Hispaniæ Rege bello adgressus est Venetos,

tos, ipsumque Julium etiam ad hoc pertraxerat. Veneti, in arcto positi, Julium sibi reconciliarunt, ita ut in illorum partem etiam se contulerit: insuper Ferdinandum Regem Hispaniæ ad se pertraxerat, in regnum utriusque Siciliæ ei collato jure perpetuo, nec non et Helvetas sibi adjunxerat. Regem Galliæ urebat maxime, quod regnum Siciliæ perpetuo jure collatum esset Regi Hispaniæ. Quamobrem bellum etiam intulit eidem Julio, habito prius conventu totius Cleri Turone, consultandi causa, licitene posset bello appetere Romanum Pontificem, et quantum sibi in eo adversum illum liceret. *pag.* 3.

§. 2. Maximilianus vero Imperator, a Rege Galliæ concitatus, generale etiam *concilium* indixit Pisas, quasi jure suo, quia advocatus sit, et protector Ecclesiæ, dum, ut præseferebat, in hoc convocando muneri suo defuissent non solum Pontifex, verum etiam Cardinales. Post Alexandri VI. iterumque post Pii III. mortem Cardinales ad obstringendum futurum Pontificem jusjurandum exegerunt, et dederunt de convocando concilio, proximo biennio, et deinceps singulis trienniis. Istud erat, in quo tam Pontificem, quam etiam Cardinales suo muneri defuisse, intellexerat Imperator. Hoc concilium ad diem 1. Septemb. 1511. erat indictum. Tres Cardinales nactus est Imperator, qui ei adstipulati sint. Horum princeps erat Bernardinus Carvajalus, qui concilio etiam præsederat. Sed nullus venit Episcopus præter triginta Gallos, qui et ipsi venturi non erant, nisi adacti fuissent a Rege. Imperator cum eodem misisset suos Oratores, hos ex itinere revocavit. Julius vero Papa ad impediendum hoc concilium, ipse protinus Romam in-

indixerat concilium ad diem 19. April. 1512. Ad hoc vero concilium idem Maximilianus Imperator Oratores suos misit, et non solum factionem damnavit; verum etiam in partes Julii transiit, et arma pro eodem Julio contra Ludovicum Regem Galliæ vertit. Ita factum est, ut idem Galliæ Rex, qui Pontificem valde presserat, armis Maximiliani fractus, ipse quoque pacem cum Pontifice fecerit, missisque legatis ad Concilium Romanum, quod Lateranense V. dictum est, professus sit: *Se a prœtenso concilio, quod Pisis erat habitum, penitus recedere, illudque se abjurare, ac Lateranensi huic, tamquam vero, indubitato, unico, et œcumenico concilio adhærere; considerare se, quanta sit in his, et ceteris rebus omnibus Summi Pontificis auctoritas.*

Pisanum concilium se se ferebat, et prædicabat, esse generale, et legitimum, cui omnes, ipse etiam Papa, subjectus debeat esse, Concilii Constantiensis, et Basileensis pro se decreta venditans. Tres Pisis habitæ erant sessiones. Quidam Gallus ex iis, qui ad præsidium erant dati eidem concilio, rem in platea perpetraverat cum scorto foedam. Hinc indignati Pisani Gallos urbe expulerunt. Actores quoque istius concilii primum Mediolanum, deinde Lugdunum migrarunt. Dum vero Rex Galliæ ejurasset istud concilium, Cardinales quoque, et Episcopi, qui hoc agitaverant, ad Romani Pontificis clementiam confugerunt. Superfluum esset, vel quæstionem movere; fueritne hoc Pisanum concilium legitimum, cujus indolem, et formam totam illegitimam nemo non possit videre. *pag.* 8.

§. 3.

§. 3. Concilium ab Julio Papa indictum, incepit die 10. Maji a. 1512. Convenerunt Episcopi 114. Ejus sessiones erant duodecim, quinque sub Julio Papa, ceteræ Julio mortuo sub Leone X. qui a. 1513. illi successerat. In hoc Acta Bituricensis conventus cum sanctione pragmatica, qua illa Acta confirmata erant per Carolum VII. Regem Galliæ (supra Part. IV. §. 54.) missa in irritum sunt. Erant eo tempore, qui docerent *animam* humanam esse *mortalem*, et unam, eamdemque in omnibus hominibus: quæ sententia condemnata est. Statutum factum etiam est, ne quis *librum* typis ederet absque Episcopi, in cujus diœcesi impressio fieret, facultate; de *juribus* quoque, quæ Religiosorum Ordinibus concessa ab Apostolica Sede sunt, non infringendis. Ludovicus XII. Rex Galliæ a. 1515. vita functus est. Ei in regno successit Franciscus I. inter quem, et Leonem X. Papam sublata sanctione pragmatica Caroli VII. *Concordatum* factum est, cujus illud præcipuum est, quod omissa electione, ad Beneficia Ecclesiastica, quæ ad hoc tempus vigebat in Gallia, Regi ad illa delata sit nominatio. *pag.* 13.

§. 4. Concilium hoc Lateranense V. est generaliter convocatum ab Julio Papa, cui in ejus sessionibus primis præsederat idem Julius, deinde vero Leo X. qui ei in Pontificatu successit. Affuerunt Episcopi 114. et in quibusdam sessionibus etiam plures: quot Episcopi non erant in Concilio Constantinopolitano VIII. (erant enim tantum centum, et novem) quod tamen est oecumenicum. Episcopi omnium regnorum Occidentis istud susceperunt tanquam generale. Ad Orientem enim, jam hoc tempore divulsum a communione, eun-

dum

dum non est. Attamen, quamvis ipse Rex Galliæ Ludovicus XII. quemadmodum vidimus supra §pho 2. professus sit esse œcumenicum, Galli recentiores, quos Jansenismus, de quo adhuc narrabitur, invasit, et qui ex aliis etiam nationibus illorum insistunt vestigiis, et sapiunt secundum illa principia, sumpta a Bituricensibus ex decretis quartæ, et quintæ sessionis Concilii Constantienis, et ex concilio Basileensi, nolunt hoc Lateranense V. habere pro œcumenico concilio: quia videlicet damnatis assertionibus illius Bituricensis conventus ab œcumenico concilio, suas etiam sententias deberent recognoscere esse confixas ab œcumenico concilio, in quo solo reponunt supremam, et errori non obnoxiam auctoritatem. At vero, dum nihil sciunt proferre, quo probent hoc Lateranense V. non fuisse œcumenicum; manebit semper tantum ideo non œcumenicum, quia ipsi nolint esse œcumenicum, suam adversus rationem solam obtendentes voluntatem. *pag.* 20.

§. 5. Ecclesiam Vaticanam, vetustate labantem, Julius II. ædificare e fundamentis cœperat. Hujus fabricam continuaturus, Leo X. *Indulgentias* proposuit, quas ii consequerentur, qui illam sumptibus adjuvarent. Huic negotio Pontifex in Germania præfecerat Albertum Archiepiscopum Moguntinum: qui illam Indulgentiarum promulgationem, et subsidiorum collectionem commiserat Fratribus Ordinis Prædicatorum, quorum præcipuus erat Joannes Tetzellius Quæsitor Fidei per eamdem Germaniam. His solis, non etiam sibi esse hoc commissum negotium, malo animo tulerunt Eremitæ S. Augustini, et eorum Vicarius Generalis Joannes Staupitius. Isto in-

instigante, iidem Eremitæ, et inprimis *Martinus Lutherus* in ipsis concionibus ad populum carpere Dominicanos cœperunt, quasi non satis orthodoxa essent, quæ illi de Indulgentiis docerent. Lutherus in epistola ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum illos incusabat, quod Indulgentiarum eam virtutem prædicarent, ut qui eas consecutus esset, de æterna animæ suæ salute jam non possit periclitari, neque jam huic quidquam esse præstandum satisfactionis nomine pro suis peccatis. Huic epistolæ adjunxerat propositiones 97 de Indulgentiis, quas jam Wittembergæ etiam ad valvas Ecclesiæ affixerat, et per totam Germaniam sparserat. His paulo post alias propositiones 50 similes publicaverat. In his propositionibus ipse illud fecit ex vero, cujus falso incusaverat Dominicanos. Namque docuit, solam esse Fidem, qua opus sit ad obtinendam salutem, non tantum absque ullis satisfactionis operibus, verum etiam absque Sacramento pœnitentiæ, et absolutione Sacerdotali: quin generaliter de omnibus piis operibus senserat, quasi in his nihil ponendum esset. *pag.* 23.

§. 6. Viderat *Lutherus* suas *propositiones* reprehendi a multis, et haberi pro non orthodoxis. Itaque datis literis ad Hieronymum Episcopum Brandeburgensem profitebatur, se quidquid asseruisset, substernere judicio Ecclesiæ. Etiam ad Leonem Papam similes miserat literas, summam submissionem præseferentes. Lutherus Fridericum Electorem Saxoniæ nactus erat potentem patronum. *Georgius* Friderici patruelis exploraturus indolem assertionum Lutheri, Lipsiæ apud se *disputationem* instituit. Joannis *Eckii* Professoris Theologiæ Ingolstadiensis

cum

cum Luthero. Hic secum adduxerat Andream Carlostadium, et Philippum Melancthonem, e primis, et præcipuis suis sectatoribus. Primus in arenam descenderat Carlostadius. Qui, cum succubuisset Eckio, Lutherus instauraverat pugnam: quo successu inde potest fieri judicium, quod postquam ad scommata descendisset, se clam etiam subduxerit, quem etiam Carlostadius secutus est, postquam incassum tentasset denuo experiri pugnam. Disputationis is eventus fuit, ut tam Georgius Dux Saxoniæ, quam ipsa etiam Lipsiensis academia, intererat enim etiam disputationi, confirmata in Orthodoxa doctrina sit. Lutherum Leo Papa Romam citaverat ad reddendam doctrinæ suæ rationem. Sed hoc deinde coram *Cajetano* Cardinali, Apostolicæ Sedis legato in Germania facere jusserat ad petitionem Friderici Electoris Saxoniæ. Laudavit Lutherus Cajetani erga se humanitatem, et in se studium, ita ut quem ante timuerat, in hunc singularem conceperit amorem, et reverentiam, a sententiis tamen suis dicebat, se non posse recedere, eo quod de earum falsitate convictus nondum sit. Cajetanus Fridericum Electorem edocuit, ut se Lutheri assertiones haberent. Ille vero Luthero, expugnatus ejus blanditiis, spopondit suum patrocinium. Quam sponsionem simul atque obtinuit Lutherus, a Summo Pontifice, et a delegatis ab eo Judicibus, et quidquid deinceps contra se decerneretur, appellavit ad futurum legitime congregandum generale concilium. *pag.* 26.

§. 7. Romæ a Leone X. e Lutheri propositionibus una, et quadraginta damnatæ sunt. Cui, ut quasi par pari referret, Codicem Juris Canonici cum Leonis bulla, continente illam suarum

pro-

propositionum damnationem, Wittembergæ publice in foro igni cremavit; jamque postea, seposita omni modestia invehebatur in Pontificem conviciosis etiam scriptis, quorum unus liber speciatim de Captivitate Babylonis est, quo omnes hortatur ad jugum, et quasi tyrannicum Romani Pontificis imperium excutiendum. Perrexitque postea semper ulterius ad alia, et alia instituta Religionis convellenda. Maximilianus I. Imperator a. 1519. mortuus est. *Carolus V.* nepos ex Philippo filio, Rege Hispaniæ Rex Romanorum electus, ac postea etiam Imperator factus est. Lutherum Leo X. frustra studuit omni benevolentia, et impunitatis etiam promissione a cœptis revocare. Itaque excommunicationis sententiam in ipsum, omnesque ejus fautores, et ei adhærentes tulit. Qua Pontificis sententia intellecta, Carolus Imperator edictum fecit de Lutheri libris comburendis. *Comitia* deinde totius Imperii instituit *Wormatiae* a. 1521. Ad hæc Lutherus etiam jussus est venire, data fide publica. Interrogatus, an recognosceret suos esse libros, ex quibus assertiones erant excerptæ, a Summo Pontifice damnatæ, cum affirmasset esse suos, idcircoque postulatum esset, ut illas revocaret, et diem unum petiisset ad cogitandum, obtinuissetque; deinde altera die non ad ea respondit, de quibus erat postulatus, sed vertit se adversus Curiam Romanam, eamque incusans, dicebat, eo spectasse omnem suam solertiam; ut quibus per eam gravaretur oneribus, sublevaretur Germania. Jussus autem directe respondere ad id, quod ei positum erat dixit, nisi convictus fuerit testimoniis Scripturarum, aut ratione evidenti, se nihil posse revocare: nam neque Papæ, neque Conciliis solis se credere. Imperator Lutherum

rum jussit Wittembergam reduci, interminatus, se contra eum, velut manifestum hæreticum processurum, si pergeret sua dogmata ulterius spargere. Isenacum, oppidum in ditione Friderici Electoris, cum venisset, atque inde iter ulterius facturus, exivisset, ab equitibus aliquot larvatis, simulata violentia, captus, et abductus est ad arcem *Wartburgum*, Friderico Electore cavente, ne quis ei diceret, ubi Lutherus esset, ut si petitum ab eo esset, ubi ille degeret, respondere posset, se nescire. Imperator vero edictum fecit de Luthero, ubicunque repertus esset comprehendendo, et ad se adducendo. *pag.* 32.

§. 8. Ex *latibulo* suo Wartburgensi decem mensium *Lutherus* provolat, et Wittembergam redit, indignatus, quod absque se Missa illic abrogata esset, altaria confracta, et imagines concerptæ, atque ejectæ ex Ecclesiis, quamvis jam ipse librum de abroganda Missa composuisset, in *Carlostadium* invectus propterea maxime, eo etiam nomine, quod per seipsum nomen sibi doctoris assumpsisset. Habuit et illam simultatem, etiam apertam cum eodem Carlostadio, quod in Eucharistia posuerit solam figuram Corporis Christi: nam Lutherus ipsum Christum reliquerat in Eucharistia, attamen sic, ut diceret, panem etiam, atque vinum remanere. Unum erat, quod a Carlostadio factum Lutherus vehementer laudabat, videlicet, quod uxorem duxisset palam, et publice, si uxor dici potuit, erat enim Sacerdos, et Archidiaconus Wittembergensis. Idem Lutherus in laudem *Leonardi* Koppen, qui ex Nymicensi claustro die Parasceves novem virgines Deo sacratas rapuerat, et Wittembergam ad lupanar avexerat non sufecerat laudare. Inter quas etiam Catharina Bore erat, illius claustri præses, quam biennio

post

post Lutherus sibi copulavit, jamque gravidam. Wittembergæ, quamvis illo edicto in se facto ab Imperatore, tamen metu immunis agebat, utpote sub protectione Friderici, et Saxonia fere jam tota transformata in Lutheranismum. Intervenerant quoque alia, quæ Imperatoris curam, et cogitationem aliorsum averterent. In *Norimbergensi* conventu Principum Germaniæ a. 1522. metu, ne intestinum aliquod bellum in Germania exoriretur, in tantum jam propagatus erat Lutheranismus, tantummodo statutum factum est, ne Lutherus, ejusque sectatores in suis sententiis procederent ulterius, deinde ne Evangelium aliter hi quam juxta interpretationem in Ecclesia vigentem exponerent. Non permisit vero se hac Comitiorum lege ligari Lutherus. Dicebat, Deo magis esse obediendum, quam hominibus. Libellus in his Comitiis etiam compositus est centum querelis refertus adversus ea, quasi quibus immerito gravata sit Religio, citra dubium Lutheranos habent auctores, utpote querulos contra ciborum abstinentiam, impedimenta matrimonii, et plura hujusmodi. Hic libellus ad Hadrianum VI. dirigebatur, qui Leoni X. in Pontificatu successerat a. 1521. Cujus Pontificatus brevis fuit. Jam enim altero ejus anno mortuus est. Ei successit Clemens VII. a. 1523.

Hoc anno rursus *Comitia* Imperii habita sunt *Norimbergae.* In his delecti sunt viri, qui existimabantur idonei, ut ex libris Lutheri extraherent ea, quæ viderentur non esse orthodoxa; itemque colligerent ea, quibus videretur gravari Germania per Curiam Romanam, ut in Comitiis alteris, quibus etiam præstituebatur mensis, et dies ejusdem adhuc anni, expendi possent, et dijudicari, ac deinde œcumenico concilio offer-

ferri, quod ab eadem Germania expetebatur. Tametsi hocce statutum ipse Carolus Imperator ratum habuisset; tamen illico revocavit, cum ei a Clemente VII. expositum fuisset, quam id inconsulte factum esset, quo ea quæ jam per ipsam Sedem Apostolicam dijudicata essent, et condemnata, subjicerentur ulteriori adhuc Comitiorum Imperialium judicio. Eidem Pontifici æque non probabatur consilium de concilio œcumenico convocando ad definiendum, quid esset orthodoxæ Fidei in controversia excitata per Lutherum, dum illa jam haberentur ab Ecclesia decisa, atque ista ratione, adhuc disceptatione instituta de rebus jam definitis, ipsius etiam Ecclesiæ auctoritas videri posset non certa, sed neque certum, atque indubitatum, quod per eam decisum esset, et definitum. Neque enim Lutheri, et ceterorum omnium, qui hac ætate in scenam prodierunt novatores, aliæ merces erant, quam eæ, quæ jam ante a refugis a Fide orthodoxa productæ retusæ sunt, et contritæ. Quia tamen Carolus Imperator non destiterat urgere Pontifices ad indicendum hoc Concilium, iidem tamen, quemadmodum adhuc visuri sumus, cesserunt. Quamobrem neque illa comitia Spiræ sunt habita, rebus subtractis, de quibus constitutum erat agere. Attamen sunt deinde anno 1526. *Spirae* habita *comitia*. Ludovicus II. Rex Hungariæ affinis Caroli Imp. rogabat auxilia contra Solimannum II. Sultanum. Obstiterant Lutherani, ne Hungaris auxilia mitterentur, quamvis superata Hungaria, idem periculum institisset a Turcis ipsi etiam Germaniæ. At vero Lutherum, qui jam etiam antea dehortatus erat Germanos ab armis expediendis in Turcas, illud magis movebat, ut si ipsa etiam Germania turbata esset

per

per Turcas, eo magis occasionem nancisceretur in rebus turbidis ea, quæ meditata habebat, provehendi. Itaque in his comitiis, terror a Turcis ipsi etiam Germaniæ injectus, fecerat, ut sua Lutherani insolentius etiam coram Catholicis, et publice jactarent. *pag.* 38.

§. 9. Bellum inter se gerunt Carolus V. Imp. et Franciscus I. Rex Galliæ. Succumbit Franciscus, et ad Ticinum captus, Madritum ducitur captivus. Dimissus e captivitate instaurat bellum adversus Carolum inito fœdere cum Anglis, Venetis, et Francisco Sforcia Mediolanensium Duce, Clemente VII. Papa quoque ad idem fœdus etiam pertracto. Ab exercitu Hispanorum, et Germanorum *capitur Roma*, et diripitur tali acerbitate, et crudelitate, qualem nec pertulerat, dum a Gothis, et Vandalis capta fuisset: nihilque tam sanctum fuit, quod non fuisset indignissime violatum. Cædes, incendia, stupra, quæ direptionibus urbium plerumque conjuncta esse solent, quia usitata, nec commemoranda sunt. Calones, lixæ in ludibrium Religionis sacris vestibus se induebant. Erant in exercitu Caroli etiam Germani, et inter hos multi etiam Lutherani. Unde intelligi potest, quæ per ludicrum gesta sunt a quibus processerint. Nam iidem etiam infulis, et Cardinalium pileis, aliisque dignitatum Ecclesiasticarum vestibus induti instituerunt electionem Romani Pontificis lusoriam, et Clementi abrogato Pontificatu, novum Pontificem Lutherum proclamaverunt, Sacellum Pontificium in stabulum converterunt, equis literas, et Bullas Pontificias substraverunt, Reliquias e suis thecis extraxerunt, et disperserunt, quin et ipsum Venerabile Sacramentum.

Quidam ex Lutheranis Georgius Fronspergius funem secum e Germania tulerat, ut eo ipse suis manibus strangularet Pontificem. Priusquam vero Romam pervenisset, equo excussus gulam ipse suam fregit. Carolus Imperator audito nuncio de Roma capta, et Pontifice circumsesso in castro S. Angeli, ad quod confugerat, luctum ostendit, indutus etiam atris vestibus: attamen Pontifex octo mensibus servatus est in castro. Franciscus I. Galliæ, et Henricus VIII. Angliæ Rex in auxilium venerunt Romani Pontificis. Gallorum successibus Carolus permotus Clementis amicitiam, et reconciliationem ultro appetiit, a quo deinde etiam Imperator coronatus est. *pag.* 50.

§. 10. Anno 1529. rursus *Spirae* celebrata sunt Comitia Imperii. Creverant semper turbæ Religionis, instabat etiam Germaniæ periculum a Turcis ex vicina Hungaria. Negata sunt subsidia Ferdinando I. Regi Hungariæ, qui Comitiis præsederat, functus vice Imperatoris. Statutum is illud paraverat, ut donec Concilium generale factum esset, decretum Wormatiense (supra §. 7.) observaretur in iis locis, in quibus eo usque observatum erat: in ceteris ne ultra procederetur in novando ea, quæ sunt Religionis. Lutherani sic circumscribi suam libertatem dicentes, contradixerunt, sive, ut vulgo dici solet, protestati contra sunt. Unde *Protestantium* nomen iisdem etiam factum est. Anno subsequente rursus celebrata sunt comitia Imperii *Augustae Vindelicorum.* In his Lutherani summam eorum, quæ crederent, et tenerent, Carolo Imperatori obtulerunt. Hæc dicta est *Confessio Augustana.* Imperator ex Lutheranis quæsivit, velint ne ad concordiam Religionis redire

cum

cum Romano Pontifice, secum, et cum Principipibus, ceterisque Ordinibus Catholicis Imperii, diemque 15. Aprilis ipsis præstituit, ad quam responsum ab ipsis habere velit. Illi vero *Smalcaldae* fœdus inter se iniverunt ad resistendum Imperatori etiam armis, si quidpiam vi agere vellet. Solimannus a. 1529. usque Viennam processerat: quam etsi capere non potuerit, tamen res sollicitudinem ingentem injecerat Carolo de munienda Germania adversus Turcas. Cum aliam spem non videret, nisi in concordia, habitis rursus comitiis *Ratisbonae* a. 1532. in tantum cessit Protestantibus, ut statutum factum sit, ne Religionis causa cuipiam ulla molestia fieret, totumque Religionis negotium differetur ad futurum generale concilium. Hæc dicta est *Pax Norimbergensis:* quod hoc statutum Ratisbonæ factum in Comitiis Norimbergensibus, eodem anno habitis, confirmatum sit. *pag.* 58.

§. 11. Clemens VII. a. 1534. vita functus est. Ei successit *Paulus III.* Hic generale concilium convocavit, quod jam deliberatum, et statutum erat Clementi. Indictum est a. 1537. primo Mantuam, deinde Vicentiam, demum ob difficultates illic aliquas enatas, *Tridentum.* Cœpit autem nonnisi die 13. Decemb. a. 1545. ob ea, quæ intervenerant, et impedimento erant. Protestantes, qui ut ictum proxime sibi imminentem, vitarent, prius ad Concilium generale ipsi provocabant; postquam autem hoc videbant futurum, negabant isto sibi opus esse, et vel se ad illud venturos, prætendentes, quod in eo Pontifex, et Episcopi sint futuri judices, et quod proinde judicium non sit futurum liberum; cui præsessurus sit Pontifex, qui vero ipse cum Epi-

scopis sit reus corruptæ Religionis. Carolus Imp. ut demulceret Protestantes, iis etiam bona concessit Ecclesiarum, quæ ad illud tempus occupaverant, nec non jus æquale cum Catholicis in Camera Imperiali, quod erat supremum Imperii tribunal ad causas dijudicandas. Cum adversus bonorum Ecclesiæ concessionem Pontifex intercessisset, Lutherus libellum edidit sub titulo: *Adversus Papatum Romæ a Satana fundatum*, cui effigiem præfixit nimis indecentem, et petulantem. Anno 1541. rursus ineundæ alicujus concordiæ causa cum Protestantibus Carolus Imp. R*atisbonae* instituit comitia Imperii. Cum vero iis persvaderi non potuisset, ut cum Catholicis in eorumdem Fidei dogmatum redirent concordiam, eo jam res inclinabat, ut quamvis non in omnibus convenirent Fidei capitibus cum Ecclesia Catholica, tamen cum ipsis Religionis fieret unitas, et concordia. Quod vero Pontifex negaverat posse fieri: siquidem Fides una sit. Catholici vero Principes Germaniæ *foedus* et ipsi inter se fecerunt in sui, et Religionis defensionem, si quid adversus eam Protestantes attentassent.

Jam inceperat Concilium Tridentinum. Hujus judicium finem debuisset facere controversiarum Protestantibus. Illi vero jam aperte bellum pararunt. Adhuc vero etiam nunc Carolus Imp. Comitia *Ratisbonam* indixit a. 1546. ad tractandum pacifice cum iisdem Protestantibus. Alii vero venire contempserunt, alii, postquam venissent, discesserunt. At vero Imperator Carolus edictum ex his Comitiis fecit, quo Joan. Fridericum Electorem Saxoniæ, (hic nepos erat Friderici, primi fautoris Lutheri ex fratre Joanne) et

Phi-

Philippum Landgravium Hassiæ *proscripsit*, reliquorum Protestantium duces, et signiferos: non tamen sententiam hanc prius promulgandam curavit, quam Protestantes suas copias jam in campo collocatas haberent. Signis collatis Protestantes victi sunt. Fridericus Elector Saxoniæ captus est. Philippus Landgravius ad Carolum venit, et flexis genibus veniam precatus est, quam sub duris tamen conditionibus obtinuit, in Fridericum vero Electorem sententiam capitis Imperator tulit: sed quam ad preces Joachimi Electoris Brandeburgici revocavit. Hoc bellum dictum est Smalcaldicum. *Lutherus* paulo ante die 17. Febr. 1546. Islebii ex vita excessit. Sectam suam celeriter propagavit, ut hanc Lutherus non dubitaverit prodigiosam etiam appellare. Godefridus Arnoldus Protestans, *Multos*, ait, *ad Religionem Protestanticam attraxerat novitas; magnates, ut plurimum, allexit bonorum Ecclesiasticorum opima praeda; potissima pars privatis commodis invitabatur, reformationis titulo, et veritatis amore pallium commodante.* Titulum hunc reformationis, et veritatis amorem, apertius adhuc ipse Lutherus declaravit, non fuisse aliud, quam effrenate vivendi licentiam. *pag.* 64.

§. 12. Attamen Lutherus est, quem omnes, qui illo tempore novas sibi formas fecerant religionis, principem atque ducem habeant. Neque enim ii, qui Lutherum sibi in religione magistrum posuerant, in eo perstiterunt, quod ille docuit, sed magistrum æmulati, et ipsi ad excolendam, perficiendamque religionem ingenii sui vires intenderunt. Hoc fecit *Carlostadius* ex primis asseclis Lutheri, qui in Eucharistia, quo-

mo-

modo Christus existeret, distinctam sibi a Luthero sententiam formaverit. *Supra* §. 8. Ulricus *Zvinglius* et ipse Lutheri assecla, et illius æmulator Tiguri in Helvetia, non tantum a Luthero etiam recessit in sententia de Eucharistia, et Carlostadium maluit sequi, verum etiam peccatum negavit, quod per Adamum intraverit in mundum, et in quo Adamo omnes peccaverint. Per Zvinglium excitatis in Helvetia disputationibus de Religione, ex Helvetiorum pagis tredecim, in quos natio divisa est, octo se Zvinglio addixerunt, quinque autem reliqui firmi in Catholica Religione perstiterunt. Zvinglium deinde *Calvinus* secutus ducem erat, atque ita rem a Zvinglio in Helvetia coeptam continuavit, suisque etiam inventis locupletavit, ut etiam ab eo nomen secta, cujus auctor erat Zvinglius, acceperit.

Ex Lutheri reformatione, ut eam vocant, qui sibi illo tempore novas fecerant formas religionis, venerunt etiam *Anabaptistae*, sic dicti, quod eos rebaptizarent, qui in infantia baptizati erant. Iisdem vero etiam alia partim communia cum aliis Lutheranis erant, partim propria, ut vaga libido, promiscuus concubitus, polygamia. Cum Wittembergæ *Storkius*, qui cum Munzero præcipuus conditor istius sectæ erat, spargere suam doctrinam coepisset, Lutherus in eum insurgens, postulavit ab eo, ut suam a Deo missionem quam præseferebat, miraculis probaret. Videtur Lutherus hanc virtutem patrandi prodigia de se persvasam sibi habuisse: atque hanc omnino etiam præstare voluit Neseno familiari suo, in fluvio Albi submerso in aurem quædam verba insurrando, quin tamen ille hæc au-

audiverit, et ad ista a morte surrexerit. Illud quoque Anabaptistis erat dogma, neminem debere esse alteri subjectum, et omnia in mundo esse omnium communia. Hinc ab rusticis excitatum bellum est in Germania, in quo cædibus, et rapinis omnia impleverunt. Tercentena rusticorum millia erant sic grassantium, armisque compesci debuerunt. Iidem tamen denuo emerserunt, et Monasterio (Münster) quæ urbs est Westphaliæ, occupato, regnum sibi illic constituerunt, quod Christi regnum appellaverunt, et unde per emissarios suos, quos Apostolos vocarunt, illud volebant per totum mundum propagare. Tam hi Apostoli in iis locis, ad quæ venerant, neci dati sunt, quam ceteri etiam capto Monasterio, et ipse etiam illorum rex Joannes Bocoldus pœnas capite dederunt: e quibus præsertim Bocoldus admodum diro supplicio affectus est. Ceteri autem Anabaptistæ sparsi adhuc per reliquam Germaniam, atque hic pressi in Belgium et Angliam se receperunt, ubi etiam nunc unam sectam ex iis, quæ Independentes vocantur, constituunt. Ex iisdem Lutheranis in Germania etiam secta *Antinomorum* exorta est auctore Joanne Agricola. Quorum dogma singulare est, leges esse inutiles, et nec ea, quæ legibus conformia fierent, prodesse ad salutem æternam, neque obesse, quæ his perpetrarentur contrarie. *pag.* 73.

§. 13. Dum a. 1548. libellus *Interim* in Comitiis Augustanis a Carolo Imp. editus esset, de quo adhuc veniet sermo, secta rursus enata inter Protestantes est alia *Caesareorum*, qui illi libello adhæserant; alia *Lipsicorum* a Lipsia Misniæ, libellum illum non aliter recipientium,

quam

quam sicut ipsi transformatum voluerunt; alia *Interimistarum* ex parte cum Lipsicis convenientium, ex parte disconvenientium; alia *Rigidorum*, qui contenderent Placitis Lutheri esse inhærendum stricte; alia *Adiaphoristarum*, qui quæpiam haberent pro indifferentibus; alia *Substantialistarum*, qui dicerent peccatum, quod ab Adamo venit, esse ipsam animæ rationalis substantiam; alia *Synergistarum*, qui Deum, et hominem componerent in opere nostræ justificationis, et esse pure donum Dei negarent; alia *Majoristarum* a Georgio Major, et *Ambsdorfianorum* a Nicolao Ambsdorf nomen trahentium: in illa bonorum operum ea necessitas adstruebatur, ut absque his neque infantes salutem obtinere possint; in hac, eadem hæc opera asserebantur non tantum inutilia, verum etiam noxia; alia *Ubiquistarum*, qui Christi corpus dicerent esse ubique locorum. Protestantes sibi sumpserunt eam libertatem in rebus religionis, ut unusquisque in his posset sentire suo judicio; idque magnum etiam meritum vocat suæ reformationis G. J. Plank in libro, quem edidit, dum iidem Protestantes a. 1817. die 31. Octobr. tertium jubilæum suæ reformationis celebrassent, atque inter eos ipsos non defuissent, qui cuperent aliquam consensionem, apud se in rebus Fidei induci. Dum autem hominum judicia tam varia, et dissona esse solent, aliud ne sequi potuit apud Protestantes, quam quod est, ut unitatem Fidei non habeant, hoc est, non omnes idem credant? Nec hoc ipsi recusant concedere. Quin Eichhornius *Biblioth. suæ Universalis Tom. VII. pag.* 955. Unitatem Fidei dicit futuram etiam noxiam, quia hoc officeret ulteriori indagationi, et induceret socordiam. At vero S. Paulus dicit: *Una Fides*, Eph. 4. v. 5. *pag.* 83.

§. 14. Inter eos, qui formas novas invenerunt hoc tempore Religionis, post Lutherum nemo potior est *Joanne Calvino*, cujus jam §pho 12. facta mentio est. Novioduni in Gallia Belgica a. 1509. natus est. Dum literarum studiis operam dedisset Parisiis, a Protestantibus, Zvinglianisque Galliam latenter ingressis, imbutus est eorumdem principiis. Franciscus I. Rex Galliæ novas cathedras instituerat in Universitate Parisiensi, atque ad has doctos viros etiam exteros invitaverat. Inter hos, qui se obtulerant, etiam erant Protestantes et Zvingliani, occultata religione sua. Hi cathedras adepti schedas in publicis locis secreto affixerant adversus Missæ sacrificium, Christi verum corpus in Eucharistia, et non tantum ut Episcoporum, verum etiam Regis per eas lacesserent auctoritatem. Sex ex illis ab Rege damnati ad rogum sunt; inquisitum etiam in illos est, quibus jam adsperserint suam doctrinam. Calvinus tunc Parisiis fugit Basileam; atque etiam hinc Engolismum, sitam in Aquitania. Sed cum idem Franciscus Rex Protestantibus rebellantibus in Germania adversus Carolum Imp. favere coepisset; eo confidentius hi se se insinuaverant rursus in Galliam, adeo, ut Calvinus suos *libros Institutionum*, quos Engolismi elucubraverat, ipsi etiam Francisco Regi non dubitaverit dedicare. Ex placitis Lutheri, Zvinglii, pluriumque aliorum id temporis novas religionis formas fabricantium conceperat et ipse suam formam. Itaque multa tam ipse, quam ejus sectatores habent cum Lutheranis communia, uti fidem solam esse, quæ sit necessaria ad salutem: a Zvinglio autem acceperat, verum Christi Corpus non esse in Eucharistia, idque erat etiam, quod cum Calvino, et ejus asseclis Zvingliani coiverint

rint in unum corpus. His autem Calvinus sua etiam propria superaddiderat dogmata, videlicet, hominis lapsum ad peccatum non solum prævisum a Deo, verum etiam prædestinatum esse, soloque Dei arbitrio citra proprium meritum homines ad æternum exitium prædestinari, omnia peccata esse mortifera, sed fidelium esse tamen venialia, infantes ex fidelibus parentibus natos esse immunes peccato originali, hominis liberum arbitrium nihil valere ad agendum bene, atque hominem etiamsi sua voluntate agat, necessario peccare. Quemadmodum sectatores Lutheri dicuntur Augustanæ Confessionis a sua Confessione Carolo Imp. in Augustanis Comitiis oblata, ita asseclæ Calvini Helveticæ Confessionis vocantur a sua cum Zvinglianis in Helvetia consociatione. Iidem in Gallia etiam appellati sunt Hugonotæ. *pag.* 87.

§. 15. Adversus errores Calvini, serpentes per Galliam, Facultas Theologica scriptum ediderat: cui Calvinus quoque suum opposuerat scriptum sub nomine *antidoti*, ita conviciosum, ut Doctores Theologiæ Parisienses etiam *Gregem porcorum* appellare, non ipsum puduerit. *Henricus II.* Rex Galliæ filius Francisci I. severum edictum fecit adversus sectatores Calvini. Ei mortuo cum Franciscus II. successisset, atque ei nondum pari ad regendum propter ætatem Duces Guisios Catharina mater addidisset moderatores; Hugonotæ eo prætextu, quod ad hoc munus Guisio assumpti essent, non Principes sangvine Regio, seditionem excitarunt; invaserunt monasteria, Ecclesias, et diripuerunt, altaria everterunt, sacrás Imagines destruxerunt et combusserunt, Sanctorumque corpora, et Reliquias dis-

si-

siparunt. Rex clementiam, et remissionem poenæ ipsis ultro concessit, dum modo pacati manerent, et fideles Regi: quoad compositionem autem controversiarum de rebus Fidei promisit se acturum de Concilio generali resumendo. Tridentinum erat abruptum: quam ob causam, adhuc postea declarabitur. Illi vero petierunt, ut de hac compositione res tractetur in colloquio inter se, et Catholicos. Datum etiam hoc ipsis est. *Colloquium* hoc institutum est *Possiaci* in insula Franciæ a. 1561. Intererat Regina, et Rex Carolus IX. qui Francisco fratri successerat, ætate adhuc puer, Senatus quoque Regius: aderant quoque Cardinales sex, Episcopi quadraginta cum multis Theologis. Ex parte Calvinianorum Theologi affuerunt tredecim, quorum primarius erat Theodorus Beza, et plurium civitatum legati. Calviniani interrogati de iis, quæ profiterentur, ambiguis verbis respondebant, et perplexe: pertentati autem magis prodiderant nec de Eucharistia, nec de pluribus aliis rebus se orthodoxe sentire. Jacobus Laynez Præpositus Generalis Soc. Jesu erat præcipuus e Catholicis Theologis, qui disputabant adversus Theologos adversæ partis. Hi ad argumenta sibi proposita non directe respondebant, sed quasi contemnenda essent, tantummodo ad illa ridebant, nec præter hanc simulatam irrisionem aliquid, quod ad solvenda argumenta pertineret, attulerunt. A Cardinalibus, et Episcopis dictum est Reginæ decisionem controversiarum esse exspectandam a Concilio. Hugonotæ tamen se jactabant fuisse superiores Catholicis, et omnia illorum argumenta esse a se contrita: statimque iterum violentiam illam, quam antea exercuerunt adversus Catho-

tholicam Religionem, perrexerunt contiuuare. *pag.* 94.

§. 16. *Condaeus* Princeps e sangvine Regio defecerat ad Hugonotas. Hunc illi statuerunt facere Regem, Carolo IX. e Regia dignitate dejecto. Hunc in finem bellum moverunt aperte, et ita grassabantur in Catholicos, tamque exquisitis suppliciis in eos sæviebant, atque in his etiam ipsis insultando, ut nec in Decii, et Diocletiani persecutione exstiteterit immanior, et ingeniosior crudelitas. Victi sunt *Dorcensi* praelio, capto etiam Condaeo. Carolus IX. veniam illis concessit, putans se mansvetudine illos a feritate revocaturum. Quæ spes, ut visuri sumus, eum fefellit. Nec satis habebant, Galliam distrurbare, sed in Belgio quoque Calvinianos, et Lutheranos concitarunt adversus Philippum II. Regem Hispaniæ, in cujus ditione Belgium erat. *Belgae* utriusque Confessionis Augustanæ, et Helveticæ conjuratione facta certa die a. 1565. circiter quingenti in habitu veluti pauperum cum numismate alii cereo, alii ligneo collo appenso in cujus parte una erat imago Regis cum inscriptione *Fideles Regi*, in altera mantica, quam duæ manus tenebant, habens inscriptionem: *Usque ad manticam* ad Margaretham, Philippi Regis sororem, gubernatricem Belgii, venerunt, et supplicem ei libellum obtulerunt. Cura erat injecta gubernatrici. Barlamontius Comes svasit, ut sine cura esset, nam esse *Guesios*, quod in Gallica lingva significat pauperes. Quod vero illi nomen deinde ultro sibi assumpserunt, ut contempti eo magis possent suam conjurationem concinnare: brevique postea in apertam seditionem eruperunt, et in Regem Philippum armis insurrexerunt. Facto

cto ad Tornacum prælio Guesii victi, et venia a Gubernatrice sibi concessa, iis solummodo exceptis, qui per seditiosas conciones reliquos ad rebellandum concitarunt, ad officium revocati sunt. Res videntur mansurae fuisse jam pacatæ, nisi Ferdinandus Dux Albanus a Philippo Rege missus in Belgium, amplissima potestate instructus nimia sua sævitia, et immoderatis exactionibus ad rebellandum denuo ansam dedisset. Hinc factum est, ut e septemdecim provinciis, in quas Belgium est divisum, septem etiam subjectionem excusserint erga Regem Hispaniæ; quod deinde Belgium Foederatum fuit appellatum. *pag.* 101.

§. 17. In Gallia quoque Hugonotæ rursus a. 1567. adversus Carolum IX. rebellarunt. Facto prælio Hugonotæ victi sunt, atque ipse etiam Condæus dux perduellium cecidit. At vero illi in hujus locum Collinio, qui etiam e sangvine erat Regio, duce exercitus sibi constituto, rursus bellum renovarunt. Etiam vero nunc ingenti clade sunt affecti. Attamen Rex tam benigne cum ipsis egit, in tantumque ipsis, quantumvis devictis, cessit; ut liberum religionis exercitium illis concesserit, et æquale etiam jus cum Catholicis ad obtinendas dignitates tribuerit. Nec tamen etiam sic quieverunt, neque cessarunt a machinationibus contra Regem, et Catholicos. Nitebantur autem Collinio, et Condæo, illius, quem paulo ante dictum est occubuisse, filio. Etiam Henricus Rex Navarræ factus erat Hugonota. Ut igitur Rex Carolus suæ saluti prospiceret, quam istis superstitibus, et sua potentia fretis positam in periculo videbat, devenit ad consilium vehemens, sed ut ipse postea declaravit sibi, et saluti publicæ necessarium, Senatu etiam Regio suffragante.

Anno

Anno 1572. die 13. Aug. *nuptiæ* erant celebratæ Margaritæ sororis Caroli Regis cum Henrico Rege Navarræ. Post has nuptias, dum omnes hi Principes, qui defecerant ad Hugonotas, essent Parisiis, dies 24. ejusdem mensis S. Bartholomæo sacra sumpta est, qua illud consilium executioni daretur. Exercitus copiosus sub alio prætextu jam convenerat Parisios: dumque mane illius diei campana in Ecclesia S. Germani more consveto pulsata esset; milites, quemadmodum imperatum erat e domibus provolaverunt ad Hugonotarum, qui Parisiis erant, cædem faciendam, omniumque primo Colinii. Sub vesperam ejusdem diei datum signum militibus est, ut ab ulteriore cæde desisterent: sed ira perciti in Hugonotas, et allecti præda, cujus potestas ipsis data erat, non exaudito imperio cædem continuarunt usque ad diem septimum. Hugonotæ similiter habiti per totam Galliam sunt, praeterquam iis in locis, ubi ne cædes illorum fieret, Episcopi suo illos patrocinio tuiti sunt, e quibus memorandus est inprimis Joannes Hennuyerius Episcopus Lexoviensis, nactus idcirco illos deinde ita obsequentes, ut eo svadente ad Ecclesiam Catholicam redierint. Hæc Hugonotarum clades nuptiæ solent vöcari Parisinæ.

Insectantur non tantum Calviniani, verum etiam Lutherani istas nuptias, quod ea, quæ sangvinis sunt, abhorreat Christiana Religio. Cur igitur istud Hugonotæ in Gallia, cur Lutherani in Germania fecerunt? Cur idem hoc ab ipsis in aliis regnis factum est? Profitenturne etiam se Christianos? At vero non Religionis causa hoc factum est a Carolo Rege, qui etiam victis liberum religionis exercitium concesserat, sed istud

actum

actum est ab eo, tamquam in insidiatores, sui regni, ipsiusque vitæ, et qui, quamvis armis coerciti, et beneficiis deliniti, tamen non remitterent ab obstinatione ejus perficiendi, quod sibi statuerant adversus Regem. Nec ideo quia clandestino consilio istam rem in Hugonotas egit, si aliter juste erat facta, criminosa est, sicut neque belli dux reprehendi solet, quod consilium hosti occultet ad eum opprimendum, quem etiam aperto marte poterat juste perdere. Henricus Navarrae Rex, et Condæus capti, et ducti ad Carolum Regem conservati sunt, actumque est erga eos, ut instructi magis in Religione, ejus veritatem agnoscerent. Sunt reversi deinde ad Religionem, sed non sincere. Henricus tamen postea etiam cum sinceritate.

Post has etiam Parisinas nuptias jam statim altero anno, et subsequentibus Hugonotæ aliquoties seditionem fecerant, quin tamen etiam nunc res, quamvis tentata armis, prospere ipsis cesserit. *Henricus III.* Caroli IX. frater *edictum* fecit, quod Henoticon fuit appellatum, quo statuit ministris sectæ Hugonotarum mensem unum, ceteris menses sex, intra quod spatium, qui nollent redire ad Catholicam Religionem e regno excederent. Illi vero idcirco iterum rebellaverunt. Victis autem rursus data venia est, eo tamen alio facto decreto, cui se Catholici cum Rege confoederaverant etiam dato jure jurando, ut Religio Catholica firmiter servaretur in Gallia, et ne, si Regem contingeret absque mascula prole decedere, aliquis succederet, quamtumvis e sangvine Regio hæreticus, vel hæreseos fautor. *Rupellis* præside Henrico Rege Navarræ conventum celebrarunt Hugonotæ, et conjurationem ite-

iterum fecerant: et quia Rex Henricus ut parceret sangvini nolebat expedire arma adversum eos, etiam Catholici ab eo, velut illius foederis cum eo facti violatore, alienati sunt. Anno autem 1589. die 1. Augusti *Henricus* Rex a quodam, quoad vestitum, Dominicano ad eum admissus, ad quem diceret se habere quidpiam secreti *confossus* est. Hunc ministri Regii præ foribus constituti, et ad strepitum Regisque clamorem in conclave irruentes occiderunt subito, consecta etiam facie, ne agnosci posset, utpote quem illi ipsi induxerint ad caedem hanc perpetrandam, atque etiam aliena veste Dominicani induerint. Id, quod Mererayus, Petrus Matthæus, pluresque alii Galli historiographi testatum fecerunt. *pag.* 107.

§. 18. Henrico III. mortuo absque filio jure successionis regnum devenit ad *Henricum* Regem Navarræ, cujus jam sæpius mentio facta est. Post Parisinas nuptias Religionem Catholicam professus erat, sed rediit ad sectam Calvini. Rex vero factus Galliæ jure jurando se obstrinxit de juribus Religionis Catholicæ inviolate conservandis. Attamen ii, qui se confoederaverant (§pho superiore) ne Henrico III. mortuo absque prole mascula, hæreticus, vel hæresi favens succederet, Henrico IV. tantopere adversabantur, ut de alio etiam eligendo Rege consilia agitaverint. *Deliberavit* igitur de reditu ad Religionem Catholicam. Hac sibi exposita ab Episcopis, et Theologis Catholicis, quæsivit etiam ex Calvinianæ sectæ ministris, num in Catholica Religione salutem animæ consequi posset: quod cum illi affirmassent, omni dubitatione deposita, factus est Catholicus jam ex animo, dicens, Calvinianos

nos quidem sibi polliceri salutem in sua secta, sed istud negare Catholicos: utramque vero partem consentire quoad Religionem Catholicam. Igitur hanc præ illa tutiorem esse. Tale responsum etiam in Germania *Helmstadienses* Theologi Lutherani dederant Lud. Rudolpho Duci Brunsvicensi, et Ant. Ulrico Duci Brunsvico-Luneburgensi, dum similiter consulti fuissent de Religione Catholica, num esset salutifera: quin iidem Helmstadienses, ipsum etiam Lutherum, et Melanchtonem, quorum eadem fuerit sententia, allegarunt.

Henricus IV. pacatos, fideles, et suæ Majestatis reverentes habuit Catholicos, sed non Hugonotas. Ad civile, et intestinum bellum præpediendum, quod jam iterum gliscebat, libertatem religionis ipsis concesserat, aut potius jam ante etiam concessam confirmaverat per edictum suum a. 1598. quod Nannetense fuit vocatum. Idem vero ingenium seditiosum Hugonotis etiam postea mansit. *Ludovicus XIV.* patre Ludovico XIII. natus, et nepos Henrici IV. tandem tot seditionibus finem fecit. Jam erant ab illo etiam armis domiti aliquoties. Lingvas deinde armaverant suas ad proscindendam Religionem Catholicam in concionibus, et per libros in vulgum editos. Ludovicus Rex militem distribuit per totum regnum, ac deinde edictum suum publicandum curavit, quo Nannetense statutum abrogavit, et omne religionis suæ exercitium Hugonotis sustulit. Ministris illorum pensiones, et subsidia vitæ largissima decrevit, reversuris ad Ecclesiam Catholicam; eos, qui nollent hac conditione uti, facessere ex regno jussit, item ceteris præmia, qui reverterentur, statuit: cavit autem, ne nolentibus re-

verti, ulla molestia religionis causa fieret, sed proles tamen eorum in Religione Catholica debebant educari. Ad centum millia Hugonotarum, idque adversus prohibitionem in Angliam, Belgium, et Helvetiam emigrarunt: reliqui ad vicies centena millia in regno manserunt, et maximam partem Catholici facti sunt. Hoc similiter Ludovicus XIV. fecit postea etiam in Alsatia. *pag.* 116.

§. 19. Henricus VIII. Rex Angliæ admodum severus erat in eos, qui reperti essent in Anglia, tincti Lutheranismo, vel Calvinianismo, Lutherique libros Londini publice comburi jusserat: idem librum etiam edidit adversus Lutheri errores: quem cum Leoni X. Papæ dedicasset, titulum Defensoris Fidei ab eo accepit. Arturus, illius frater, Catharinam Aragoniam duxerat uxorem, quam illo mortuo ipse sibi copulaverat matrimonio, obtenta venia impedimenti affinitatis ab Julio II. Papa. Jam quinque ex ea proles susceperat. *Thomas* Volsæus Cardinalis, et Archiepiscopus Eboracensis, ut ægre faceret Carolo V. Imperatori, cujus matertera erat Catharina, svasit Henrico, ut Catharina dimissa, uxorem duceret Margaritam Francisci I. Regis Galliæ sororem, prætexens propter impedimentum affinitatis prius matrimonium non esse legitime initum, quo neque Romanus Pontifex ipsum potuerit solvere. Pronus ad solvendum prius matrimonium erat Henricus, amoribus captus Annæ Bolenæ, unius ex nobilibus virginibus, quas Regina habebat ad obsequium. *Judicium*, valeatne matrimonium, Clemens VII. delegaverat Cardinalibus Laurentio Compegio, et Thomæ Volsæo. At vero Catharina contra hos judices exceperat, de-

cla-

claravitque nullius alterius, præterquam Romani Pontificis se subjecturam judicio. Quod vero cum nollet Henricus, edictum fecit, quo inhibuit ire adApostolicam Sedem in quocunque negotio, atque hinc quidpiam etiam recipere. Sed Oxoniensi, et Cantabrigiensi in Anglia, Parisiensi in Gallia, aliisque in Germania, Hispania Belgio, et in ipsa etiam Italia Academiis detulit *judicium* de suo cum Catharina matrimonio. Duæ Anglicanæ, et Parisiensis academia in favorem Regis tulerunt judicium, reliquæ omnes in contrarium. Attamen illarum valuit judicium apud Henricum, nihil reliquarum: *Volsaeum* pœnituit ejus, quod egerat, et Romam miserat literas explorandi causa, quæ de illo matrimonio mens esset Summi Pontificis. Quod cum rescitum esset, ille vocatus in judicium est illato sibi crimine læsæ majestatis. Dum a satellitibus adduceretur, infirma valetudine, mortuus est. Quia vero Volsæus cum totius Cleri Anglicani consensu literas illas Romam miserat; in idem crimen vocabatur ipse etiam totus Clerus. Clerus Cantuariensis redemit judicium centum millibus florenorum Anglicanorum, et titulo Supremi Ecclesiæ Anglicanæ capitis Henrico dato. Idem factum est a Clero Eboracensi. Guillelmo Varamo Archiepiscopo Cantuarensi mortuo, Rex *Thomam Cramnerum* in ejus locum nominavit, hominem et hæresi infectum, et iis moribus, ut ne iter quidem faceret absque scorto. Henricus deinde Rolandum Presbyterum cum fefelisset, dicendo, se a Romano Pontifice accepisse literas, quibus sineretur aliud inire connubium; iste Henricum copulavit cum Bolena, hoc est cærimonias copulationis peregit. *pag.* 122.

§. 20. Pontifex egerat etiam per Franciscum

I. Regem Galliæ cum Henrico, ut Bolenam a se removeret. Hoc cum frustra factum esset, Pontifex illum excommunicavit. *Henricus* ira percitus, habito concilio Londini se posuit pro capite Ecclesiæ, et paulo post in Comitiis regni statuta fecit adversus Romanum Pontificem, cujus in Anglia, nulla deinceps debeat esse auctoritas, sed Ecclesiæ Anglicanæ supremum caput solum esse Regem, unaque datum est mandatum de eradendo nomine Papæ ex omnibus libris, idem quoque sublatum est ex litaniis. Clero, et magistratibus formulam juris jurandi Henricus præscripsit, in qua erat, nuptias cum Bolena esse legitimas, Henricum Regem esse supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput, neque ullam obedientiam se Romano Pontifici exhibituros. Alii, etiam Episcopi in his Comitiis obmutuerunt; alii consensum aperte dederunt: quos Henricus noverat cordatiores, iis prohibuit ad comitia venire, vel etiam impactis falsis criminibus in carceres jusserat duci. *Joannes Fischer* Episcopus Roffensis, et *Thomas Morus* regni Cancellarius, quia huic formulæ noluerunt subscribere, capite plexi sunt. In alios, crudeliore adhuc sæviit supplicio, qui maximam partem erant Religiosorum Ordinum. Idem Henricus, quasi Episcopus, et summus Pontifex, vicarium sibi constituit *Thomam Cromvelum* idque in Spiritualibus laicum, tonsorem opificio. Hic deprædabatur monasteria, aut etiam sufferebat, ut eorum totis proventibus potiretur, Imagines Sanctorum, ut prætextum haberet eorum donaria auferendi, pro idolis habuit. Idem Regem induxerat ad legem condendam, ut si quis, quamvis indicta causa reus esset judicatus læsæ majestatis, plecteretur. Cujus legis vim primus ipse Cromvelus expertus est, raptus ad supplicium,

cium, perduellionis, furtorum, homicidiorum, aliorumque criminum nomine, nulla data facultate sui defendendi. *pag.* 129.

§. 21. *Catharina* Henrici conjux a. 1536. e vita decessit datis ante literis ad Henricum velut ad conjugem suum charissimum, commendavit ei communem filiam Mariam, hæc sola superstes in vita erat, et hortata est, ut salutis animæ suæ rationem haberet. Quibus lectis lacrymatus est, et Mariam recepit in gratiam. *Bolena* cum Georgio Germano fratre suo concubuerat, illud quærens, ut si ex eo masculam prolem suscepisset, per hanc deinde ad Bolenam familiam dignitas Regia transiret. Itaque hanc cum fratre, et quatuor aliis amasiis Henricus morte affecit. Hujus deinde pedisequam Joannam Seimeram sibi copulavit matrimonio, ex qua filium Edvardum suscepit, et post hanc in partu mortuam, alias adhuc duxit uxores quatuor, quarum unam etiam repudiavit; alteram, propter adulterium publice capite plecti jussit. Vixit usque ad a. 1547. Morbo extremo dum laborasset, cœpit cogitare, et cum quibusdam Episcopis tractare de sui reconciliatione cum sede Apostolica. Re tamen non perfecta decessit. Ultimis tabulis scripsit successorem primo loco Edvardum filium, secundo Mariam filiam, tertio Elisabetham, quæ ei nata ex Bolena erat.

Edvardus puer novennis erat, dum Henricus moreretur. Edvardus Seimerus ejus avunculus et tutoris munus, et regni administrationem ad se traxerat, quamvis ab Henrico aliter fuisset ordinatum. Hic vero erat religione Zvinglianus, et puerum Edvardum in eadem religione educandum, et instruendum curavit. Idem habiti comitiis, reditus omnium Ecclesiarum ad ærarium Regium inferri jussit, abrogavit Missam, eve-

evertit, et sustulit sacras Imagines, aliam etiam formam ordinandi Episcopos, et Presbyteros induxit, utpote administer potestatis Regiæ, dumque Rex supremum caput esset Ecclesiæ Anglicanæ, Catechismum quoque novum præscripsit, Cramnero Archiepiscopo Cantuariensi secundante. Janua etiam patefacta est ad ingrediendum in Angliam quamcunque sectam professis. Quorum quantus numerus fuerit, inde metiri licet, quod haud multo post dum sub Maria Regina debuissent iidem ex Anglia exire, ad triginta eorum millia fuerint, qui se se extulerint. Episcopi quidam se se opposuerant, sed in vincula, et carceres conjecti sunt. Rusticorum etiam decem millia insurrexerant non ferentium altarium in Ecclesiis subversionem. Sed nec prævalere poterant, et impunitatis promissione sibi oblata conquieverunt. *pag.* 135.

§. 22. *Edvardus*, jam decimo sexto ætatis suæ anno mortuus est. Ita virus Zyinglianum inbiberat, ut ne Mariam quidem sororem eo, quod Catholica esset, voluerit sibi succedere in regno, sed designaverit Joannam Henrici Graji Ducis Suffolciensis filiam. Jam dies etiam præstituta erat, qua coronanda esset. Insurrexerunt autem plures Angliæ provinciæ pro *Maria*. Quare hæc illi antelata, et die 1. Octobr. 1553. coronata est. Instituit illico conventum Procerum, atque per hunc honestas natalium ei asserta est. Quod ad Religionem attinet, ut Angli ad eam redirent, magna perfecit prudentia. Exposuit sibi eam placere Religionem, quæ ante viguerit in Anglia; eam vero, quæ esset inducta recenter, non sibi placere, atque id factum esse etiam adversus Henrici mentem, nec tamen se velle quemquam ad eam cogere. Datis literis

ad

ad Julium III. Papam suam, et Angliæ professa est obedientiam. Is *Reginaldum Polum* Cardinalem misit ad absolvendam Angliam crimine scihsmatis, et cum Ecclesia reconciliandam. Maria nupsit deinde Philippo II. Hispaniæ Regi. Quidam volentes obsistere his nuptiis, sed res vi tentata cum non successisset, scenam adornarunt, puella ad hoc conducta, et intra muros recondita, vocemque per fistulam emittente, quasi qua prohiberetur divinitus illud connubium. *pag.* 141.

§. 23. *Mariae* regimen duravit nonnisi ab a. 1553. usque ad a. 1557. quo mortua est. *Elisabetha* filia Bolenæ ei successit vi testamenti, facti ab Henrico VIII. Matrimonium cum Anna Bolena non tantum per Romanum Pontificem damnatum erat velut illegitimum, verum, idem hoc Senatus Regius judicaverat, declarando nuptiis legitimis Mariam esse prognatam ex Henrico. Henricus II. proinde Rex Galliæ statim proclamationem fecerat, regnum Angliæ vi hæreditariæ successionis devenisse ad Mariam Stuartam, quæ nupta erat Francisco II. ejus filio. Erat enim Maria hæc Margaritæ sororis Henrici VIII. et Jacobi V. Scotiæ Regis filia. Elisabethæ hac de causa, quæ dicta est, successionem cum dubii juris habuisset etiam Romanus Pontifex, illa *Comitia* celebravit, in quibus non tantum jus succedendi ei assertum est, verum etiam Acta omnia rescissa sunt Mariæ Reginæ, decretis vero sub Edvardo factis, redditus vigor, et Elisabetha resumpsit quoque titulum Supremi Capitis Anglicanæ Ecclesiæ, quo Maria usa non est. Itaque revocabantur ea omnia, quæ erant inducta sub Edvardo: quin ipsa etiam Martyrologia, et

Ca-

Calendaria reformavit, Wicleffum, Hussum, Cramnerum, Cronvellium, Henricum VIII. Edvardum, illum eumdem, qui puer Henrico successerat, iisdem inserendo alios ut Martyres, alios ut Confessores. *Maria Stuarta* Francisco II. primo conjuge mortuo nupsit Henrico Stuarto, ex quo connubio natus est Jacobus VI. Successerat Jacobo V. patri suo in regno Scotiæ: cumque insurrexisset in eam Jacobus frater, cui erat antelata, eo quod ille non ex legitimo toro esset natus; Maria Stuarta fugit in Angliam, sperans, se perfugium reperturam apud Elisabetham, utpote consangvineam. Quod contra accidit. Nam in custodia servata annis viginti, deinde capite etiam plexa est. Jacobum filiolum, quem secum tulerat, Elisabetha in religione, quam sibi tunc Angli formaverant, curavit educandum, qui deinde Jacobus VI. dictus, Rex Angliæ factus est, Elisabetha manente semper cœlibe.

Ab anno 1558. quo Elisabetha Mariæ successerat in regno usque ad a. 1570. Pontifices quieverunt, nihilque egerunt in Elisabetham tametsi omni furore actam in Catholicos, et Catholicam Religionem. S. Pius V. non existimavit rem cum taciturnitate ulterius ferendam esse, excommunicationisque sententiam in Elisabetham tulit, unaque declaravit, legitimam ejus potestatem haud esse. Sunt, qui putent, nec Paulum IV. in dubium vocando jus Elisabethæ succedendi, neque Pium V. illam excommunicando provide egisse, unde illa exacerbata, res facta adhuc deterior sit. Hi igitur voluissent, ut Paulus IV. causam approbet, quam non habuit justam: nec Pius V. potest dici præcipitanter egisse, sententiam pro-

promulgans, quam Sedes Apostolica per annos duodecim in suspenso tenuit, aut injusta ne fuit, Elisabetha semper ulterius pergente in subvertenda Religione? Censura Ecclesiastica non ad eum solum dirigitur castigandum, vel potius admonendum, ut resipiscat, in quem directe fertur, verum etiam ad alios, ut criminis societatem fugiant. *Philippus II.* Rex Hispaniæ opem laturus rebus afflictis Religionis in Anglia, atque ea etiam de causa, quod Angli Belgas adjuvissent adversum se rebelles, ingenti Classe, quam *Invincibilem* appellavit, petierat Angliam: quæ vero partim Anglis fortiter resistentibus, partim vi ventorum disjecta, et devicta est. *pag.* 146.

§. 24. Religio, quam Angli sibi formarunt, dicta est *Anglo-Calviniana* jam ipso nomine indicans, unde esset sumpta. Attamen habet etiam quæpiam a Luthero, et plura Angli per seipsos quoque addiderunt. Sed neque hi omnes etiam inter se conveniunt in Religione. Anglo-Calviniani alii sunt *Episcopales*, qui Episcopos, Presbyteros, et Diaconos retinuerunt, sed pro quibus ordinandis ipsi sibi novam formam composuerunt, celebrant liturgiam, Crucem Christi non tantum in honore habent, verum etiam eam manu formant in Sacramentorum administratione; alii *Puritani* qui ista etiam retenta ab Episcopalibus, velut impura a se rejecerunt. Hi etiam *Presbyteriani* vocantur, quod inter Episcopos, et Presbyteros nullum discrimen faciant. Sunt inter Anglos etiam præterea *Independentes*, alio nomine Brovnistæ, qui in sua etiam secta inter se nexi non sunt, nec unum corpus constituunt, *Antiscripturarii*, *Antinomi*, *Ranteri*, *Piscatoriani*, *Levellerii*, et *Quakeri*. Quæ no-

nomina partim sumpta sunt ab iis, qui harum sectarum auctores erant; vel ab eo, quod profiterentur, ut Antiscripturarii inde dicti sunt, quod Scripturæ sacræ omnes libros repudiarent, Antinomi quod legem et Prophetas a se rejicerent. Quakeri autem nomen suum a tremulo motu corporis habent, quo se agitant ad revelationes, quibus a Deo illustrentur in mente, de se venditandas. Hi omnia aspernantur, quæ habet religio etiam apud Anglos, a Religione Catholica disjunctos, omnia in illa sua revelatione ponentes.

Nova Calvinismus germina emisit etiam alibi, præcipue in Belgio. Notabiles maxime sunt *Arminianorum*, et *Gomaristarum* sectæ. Illa ab *Jacobo Arminio*, hæc a *Francisco Gomaro*, qui ambo Lugdini Batavorum Professores Theologiæ erant, nomen traxit. Arminius sententias Calvini de prædestinatione Adami, aliorumque, qui peccant, ad ipsam etiam culpam, de libero arbitrio hominis per peccatum Adami prorsus exstincto, pluribusque aliis, non censuit esse retinendas; at vero pro iisdem stabat Gomarus, aliis in Belgio Arminio, aliis Gomaro adhærentibus, et vehementer idcirco inter se dissidentibus. Arminiani dicti sunt etiam *Remonstrantes*, et *Molles*; Gomariani *Contraremonstrantes*, et *Rigidi*. Ad hoc dissidium componendum *Hagae* a. 1610. Conventum Ordines Hollandiæ instituerunt utriusque partis. Cum neutra pars cedere alteri voluisset, desiit res tota in clamores, et mutua convicia; nec compositum est dissidium, sed magis accensum, atque alteri alteros pro hæreticis habuerunt. Quamobrem iterum *Dorderaci* in Hollandia a. 1618. synodum quasi generalem Calvinianorum non

tan-

tantum ex Belgio, verum etiam Anglia, Helvetia, Palatinatu, Hassia, Brandeburgo, aliisque pluribus locis celebraverunt. Arminiani statim a principio declararunt se hanc synodum non agnituros pro legitimo judice, utpote, in qua Gomariani futuri essent et adversarii, et judices. Quorum factio erat fortior, cujus caput fuerit Mauritius Dux Arausionensis, et totius Belgicæ confœderationis princeps. Attamen synodi nomine Gomariani sententiam tulerunt non tantum in Arminianorum sensa, verum etiam capita, eamque executi fuissent, nisi legati, qui ex Anglia, et aliis provinciis ad synodum venerant, impedivissent. Barnefeldus tamen, qui caput factionis Arminianæ erat mortuo Arminio, pœnam capitis subiit, ne tamen ob hanc causam videretur supplicio affectus esse, turbatæ tranquillitatis reum peregerunt. Grotius et ipse Arminianus, cum quibusdam aliis in carceres conjectus est. *pag.* 153.

§. 25. Dum Luthero, et Calvino prælucentibus alii, atque alii artifices formarum novarum Religionis prodiissent; nulli tamen in hoc genere videntur *Socinianis* anteponendi. Nam progressi sunt adhuc ultra priores omnes, et eousque, ut jam Religionem reformare volentibus nihil aliud superesset, quam revelationis Divinæ negatio, et totius revelatæ Religionis abjectio. Augustana, et Helvetica Confessio abrogavit auctoritatem Ecclesiæ ad judicandum de vero Scripturarum sacrarum sensu, atque istius judicii faciendi jus, et potestatem dedit unicuique. Hinc ulterius euntes Sociniani ex universa Scriptura sacra sustulerunt omnia illa, de quorum intelligentia judicium facere, sit supra vires in-

tel-

tellectus humani: et quoniam talia sint mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, Sacramentum Eucharistiæ, peccatum Originale, regeneratio hominis in Baptismo, resurrectio mortuorum, ista omnia, et plura alia volunt sic esse sumenda, et intelligenda, ut nihil habeant, quod sit supra captum humani intellectus. Res in exemplo magis patebit. In Scripturis sacris Pater dicitur Deus, Filius dicitur Deus, et Spiritus sanctus dicitur Deus, et hi tres distinguuntur ab invicem. Eadem Scriptura sacra prædicat unum Deum. Ergo hic unus Deus est Pater, Filius, et Spiritus sanctus, unus in essentia, trinus in Personis. Sed istud a nemine potest comprehendi intellectu. Sociniani pullularunt ex illis, qui repudiata auctoritate Ecclesiæ sibi ipsis asseruerunt jus, et potestatem judicandi de sensu Scripturæ sacræ. Ut igitur hoc jus, et hanc potestatem possint exercere; ea quæ in illa sunt debere etiam subjecta esse ipsorum captui Sociniani conclusionem fecerunt. Non erunt subjecta, si quælibet persona in Trinitate fuerit Deus, et tamen nonnisi unus Deus sit. Igitur, quamvis in Scriptura sacra Filius etiam, et Spiritus sanctus dicatur Deus; tamen nec Filium, nec Spiritum sanctum debere intelligi verum Deum, ut Pater est, sed alia ratione. Quid igitur? nempe secundum ipsos Filius nominatur Deus tantum ratione potestatis, quæ ei ad res efficiendas data a Patre sit: per divinitatem autem Spiritus sancti intelligitur Dei virtus ἐνέργεια efficacitas.

Michael Servetus Terracone in Hispania natus, cum Anabaptistas imitatus negasset valere Baptismum, collatum infantibus, verum corpus Christi in Eucharistia post Carlostadium, Zvinglium, et reliquos, quibus datum fuit no-

men

men etiam Sacramentariorum; etiam devenit ad negationem SS. Trinitatis. Calvinus idcirco ei litem movit, eodemque actore Genevæ a. 1553. ad rogum damnatus est. Eumdem errorem continuarunt spargere Valentinus Gentilis, Georgius Blandrata, Alciatus, Bernardus Ochinus, et Franciscus Davidis. *Valentinus* Gentilis Genevæ, perinde ut Servetus, rogum non evasisset, nisi ficte renunciasset suo errori, quo negabat SS. Trinitatem: in quem tamen Bernæ incidit, cum ibidem, quid sentiret, de eodem mysterio, prodidisset. Post Servetum autem, et Valentinum Gentilem primos istius sectæ architectos *Socinus Laelius*, et *Socinus Faustus*, Lælii nepos deinde eamdem sectam magis instruxerunt, et efformarunt. Quamobrem ab his ei nomen etiam inditum est.

Socinianos insectabantur acerrime tam Calviniani, quam etiam Lutherani, frequentesque adversus ipsos disputationes habebant. Memorabilis præsertim est, habita inter Calvinianos, et Socinianos *Pinczoviae* in Polonia a. 1565. in præsentia quam plurimorum. Disputatum vero est de mysterio SS. Trinitatis. Quidquid Calviniani afferrent ex Scriptura sacra pro hocce mysterio, Sociniani eludebant suis interpretationibus. Cum vero illi desperassent, se hoc modo aliquid contra istos profecturos, verterunt se ad traditiones Patrum, et ad primæva concilia, inde petentes argumentum pro mysterio SS. Trinitatis. At vero Sociniani, Et quo modo vos, ajebant, hinc vultis argumentum petere, qui Catholicis adversum vos auctoritate Patrum, et conciliorum pugnantibus, defugistis hanc argumentandi rationem? An non illi in his Christi verbis

Hoc

Hoc est corpus meum pro se habent Patres, et Concilia? et annon tamen vos aliter, quam Patres, et Concilia, sumitis hæc verba Christi de sola figura corporis Christi? Quid huc responderent, Calviniani non habebant. Pudor autem erat ingens conticescere: quo pacto totius multitudinis tantæ, quæ aderat spectatrix judicio, victoria obtigisset Socinianis. Igitur Calviniani maxima voce insonant verba: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Nulla erat responsio hæc ad illud, quod ipsis erat oppositum a Socinianis. Hi tamen cum istud sumpsissent in suam contumeliam, et convicia in Calvinianos conjecissent, atque hæc etiam isti reddidissent; tota disputatio abiit in mutua scommata, et furiosos clamores. Ex hac disputatione apparet, habita in Polonia, Socinianismum jam fuisse eo tempore etiam in Polonia. Etiam in Transilvaniam illatus est per Blandratam Italum medicum. In Belgium quoque Fœderatum, Angliam, aliaque regna se immisit, et magis semper serpsit, non quidem ubique sub Socinianorum nomine, sed eorum, qui postea exorti sunt, nimis multi, quoad religionem nihil aliud de se profitentium, quam lumen rationis, atque ideo etiam vocati sunt Rationalistæ. *pag.* 162

§. 26. Protestantes in Germania *appetiisse Concilium*, dum Imperialibus edictis urgerentur, et premerentur, est jam supra declaratum. Non aliam vero ob causam istud fecerant, quam ut executionem sententiæ, jam ab Leone X. in Lutherum, et ejus doctrinam latæ, morarentur, et tempore sibi dato, illam effugerent novis rebus adinventis. Illud quoque jam memoratum est, Clementem VII. isti petitioni cessisse, quod Carolus V. Imperator, spe se lactasset,

ista

ista ratione Protestantes compositum iri in Germania. Ad concilium autem non erat pronus Pontifex, eo quod illa, quæ jam judicata essent, et definita in anterioribus conciliis, non essent retractanda quasi adhuc incerta, et dubia: siquidem nec Lutheri, et Protestantium aliæ merces fuissent, quam protrusæ ab anterioribus errorum architectis, et ab Ecclesia jam damnatæ. Dumque iidem Protestantes vocem Ecclesiæ, emissam in anterioribus Conciliis, audire, et sequi noluerunt; poteratne sperari, ut proniores se præbeant decretis concilii, si quod aliud rursus de eorum placitis celebratum esset? Itaque hi simul atque intellexerunt, Concilium hoc, actum iri, illud recusare cœperunt; vel si tamen fieret ejusmodi conditiones ei apposuerunt, ut quamvis celebratum esset, tamen nullam erga ipsos vim haberet. Nam, decreta in eo facta, ut ipsos possint stringere, et obligare, dicebant esse contrarium Christianæ libertati, nempe ei, quam ipsi sibi sumpserant suo judicio statuendi, quid esset quasi secundum Evangelium credendum, et tenendum. *pag.* 170.

§. 27. Clemens VII. antequam indixisset Concilium, quemadmodum statuerat, mortuus est a. 1534. Itaque *Paulus III.* illud *indixit*, primumque Mantuam, deinde Vicentiam, ac demum cum impedimenta objecta essent, quo minus illic fieret, *Tridentum* erat indictum, quod tamen haberi nondum potuit. Bellum, quod impendebat Germaniæ a Turcis, impedimento erat. Renovata vero ejus indictio cum fuisset a. 1542. agi cœpit die 13. Decemb. 1545. Ejus octo sessiones cum habitæ fuissent Tridenti, ob serpentem illic morbum contagione noxium die 11. Mart.

Mart. 1547. Concilium translatum est *Bononiam*. Protestantes ad hoc usque tempus non tantum non venerant ulli ad Concilium, verum etiam illud, et Pontificem Romanum libellis satyricis, indecentibus picturis, in vulgum sparsis, traducebant, et probrosis dictis a se affectum irrisioni atque ludibrio habebant. Dum autem Bononiæ fit continuatio Concilii, Protestantes eruperunt ad illud bellum, quod per fœdus *Smalcaldicum* facere constituerunt. (Supra §. 11.) Sunt victi, et compressi, ut loco eodem, modo citato, demonstratum est. Carolus Imp. spe ductus fore, ut jam Protestantes postquam bellum tentassent, istudque non bene ipsis cessisset, faciliores se, et proniores præberent; Comitia Augustæ a. 1548. celebravit. In his donec decisio controversiarum per Concilium perfecta esset Protestantibus determinavit per libellum, dictum *Interim* in quantum ea, quæ sibi assumpserant, possent exequi, et exercere. In hoc Sacerdotibus, nempe iis, qui e Catholicis ad Lutheranos transierant, permissæ sunt uxores, et laicis communio sub utraque specie, nec cetera satis consona erant institutis, et doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ. Istum libellum non probaverat Romanus Pontifex, sed neque apud alios Catholicos bene audiebat, imo nequidem Protestantibus placebat.

Anno 1549. decessit Paulus III. eique successit *Julius III.* Paulus III. primus edidit Bullam coenæ Domini, quæ in Coena Domini singulis annis renovabatur usque ad Clementem XIV. qui hoc facere omisit, quod eam Principibus non placere vidisset. Julius vero illico Concilium Bononia *Tridentum* reduxit. Carolus Imperator

rur-

sus Comitia instituit Augustæ a. 1551. In his consensu omnium probatum fuit, ut tandem controversia componeretur Religionis, Ordinesque Imperii promiserant, se decreta Concilii cum reverentia suscepturos, et Oratores suos, atque Theologos ad Concilium missuros.

§. 28. Ab iis, qui ex Ordinibus Imperii Protestantes erant, qua sinceritate istud promiserint, quod modo dictum est, ex eo deinde apparuit. Appararunt denuo *bellum*, et quam occultissime, ut Carolum Imp. imparatum opprimerent: et quo magis illum fallerent, miserunt suos etiam Oratores, et Theologos ad Concilium: neque hi aliud ibi egerunt, quam ut conditionibus Concilio positis quomodo decisiones deberent fieri, negotium ducerent. Nam simul atque illud bellum inchoatum ab ipsis est; hi Oratores, et Theologi se se Tridento subduxerunt. Audierat Carolus, bellum moliri Protestantes: sed non crediderat ad hoc erupturos. Hi vero tanta celeritate usi sunt, ut nisi Oeniponto, ubi morabatur, discessisset Villacum, Oeniponto capto altera die, ipse quoque in manus Protestantium incidisset. In isto rerum statu Carolus Imp. *Passavii*, pacem cum Protestantibus iniit his conditionibus, ut Protestantes sinerentur suam exercere religionem, attamen intactam relinquentes Religionem Catholicam: quod si quidam Episcopi, et Prælati desciscerent ad Protestantes, bona eorum, manerent penes Ecclesiam Catholicam; Episcopi, et Prælati jurisdictioni spirituali suspensa in subditos Augustanæ Confessionis, in aliis autem causis eam obtinerent: bona Ecclesiastica jam occupata, in eo statu manerent, in quo erant tempore istius pacificationis; concessa quo-

que facultas emigrandi subditis est, domicilium causa religionis mutare volentibus. Hæc *Transactio*, dicta *Passaviensis*, confirmata est anno subsequente 1555. in Comitiis Augustanis. Carolus abdicavit se Imperio, illudque tradidit Ferdinando I. fratri, Hispaniam vero Philippo II. filio: ipse secessum petiit ad monasterium S. Justi in Extramadura Hispaniæ provincia. Dum bellum hoc ardere cœpisset, etiam Concilium interruptum est, neque nisi annis decem post resumptum. Julius III. Papa mortuus est a. 1555. *Marcellus II.* ei successerat, sed cujus Pontificatus erat nonnisi dierum duorum, et viginti *Paulus IV.* post hunc factus Pontifex est, et post Paulum IV. Pius IV. a 1559. Resumpto Concilio Pontifex Commendonum nuncium suum misit ad omnes Principes Germaniæ, etiam Protestantes, et ad liberas Imperii Civitates, invitans illos ad Concilium. Protestantes deliberarunt, num aliquos é suo numero deberent mittere, et quam e pluribus suæ fidei formulis his deberent dare, ad Concilium ferendam. Conventum est tandem post multam disceptationem, ut ituri secum ferrent Confessionem Augustanam. At vero quamvis statuissent Oratores, et Theologos suos mittere ad Concilium, hos tamen nullos miserunt. *pag.* 180.

§. 29. Ne tamen viderentur absque justis causis abstinuisse ab Oratoribus, et Theologis suis mittendis ad Concilium, *afferebant* deinde ejusmodi, quæ illis nondum videntur incidisse, quando istos statuerant mittere: hoc Tridentinum non esse legitimum Concilium, quia a Pontifice convocatum sit, non ab Imperatore, istudque debuisse in Germania celebrari, et in eo etiam laicis, non solis Episcopis jus suffragia ferendi esse, nec esse liberum, cui Romanus

Pon-

Pontifex præsideat, sed neque dignum, quod vel concilium Christianum nominetur, in quo decreta hominum pluris fierent, quam Verbum Dei; denique se conscientia etiam impediri ne se in coetum dent profanorum hominum.

In Concilio *actum est* de fide, et Reformatione. Quoad Fidem illa confirmata sunt, quæ impetebantur, et quæ a se abjecerant istius temporis Reformatores, quales se venditabant, qui istius reformationis signiferi erant. Est videlicet canon definitus Divinarum Scripturarum; est asserta auctoritas Divina Traditionibus Apostolicis; est doctrina exposita Catholica de peccato Originali, de Justificatione, de Gratia, de numero, et efficacia Sacramentorum, de partibus Sacramenti Pœnitentiæ, de Transubstantiatione Eucharistica, de Missæ sacrificio, de iis, quæ pertinent ad Matrimonium, de Imaginum sacrarum, et Reliquiarum usu, veneratione, et cultu, ipsorumque Sanctorum. Quoad *reformationem* tractata sunt, et proposita, quæ sint officia Episcoporum: et quoniam ab his factæ essent querelæ adversus rescripta, quæ Roma impetrentur; istud quoque ita temperatum est, ne iisdem Episcopis justa maneret causa querendi. Pariter quoad exemptiones, quæ a Sede Apostolica concessæ sunt Ordinibus Religiosorum, manente eadem exemptione, et limites positi sunt iisdem Ordinibus, et determinatum, quousque ad ea, quæ sunt eorumdem Ordinum, jus esset Episcopis se se intromittendi. Actum etiam est in Concilio de Communione sub utraque specie laicis concedenda. Res in utramque partem disputata ad Pontificem remissa est. Concessum est hoc deinde quibusdam, sed idem celeriter revoca-

 tum,

tum, dum hoc a Protestantibus ad seducendos etiam Catholicos tractum esset. Etiam de Cœlibatu submovendo a Clero erat tractatum. Andreas Duditsius Episcopus Tinniensis in Croatia, qui cum Georgio Draskovics Episcopo Quinque-Ecclesiensi, et Joanne Kolosváry Csanadiensi, ex Hungariæ Episcopis interfuit Concilio, pro hoc peroraverat. Suam vero causam egerat. Nam, dum non obtinuisset, quod quærebat, non tantum copulavit sibi Genisellam puellam in aula Regis Poloniæ honorariam, cujus amore jam captus erat, et quæ aliena a Religione Catholica, nec sub alia conditione, quam illius renunciationis consensum Duditsio in id, quod petierat, dare volebat. Concilium terminatum est die 4. Decemb. 1563. *pag.* 188.

§. 30. Concilii Tridentini solennis *promulgatio* facta est omnium primo Venetiis, in Italia, in Hispania, et ceteris omnibus ditionibus, ad Hispaniæ Regem pertinentibus, ut in regno Neapolitano, in Sicilia, in Belgio, nec non in Peruvia, et Mexicana in America, utpote regnis ejusdem regis Hispaniæ. Philippus II. in edicto, quo jussit ejus promulgationem fieri, addidit clausulam: *Salvis suis, regnique juribus.* Superfluum videtur istud fuisse. Neque enim Ecclesiæ est, aut ea vult jura violare Principum. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.* Eadem promulgatio facta est in Lusitania, in Gallia, sed in hac post aliquam moram. Obtendebatur, quædam illius statuta, antiquis Regni moribus esse dissentanea. *Nihil obsunt*, scribebat Leo IX. Papa ad Mich. Cerular. *saluti credentium diversæ pro loco, et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bo-*

bona, quæ potest, uni Deo commendat omnes. Attamen etiam in Gallia, similis ei, quæ in Hispania, addita est clausula. De Germania sic est scriptum a Richardo Tomul. II. Analys. Conc. *Germaniæ Principes Protestantes Concilium recipere renuerunt: at illud ab Imperatore Maximiliano II. quoad ejus peculiares ditiones, ac deinde ab universa Germania in Conventu Augustæ Vindelicorum a* 1566. *habito, receptum est.* In Polonia a. 1564. in conventu totius nationis Sigismundo III. Rege susceptum est omnium summa consensione. Quod ad Hungariam attinet, Continuator Fleurii refert ex Thuano a Pio V. missum esse Commendonum ad Archiepiscopum Coloniensem, qui eum hortaretur ad Concilium recipiendum cum aliorum, tum etiam Episcoporum Hungariæ, et Sarmatiæ. Hæc eadem est, quæ Polonia. Supra fuit a Maximiliano Imp. quoad ejus peculiares ditiones Concilium esse receptum. Inter has vero ditiones etiam erat Hungaria. *pag.* 196.

§. 31. Tam Lutherus, quam Calvinus, eorumque sectatores dictitabant, a se Religionem ad primævam puritatem revocatam esse. Catholici autem e contrario ipsis objiciebant, qnod Fidem, quæ semper viguit in Ecclesia, et vetera instituta Religionis novaverint. Ad id probandum, quod de se prædicabant, utrique recurrerunt ad Orientalem Ecclesiam, volentes ab hac obtinere comprobationem dogmatum, quæ quasi primævæ, nondumque corruptæ Ecclesiæ ipsi suscitaverint. Primi hoc Lutherani fecerunt *Tubingenses* a. 1575. negotium gubernante Martino Crusio. Hi cum misissent dogmata, quæ profiterentur ad Jeremiam Patriarcham Constantinopoli-

politanum; is dato brevi responso arguebat illos, quod vellent ultra illa sapere quæ crederet, et teneret tam vetus, quam nova Roma; deinde quomodo ipsorum doctrina possit esse consentanea Patrum, et primævorum Theologorum doctrinæ (hoc enim dicebant de se) qui traditioni Patrum nihil deferrent? Cum autem denuo istud fecissent et sua dogmata misissent ad eumdem Jeremiam, jamque argumentis instructa; ille libellum composuit, quem inscripsit: *Censura Ecclesiæ Orientalis*, et omnia Lutheranorum dogmata refutavit, iratus etiam ea de causa, quod audivisset, illos jactare, suam fidem esse consentaneam Orientalis Ecclesiæ fidei.

Calviniani autem idem istud in Belgio Foederato a 1630. fecerunt. *Cyrillus*, cognomine Lucaris peragratus erat Germaniam, et Genevam quoque venerat, ubi Calvini dogmata combibit. Ad hunc deinde, jamque factum Patriarcham Alexandrinum Calviniani Belgae suam Confessionem miserunt adprobationis causa, et tale responsum ab eo acceperunt, quale desiderarunt: idem præterea ad Patriarchatum Constantinopolitanum translatus, Confessionem fidei, quasi Orientalis Ecclesiæ plane conformem Confessioni Helveticæ iisdem Belgis miserat. Quam Confessionem hi velut totius Orientalis Ecclesiæ nomine a Cyrillo datam, typis ediderunt sæpius, jactantes suam fidem esse primævam, quam etiam Ecclesia tota Orientalis teneret. Cyrillus erat delatus, quod Cosacos instigasset ad Azecam urbem in ditione Turcarum prædandam. Quamobrem a Turcis strangulatus et ex Castro septem turrium ad Bosphorum Thraciæ præcipitatus est. *Cyrillus* Beroeensis, et post hunc *Parthenius* factus

est

est Patriarcha Constantinopolitanus. Qui synodum Constantinopoli a. 1642. celebravit, quæ illam Confessionem a Lucari missam, velut hæresibus refertam damnavit cum declaratione, numquam suam Ecclesiam talibus dogmatibus delusam esse. Hoc rursus factum in altera synodo Constantinopolitana a. 1672. quam celebravit *Dionysius* Patriarcha Constantinopolitanus, iterumque in synodo Jerosolymitana, quæ etiam Bethlehemitica vocatur, eodem anno a *Dositheo* Patriarcha Jerosolymitano celebrata. *pag.* 199.

§. 32. Antequam Lutherani, et Calviniani testimonium Græcis Orientalibus suæ cum illis in fide consensionis quæsivissent, iidem inter se conjunctionem quoad ea, quæ crederent, et profiterentur, concordiamque inire voluerunt. Ad hoc *Maulbruni* in Saxonia *conventum* instituerunt a. 1564. Lutheranis præsidebat Christophorus Dux Vittenbergensis, Calvinianis Fridericus Palatinus Elector. Incepit disputatio de sensu verborum: *Hoc est corpus meum.* Cum septem dies fuisset disputatum, et neutra pars alteri cedere voluisset, ad ejusmodi mutua convicia deventum est, ut uterque Præses illorum fugerit ex illo conventu nec ulterius itum in tentanda concordia sit. Erant Vittembergenses ministri ad Augustum Electorem Saxoniæ delati, quod non ita crederent, quemadmodum alii Lutherani. Quamobrem is Conventum *Dresdae* a. 1571. instituit eorum, quos Superintendentes vocant, et Theologorum non solum Saxoniæ, verum etiam quarumdam aliarum provinciarum Germaniæ. Hi *Formulam Consensus* confecerunt. At vero alii Lutherani hanc suscipere noluerunt: cumque iterum Torgavii in eadem Saxonia quindecim Theo-

lo-

logis idem Elector commisisset, ut formulam consensus elaborarent, istamque deinde ad omnes Germaniæ Principes misisset, non solum Lutheranos, verum etiam Calvinianos, et istorum etiam quisque per suos Theologos formulam istius consensus conficiendam curasset, prodierunt formulæ multæ, secumque pugnantes. Nihil erat propius, quam uti dissipatio totius Protestantismi sequeretur, eademque Calvinianismo metuenda esset.

Hoc illi videntes *Francofurti* ad Moenum a. 1577. rursus conventum instituerunt, quo nullus Protestantibus fuit celebrior, utpote, ad quem venerint Protestantes utriusque Confessionis ex Germania, Gallia, Anglia, Hungaria, Polonia, Belgio, Bohemia, et Helvetia. In hoc *formulam concordiae* confecerunt, quam miserunt ad omnes suas Ecclesias, ut harum quæque ad illam formulam adderet, vel ex ea deleret, aut in ea mutaret, prout hoc judicio suo faciendum censuisset, putantes sic tandem prodituram formulam, quæ omnibus placeret, et quam omnes adoptarent. Quidam tamen *Bergae*, locus est non longe a Magdeburgo, conceperant formulam, in quam credebant, consensuros ceteros omnes; quem *Librum concordiae* appellaverunt. Nihil vero minus. Quapropter per deridiculum iste liber ab Catholicis appellatus est *Concordia Protestantium discors.* Iterum tentata erat concordia, ejusque conciliatio inter Calvinianos, et Lutheranos Valpingi in Gallia a. 1603. In hoc conventu Confessio Calvinianorum in eadem Gallia præceteris probata est: statutum vero etiam, ut ei adderetur, Romanum Pontificem esse Antichristum. Nonnisi autem in hoc de Romano Pontifice stetit concordia. In reliquis autem dis-

dissensio mutua inter Lutheranos, et Calvinianos perduravit. Nec videtur silentio prætereundus tractatus habitus *Thorunii* in Prussia Polonica a. 1645. *Uladislaus IV.* Rex Poloniæ, videns, quanta mala in Germania peperisset discordia Religionis, voluit Lutheranos, et Calvinianos non tantum inter se, verum etiam cum Catholicis conciliare. A Calvinianis autem, et Lutheranis aberat longissime, ut quod Fides habet Catholica, vellent suscipere credendum, dum neque aliter coalescere possent cum Ecclesia Catholica. Hujus itaque spes cum nulla affulsisset, *Zbigneus*, qui primas tenebat inter Calvinianos, invitaverat Lutheranos, ut saltem ipsi cum Calvinianis vellent in unum corpus coire. Quod vero hi negarunt aliter posse fieri, quam si Calviniani abjuratis suis erroribus, pure amplecterentur Confessionem Augustanam. In synodo tamen *Carentoniana* in Normannia a. 1631. Calviniani Lutheranos complexi sunt velut fratres suos. Cum tamen iidem deinde a Lutherano, coenam Domini cum ipsis volente sumere exegissent, ut Lutherum prius abjuraret. Quapropter *Braunius* Lutheranus illam Carentonianæ synodi fraternam concordiam vocavit Cainianæ fraternitatis monumentum. *pag.* 206.

§. 33. *Unio*, ut eam vocarunt, Protestantium in Germania contra Catholicos, quam *Evangelicam* appellarunt, et contra hos *Liga* Catholica, dum illi non curata Transactione Passaviensi continuassent invadere, et occupare Bona Ecclesiastica. *Donavertani* Protestantes sua Catholicos spoliaverant Ecclesia, et procedentes ad supplicationem semel, atque iterum disturbaverant ipsis etiam armis. Moniti, cœptis tamen non de-

destiterunt. Quamobrem armis per Maximilianum Bavariæ Ducem coerciti sunt, et a Rudolpho II. Imp. libertate, juribusque Imperialis civitatis privati. Literae *Majestatis* ab eodem Rudolpho datæ erant Protestantibus in Bohemia, Silesia, Moravia, et Austria, ad libere exercendam suam religionem, ut pacarentur, et a turbis cessarent. Nec tamen contenti invadunt fundos Catholicorum, Pragæ ex fenestris Regiæ arcis præcipitant Regios ministros, insurguntque universi in eadem Bohemia, et excussa subjectione Ferdinando II. Regi, regnum Friderico Palatino deferunt, Gabriele Bethlen etiam Principe Transilvaniæ ad socianda secum arma vocato. A. 1620 die 8. Nov. ad Pragam victi sunt, et ad officium erga Ferdinandum Regem revocati. *pag.* 213.

§. 34. Pragæ tribunal a Ferdinando II. erat constitutum adversus rebellionis auctores. Pulsi ex Bohemia, et ex provinciis, in quibus rebellatum erat Protestantium ministri. Proscriptus ex Imperio Fridericus Palatinus, deinde tamen venia ei data. Is tamen rursus arma capit, et non tantum Principes Germaniæ, verum etiam Christiernum Daniæ Regem ad bellum concitat adversus Ferdinandum. Victus est denuo non tantum Fridericus, verum etiam Danus. Ferdinandus *edictum* facit de bonis Ecclesiasticis restituendis, quæ Protestantes occupaverant post Transactionem Passaviensem. Confœderantur rursus Protestantes. Suppetias accipiunt a Ludovico XIII. Rege Galliæ, et ab Adolpho Gustavo II. Rege Sveciæ. Cæsareus exercitus ad Lipsiam, et rursus ad Lutzenum in Misnia vincitur. Cadit vero in prælio Gustavus Rex Sveciæ. Anno 1634. ad Nördlingam a Cæsareis insignis victoria relata de hosti-

hostibus. Attamen resumunt vires opibus Galliæ Regis. Georgius Rakotzius I. Princeps Transilvaniæ etiam venit subsidio Protestantibus. Viribus utrinque attritis componitur pax dicta *Westphalica*, et tricennale bellum finitur. Hac pace parem Calviniani cum Lutheranis obtinuerunt religionis libertatem in Germania, multaque alia incommoda hæc secum traxerat pax. *pag.* 220.

§. 35. An ista quæ acta sunt a Protestantibus arma corripiendo adversus Catholicos, imo etiam contra Imperatorem insurgendo bene congruerint cum spiritu Evangelii, unde sibi nomen Evangelicorum adsciverant? Clemens XIII. Principibus Germaniæ, si reverterentur ad Religionem Catholicam, concedit, ut bona, si quæ tenerent Ecclesiastica, salva conscientia possint retinere. Complures etiam e Principibus, et literatis in Germania redeunt ad Ecclesiam, nominatimque *Philippus Dux Neoburgicus*, postquam instituisset colloquium suorum Theologorum cum Theologis Catholicis. *Gulielmus*, *Philippi Palatini filius*, hac ipsa disputatione, et succumbentibus Protestantibus deductus ad agnoscendam veritatem. *Ulricus Hunnius*, unus eorum, qui erat delectus ad disputandum cum Catholicis, *Joannes Veininger*, et alii ultra sexaginta nobiles Protestantes permoti eadem disputatione. *Ernestus* et *Georgius Christianus Hassiæ Landgravii*, *Christianus Augustus* Princeps Sulczbacensis, *Odoardus* Comes Palatinus, *Ulricus* Dux Wirtembergicus. *Friderico* II. Hasso-Castellano uxor, et liberi erepti sunt a suis Helveticæ Confessionis subditis, quod factus esset Catholicus; quin etiam e possessione aviticorum bonorum exturbare voluerant. Circumscriptus quoque *Augustus III.*
Ele-

Elector Saxoniæ, et *Carolus* Dux Wirtembergensis a suis subditis in Religione Catholica, quam erant amplexi. S. Francisci Salesii, S. Joannis Francisci Regis, S. Fidelis a Sigmarenga, et Petri Pazmanii bene navata opera in revocandis Lutheranis, et Calvinianis ad fidem Catholicam. Stephani de la Favergue, Calvini pronepos, ejurat Romæ Calvinismum. Vaticinium Lutheranorum, et Calvinistarum de Romani Pontificis, et omnium Catholicorum interitu. *pag.* 226.

§. 36. In *Americam* propagatur Christiana *Religio* per viros Apostolicos e Societate Jesu, e familia S. Dominici, et S. Francisci. Americani simulacra, quæ *Zemes* vocarunt, colebant humanis victimis. Brevi spatio, postquam detecta fuisset a. 1492. a. Cristophoro Columbo, et Americo Vespucio, jam a. 1532. fere sexcentos Episcopatus, totidemque Religiosorum domicilia numerabat America. Speciatim in *Mexicana*, quæ Americæ Septemtrionalis præcipua regio est, usque ad a. 1530. perhibentur plura, quam decies centena millia hominum baptizata, quingenta idolorum templa solo æquata; usque ad a. 1541. numerum Fidelium crevisse ad quadraginta milliones, scriptores memorant. Imprimis in *Paragvaya*, ubi Patres Societatis Jesu plantarunt Religionem, pietas Christiana, ultra, quam dici possit, effloruit. Iisdem fere temporibus in *Indiam Orientalem* pervenit Religio inprimis opera S. Francisci Xav. Japonum multis centenis millibus ad fidem Christi perductis; dum autem parat intrare ad Sinarum imperium, in insula *Sancianum* moritur. In *Japonia* per Bonzios, quo nomine Japones vocant sacrorum ministros dira in Christianos excitatur persecutio.

Hol-

Hollandi mercatores, religione Protestantes, ut Portugallos excludant ex Japonia, acuunt, et adjuvant furorem Japonum in Catholicos. *pag.* 236.

§. 37. Religionis Christianæ propagatio fit circa medium seculi decimi sexti etiam ad ipsum *Sinense Imperium.* Melchior Nunnius e S. J. primus eo penetravit nullo tamen fructu. Deinde alii ex eadem Societate jamque cum ejusmodi fructu, ut circa a. 1724. ad tercenta Christianorum Sinensium millia numerata sint, cum Sinenses ostensione scientiarum Astronomiæ, et Matheseos ad se allexissent. Sinenses unum Deum colunt, una tamen etiam primos suos Reges, et Sapientes veluti deos, illi uni Deo subjectos, omniumque præcipue ex his Confucium veterem suum philosophum, ejus simulacrum quod *Bagodes* vocant suffimentis, vini, sangvinis, et fructuum oblatione, aliisque cærimoniis colentes. Iidem progenitores suos domi etiam fere similiter colunt affixa tabella ad parietem cum eorum nominibus, quam sedem animæ vocant ejus, cujus nomen gerit. Cum inter *Missionarios* qui ex diversis Ordinibus Religiosorum erant, alii quasdam cærimonias Sinensibus, velut mere civiles, et innocuas reliquissent, alii sensissent non relinquendas esse, et controversia ad Sedem Apostolicam delata esset, ac primo Carolus Thomas de Tournon, deinde Car. Ambrosius Mediobarbus, Apostolici Visitatores missi in Sinas fuissent, Clemens XI. et Benedictus XIV. super illis ritibus declarationem fecerunt. Eadem super similibus ritibus in Malabaria controversia excitata est. Chang-Hi Sinensium Imperator prius bene affectus Christianis, Missionarios, qui illos ritus nollent ferre, pellit fere omnes e Sinis, Yum Chim

ejus

ejus filius, et successor in Imperio atrociorem movet in Christianos persecutionem. Post hujus obitum, jamque anno Imperii tertio, filius Rien-Song, qui ei successit, ab Josepho Emmanuele Rege Portugalliæ donis conciliatus, libertatem colendæ Religionis Christianis reddidit. *pag.* 247.

Ad Indos lumen Evangelii venisse per S. Thomam Apostolum, sed quod deinde exstinctum sit, est dictum in Institutionibus *Part.* I. *pag.* 98. *et Part. V. pag.* 245. Americanis autem ad istud usque tempus nihil lucis fulsit ex Evangelio, quod tamen statim a principio suæ prædicationis factæ per Apostolos sic in Asia, Europa, et Africa radices egit, et propagatum est, quemadmodum *Part. I.* §. 18. tam Institutionum, quam Epitomes demonstratum est. Historiographi nostri temporis imprimis ii, qui historiam Ecclesiasticam per periodos tractant, et quorum est magis argutari de rebus, quæ evenerunt, quam illas enarrare, causam istius magnæ, et celeris propagationis ponunt in eo, quod Evangelii annunciatio facta sit maxime opportuno tempore illis, quibus prædicatum est, quasi jam ex seipsis ad istud recipiendum bene dispositis. Itaque hi Deum volunt quasi speculatum esse, quonam tempore, deberet curare faciendam Evangelii promulgationem, ne succesu careret, et insuper istis, qui se dociles Evangelio præbuerunt, id, quod prius est, tribuunt, Deo autem, quod, posterius. *Avertat* (autem ait S. Augustinus lib. 2. contr. duas epistolas Pelagianor.) *Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus posteriorem ipsum: quoniam misericordia ejus præveniet me.* Quamobrem concilium Arausicanum II. *Si quis*, inquit *ut a peccato purgemur, voluntatem no-*

nostram Deum exspectare contendit, *non autem, ut etiam purgari velimus*, *per Sancti Spiritus infusionem, et operationem in nos fieri, confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti : Præparatur voluntas a Domino*, Proverb. 8. v. 35. juxta version. Latin. antiq. *et Apostolo salubriter prædicanti : Deus est*, *qui operatur in nobis et velle*, *et perficere pro bona voluntate*. Philip. 2. v. 13. Quapropter S. Thomas Q. 112. art. 2. *Nulla*, inquit, *præparatio requiritur ex parte hominis quasi præveniens Divinum auxilium*, *sed potius quæcumque præparatio in homine esse potest*, *est ex auxilio Dei moventis animum ad bonum*, *et secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum*, *est actus liberi arbitrii moti a Deo*. Sed neque etiam veritate nititur, quod iidem historiographi dicunt de illa dispositione in iis, qui ad primævam Evangelii prædicationem amplexi Religionem sunt tanti, tamque subito. Nam in Gentilibusne ista præparata voluntas et animus erga Religionem Christianam fuit, quam tot, tamque diris persecutionibus afflixerunt et funditus tollere voluerunt, vel in Judæis, qui Evangelio non tantum pervicacissime restiterunt, sed etiam ipsum Christum, odio Evangelii, quod ipsis prædicavit, interfecerunt? Deinde etiamne in Americanis Deo defuit opportunitas ad suum cultum illos perducendi usque ad seculum Ecclesiæ decimum sextum? et quænam etiam quoad istos præcessit tunc dispositio ad suscipiendam Religionem? De vocatione ad Fidem, solummodo Dei dono, ait S. Paulus : *Igitur non volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis est Dei*. Rom. 9. v. 16.

§. 58.

§. 38. Dum in Anglia Bibliorum defectus esset observatus, exorta est *societas* ad procurandam Bibliorum editionem, neque solum pro Anglia, et versionis Anglicanæ, verum etiam in omnes alias totius orbis terrarum lingvas, eum in finem, ut hæc Biblia deinde sparsa in omnes gentes, istae ex eorum lectione adducerentur ad Christi Religionem, Evangelicæ lucis ad hoc usque tempus expertes. Anglos æmulabantur alibi quoque ubique Protestantes, ita ut brevi 480 numerarentur ejusmodi Biblicæ societates. His favebant plures etiam Principes. At vero Pius VII. Pontifex istas Bibliorum versiones non probaverat: datisque literis monuit Episcopos, ut vigilarent, ne hæ versiones possent serpere, quæ utpote infideliter ab heterodoxis factæ non in bonum cederent orthodoxæ Religionis.

Sectæ rursus aliæ exortæ sunt *Illuminatorum* in Hispania a. 1575. et hinc serpserat in alias etiam provincias, celeriter tamen oppressa. Hi omnem vim Religionis ponentes in contemplatione rerum Divinarum, contempserant omnia alia, et licentiam sibi sumpserant patrandi omnia obscoenissima. Secta *Rationalistarum* in Anglia a. 1680. qui statuerant, nihil aliud esse credendum, et sequendum in Religione, quam quod quisque sibi posuisset suo judicio tenendum: ipsorumque Turcarum religionem dicebant Deo esse acceptam, et salutiferam. Secta *Levitarum Spiritus sancti* a. 1724. ex Hogonotis prognata in Gallia. Horum conventicula, utpote, in quibus res dictu etiam foedissimæ perpetrarentur, non tulit Ludovicus XV. Rex Galliæ, emigrandi autem in alias regiones facultatem ipsis concessit. Secta *Pietistarum* a. 1731. Protestantium germen.

In-

ternas solummodo revelationes de se jactabant, omnia externa Religionis respuebant, ipsum etiam Baptismum, neque ipsis Principibus subjecti manere volebant. Quamobrem ab ipsis Principibus tametsi Protestantibus compressi ubique locorum sunt. Secta *Herrenhuterorum* a. 1737. in Germania exorta auctore Comite Ludovico Zinzendorff. Negant, Scripturam sacram esse errorum immunem, docent, Christum fuisse purum hominem, nec aliud dari peccatum, quam non credere in Christum. Strictam tamen inter se observant disciplinam. Multi eorum sunt etiam in America. Secta *Fratrum Isenburgensium* a. 1739. Hi ex Illuminatis descendentes, quos fuisse in Hispania paulo ante dictum est, cum se recepissent in Germaniam, ferebant se divinitus esse inspiratos, et venditabant pro Prophetis. *Henricus Jansan* quoque ex Lutherano factus Calvinista, ac deinde Calvini quoque placitis rejectis suo sibi ingenio aliam formavit religionem, abjecta fide de SS. Trinitate, et divinitate Christi docuit, quidquid homo ageret, non posse esse peccatum, attamen et ipse asseclas amplius nongentos nactus est. Libertinos se vocitabant. *pag.* 256.

§. 39. Status religionis apud Protestantes is nunc est, ut quemadmodum statim a principio dissentire ab invicem cœperint, ita in hac dissensione semper magis processerint, dum apud eos cuique libertas datur, ea quæ velit credere, suo sibi constituendi arbitrio, istudque prædicent velut ingens bonum, quod adepti sint per suam reformationem. Anno 1817. G. J. Plank unus ex eorum Theologis libro etiam in publicum emisso istud palam professus est. Eichhornius quoque docet, sibi Lutheranis religionis unitatem non

esse, sed neque esse debere. Idem aliorum etiam testimoniis æque Protestantium constat: quin in publicis etiam concionibus Indifferentismum asserunt. Hinc iidem in Germania delapsi ad ipsum Naturalismum sunt, de quo adhuc postea tractabitur. *pag.* 265.

§. 40. Romani Pontifices post Pium IV. vita functum erant *S. Pius V.* a. 1566. Hujus statuta sunt de Ritibus tam a Latinis, quam Græcis suæ Ecclesiæ observandis, de medicis, et contra taurorum spectacula. *Gregorius XIII.* a. 1572. per quem correctio Calendarii facta est. *Sixtus V.* a. 1585. Severus in coeercendis latrociniis, aliisque facinoribus. *Urbanus VII.* a. 1590. Gregorius XIV. Innocentius IX. quorum Pontificatus admodum brevis fuit. *Clemens VIII.* a. 1592. Hujus quanta pietas fuerit, dum jubilæum Romæ a. 1600. celebratum esset. *Leo XI.* a. 1605. Hoc mortuo post Pontificatus dies 29. *Paulus V.* qui interdicto Ecclesiastico subjecit Rempublicam Venetam. *Gregorius XV.* a. 1621. *Urbanus VIII.* a. 1623. Cardinalibus, et quibusdam aliis titulum Eminentissimi concessit. *Innocentius X.* a. 1644. *Alexander VII.* a. 1655. *Clemens IX.* a. 1667. cujus in pauperes ingens fuit beneficentia. *Clemens X.* a. 1669. *Innocentius XI.* a. 1676. *Alexander VIII.* a. 1689. *Innocentius XII.* a. 1691. *Clemens XI.* a. 1700. Difficillime induci potuit ad suscipiendum Pontificatum. *Innocentius XIII.* a. 1721. *Benedictus XIII.* a. 1724. *Clemens XII.* a. 1730. *Benedictus XIV.* a. 1740. Statuta ipsius adversus Sacerdotes nexos cum pœnitente in crimine contra sextum Decalogi præceptum, et sollicitantes pœnitentem in sacro tribunali ad simile crimen. *Clemens XIII.* a. 1758. renovavit, et con-

confirmavit titulum Regis Apostolici Mariæ Theresiæ, et successoribus. *Clemens XIV.* a. 1769. *pag.* 269.

§. 41. Michael *Bajus* Professor Lovaniensis primum in schola inter docendum quasdam sententias proposuerat. Quarum octo, et decem Facultas Theologica Parisiensis errore affectas esse judicavit. Easdem deinde libris etiam, quos composuerat, conatus est tueri. Has vero ad se delatas S. Pius V. et Gregorius XIII. damnavit numero novem, et septvaginta, liberum hominis arbitrium, gratiam Christi et pia Opera maximam partem respicientes. Bajus se reverenter subjecit sententiæ Apostolicæ Sedis. Tres propositiones *Leonardi Lessii*, et Joannis Hamelii Lovanii Professorum, Scripturam sacram attingentes, academia Lovaniensis, et Duacensis habebat pro non rectis: etiam Episcopi Belgii parabant de his facere judicium. Sixtus V. jussit hos abstinere ab judicio, et Apostolicæ Sedis super iis exspectare decisionem. Theologi circa a. 1656. exorti sunt dicti alii *molles* et laxi, alii *duri*, et rigidi. Molles etiam Casuistæ sunt appellati, quod doctrinam suam ad mores laxandos per casus a se excogitatos proponerent. Tam horum, quam alterorum rigidæ sententiæ confixæ sunt per Romanos Pontifices. Sub initium seculi 17. *disputationes* exortæ sunt inter Theologos, licitumne esset in concursu duarum opinionum de bonitate actionis, sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam, vel vero probabiliorem, et an tutiorem semper oporteret sequi. Illi Probabilistæ, hi Probabilioristæ sunt vocati. Disputatio alia circa finem ejusdem seculi 17. erat de Peccato philosophico, cui Franci-

scus Meunier occasionem dederat. Michael *Molinos* Quietistarum auctor a quiete sic dictorum, quam de se profiterentur, et qua habita crederent nihili curanda esse quæcunque Religionis officia, præterea nihil jam ipsis imputari pro peccato, quamcunque rem egissent, quantumvis spurcissimam. Josephus Beccarelli Brixiensis in simili etiam errore deprehensus est. Franciscus Fenelon Archiepiscopus Cameracensis in Gallia ejusdem quietis Molinosiæ particeps e libro suo detectus cum fuisset, ejusque sententiæ a Sede Apostolica damnatæ, errorem suum prompte deposuit. *pag.* 279.

§. 42. Ludovicus *Molina* e S. I. a. 1588. librum ediderat *de Gratia Dei cum libero arbitrio in nobis ad salutem cooperante.* Fratres Ordinis Prædicatorum adversus hunc insurrexerunt tamquam in quo sic asseratur hominis liberum arbitrium, ut Gratiæ Divinæ efficacitas non maneat. Cum Molina adjutores nactus esset etiam alios sui Ordinis, idemque factum esset a Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut junctis viribus negotium agerent, in horumque partes ex aliis etiam Ordinibus, et academiis plures concessissent; ferventissimæ exortæ sunt disputationes. Re ad Apostolicam Sedem delata habitæ sunt Congregationes, quibus nomen datum est de *Auxiliis*, sub Clemente VII. numero octo, et sub Paulo V. sedecim. Re ad finem perducta, idem Paulus utrique parti injunxit, ne altera alteram aliqua nota damnationis afficeret, declaravitque in suspenso sententiam, quæ decreta jam sit, tentum iri, promulgandam autem, dum hoc e re futurum, visum fuerit. Molinæ sententiam, quæ efficaciam gratiæ constituit in consensu voluntatis, temperavit de-

deinde Franciscus Svaraz ejusdem Societatis Jesu, in Deo ponendo scientiam, quam *Mediam* appellavit, per quam Deus videns, quo tempore effectum habitura esset gratia, isto hanc ei det, cui eam vult dare. Congruistarum hæc sententia vocata est. *pag.* 288.

§. 43. Cornelius *Jansenius* librum composuerat, cui nomen *Augustinus* indiderat, quasi quo complexus sit doctrinam ejusdem S. Augustini, ejus edendi curam Reginaldo Capellano suo morti vicinus commiserat. Liber, postquam Jansenius obiisset, statim est editus, tametsi Urbanus VIII. suppressam ejus impressionem habere voluisset. Defensores autem istius libri afferebant, quidquid fieret adversus hunc librum, idem tendere contra Augustinum. Nicolaus Cornet Syndicus Facultatis Theologicæ in academia Parisiensi septem propositiones ex libro Jansenii excerptas ad Innocentium X. successorem Urbani VIII. misit, e quibus is quinque damnavit: quæ Jansenii quinque famosæ propositiones sunt. Nemo ausus est patronorum Jansenii dicere, istas esse immerito damnatas; sed illud repererunt, ut dicerent, has propositiones in eo sensu, in quo damnatæ sint, non haberi in libro Jansenii; præterea utrum hæ reipsa exstent in libro Jansenii, esse rem facti: in qua vero re facti nec Pontificis Romani, neque universalis Ecclesiæ judicium, et decisionem esse infallibilitate præditam. Anno 1654. Præsules Gallicani Parisiis congregati investigationem instituerunt, num istæ propositiones continerentur in libro Jansenii, dumque sic esse, reperissent; formulam præscripserunt, qua ii, qui pro Jansenio stabant, profiterentur, se illas propositiones damnare, idque ut contentas etiam in libro Janse-

nii.

nii. Accesserat etiam Alexandri VII. declaratio de illis propositionibus, quæ omnino in libro Jansenii contineantur. Neque tamen formulæ a Gallicanis Episcopis præscriptæ subscribere fautores Jansenii voluerunt, tametsi ad hoc etiam a Rege urgerentur. Quamobrem ipse Alexander VII. formulam præscripsit, qua iidem adigebantur ad profitendum, dato etiam jurejurando, se damnare illas propositiones ex Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas in sensu ab eodem auctore intento. Alii ex Jansenianis paratos se dicebant ad subscribendum in condemnationem illarum propositionum, sed non etiam quoad illud, istas contineri Jansenii illo libro, inter quos etiam erant quatuor Episcopi, qui factionis Jansenianæ etiam deinceps præcipui erant duces. Alii etiam subscripserunt cum silentio, quod *Religiosum* appellabant, quo tegerent, qua mente subscriberent. Cum illis autem quatuor, jam alii etiam Episcopi unde viginti se junxerant. Horum unus Archiepiscopus Senonensis, ceteris consilium dedit, ut subscriberent, attamen etiam in alia charta testarentur, se quidem quoad dogma corde, atque ore consensum dare, quoad factum vero nonnisi externam reverentiam. Hac dissimulatione creditum fuit, totam rem esse compositam, et pacem redditam, quæ *Clementina* fuit appellata a Clemente IX. sub quo istud factum erat. *pag.* 293.

§. 44. Cum illi ipsi deinde, qui cum religioso illo silentio Formulæ subscripserant, hunc subscribendi modum de se jactassent, et apparuisset, nonnisi fucatum, et mendax fuisse, quod fecerant; cito pax illa Clementina evanuit. Quamobrem ipse etiam Ludovicus XIV. resumpsit se-

ve-

veritatem ad coercendos Jansenianos, quorum alios exilio mulctavit, alios carceribus mandavit. *Casum* deinde *conscientiae*, excogitarunt iidem, quo Clericum induxerunt, usum illo silentio, et libros legentem in defensionem Jansenii, quamvis sciret istorum lectionem a Romano Pontifice esse prohibitam, atque hunc Sorbonæ doctoribus solvendum proposuerunt, quærentes, utrum iste Clericus, perstans in sua mente, absolvi in sacro tribunali posset. Affirmarunt quadraginta Sorbonæ doctores, et quidam etiam Episcopi. At vero Episcopi alii negarunt, nominatimque Ludovicus Noailles Archiepiscopus Parisiensis. Eamdem sententiam proscripsit Clemens XI. Ludovicus quoque Rex adegit Sorbonam ad decisionem illam retractandam: quod illa etiam præstitit, decernens insuper, eos, qui subscribere detrectarent, ex albo Doctorum deletum iri. Ceteri omnes subscripserunt præter Eliam Dupinum, et alios tres, qui a Rege acti in exilium sunt. Claustrum quoque Monialium Portus Regii, quod nollent subscribere, eodem Rege jubente dissipatum est, ipsis muris etiam disjectis. Bullam Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth*, qua sententia jam prius a Sede Apostolica lata in Jansenianos confirmabatur, Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus a. 1705. more solenni suscepit. In Belgio quoque, paucis exceptis, formulæ Alexandri VII. subscripserunt omnes. Adversus illud Jansenistarum effugium, quo distingvebant dogma, et factum dogmaticum, atque ad illud solum, non ad hoc etiam dijudicandum dicentium Ecclesiæ esse auctoritatem, insurgunt plures scriptis, et inprimis academia Duacena, et illorum assertionem refellunt, errorisque condemnant. *pag.* 299.

§. 45.

§. 45. Jansenismi *origo* non constitit in hac quæstione, illæ quinque propositiones, reapsene sint ab Jansenio assertæ in libro *Augustinus:* sed iste nunc tantum proserpebat, conceptus jam ante Burgofonte a. 1621. ab iis, quæ Jansenismum formaverant sex primaria illius capita, e quibus etiam Cornelius Jansenius erat. Hi rem eo direxerant, ut dogma de redemptione humani generis per Christum tollerent: siquidem, ut illi dicebant, salus hominum nonnisi a Dei gratia penderet, idque quasi secundum doctrinam ipsius S. Augustini, quod idem etiam fecerant adversus auctoritatem Romani Pontificis, hunc sibi quasi murum struendo adversus ea, quæ non prævidere non poterant proditura decreta ab Apostolica Sede, suis moliminibus contraria. Res hæc eo magis patuit per occupata scripta *Eliaé Dupini*, atque epistolas, quarum is commercium exercebat cum Cantuariensi Archiepiscopo Anglicanæ religionis. Tota namque spectabat ad Christianæ religionis subversionem, et ad inducendum Naturalismum. *pag.* 308.

§. 46. Paschasius *Quesnellus* per suum librum Reflexionum Moralium in Novum testamentum instaurat Jansenismum, sic artificiose compositum, et in speciem pietatem præseferentem, ut multi deciperentur etiam ex Episcopis, atque ipse etiam Ludovicus Noallius Cardinalis, et Archiepiscopus Parisiensis suis illum literis ad dioecesim datis commendaverit. At vero is Romæ a Clemente XI. die 13. Julii 1708. tamquam doctrinam continens perniciosam, et hæresim Jansenianam sapientem, damnatus est. Hoc Breve Apostolicum susceptum est a plerisque Episcopis Galliæ obsequenter. Duo Episcopi

pi Rupellensis, et Lucionensis etiam per Pastorales suas prohibuerunt illarum Reflexionum lectionem. Hæ Pastorales Parisios perlatæ sunt, et a bibliopola per schedam in publicis locis affixæ, atque in ipsis etiam ædibus, ut moris erat, Archiepiscopi Parisiensis: quæ res hunc vehementissime affecerat, utpote qui illas Reflexiones laudaverit, et commendaverit. Plures Episcopi ut tuerentur famam Noallii, patrocinabantur ipsis etiam Reflexionibus, quasi quæ non meruerint damnari. Episcopi tam ii, qui pro Reflexionibus stabant, quam illi, qui contra, atque ipse etiam Ludovicus XIV. petierunt a Romano Pontifice, ut distinctius ea exponeret, propter quæ librum Quesnelli damnaverit. Hoc Clemens XI. præstitit, et die 8. Sept. 1713. bullam edidit quæ incipit: *Unigenitus Filius Dei:* in qua propositiones centum, et unam ex eodem libro excerptas exhibuit, quas damnaverit, non tamen eodem damnationis stigmate affectas omnes. In Synodo totius Cleri Gallicani die 16. Octob. 1713. deliberatum est, bulla *Unigenitus* esset ne pure, et simpliciter suscipienda, vel sic, ut apponatur, ea quæ essent damnata per hanc in libro Quesnelli, tamen posse habere alium etiam sensum. Vicit autem contraria sententia. In Sorbona quoque suffragantium multo majore numero eadem obedienter suscepta bulla est. Mors Ludovici XIV. cum accidisset a. 1715. et Philippus Dux Aurelianensis Ludovico XV. adhuc puero, regnum administrasset, isque remisisset ab ea severitate, qua Ludovicus institerat susceptioni bullæ, quod lenitate se plus profecturum sperasset, resumpserunt animos Quesnelliani, atque ipsa etiam Sorbona resiliit a bullæ susceptione, ad-

adversus eam appellationem ad generale Concilium fecerunt. *pag.* 315.

§. 47. Bulla vero *Unigenitus* in Germania, Italia, Hispania, Portugallia, Polonia, et quocumque pervenerat, reverenter est suscepta. Etiam plures Academiæ eamdem propugnabant. De ejus susceptione per totam Germaniam testimonium perhibuit Primas Germaniæ Franc. Antonius Harrach in literis ad Henricum Bissy Cardinalem, et Episcopum Meldensem. Carolus VI. Imperator idem de omnibus suis ditionibus testatus est in suo rescripto ad Episcopum Andegavensem. Josephus II. Imperator postea tamen voluit in scholis solummodo exponi solam historiam istius Bullæ sine aliqua assertione in utramvis partem. *Clemens XI.* excommunicationem tulit in omnes, qui contra ejus Bullam adpellaverant ad generale concilium. Ludovicus XV. Rex per suum edictum imposuerat silentium utrique parti usque ad futurum generale concilium: sed neque istud observare volebant Quesnelliani, et Sorbona contrariis thesibus in disputationibus publicis oppugnare pergebat Bullam, etiam Regiæ Curiæ plures (Parlamenta vulgo dicuntur) ipsa etiam Parisiensis refragabatur illi edicto Regis. Tandem *Noailliu s* gravi infirmitate correptus, nec spem habens longioris vitæ, quippe jam prope octogenarius, per codicillum revocavit suam appellationem: sed cum se recollegisset, Quesnelliani eum studebant retinere in proposito appellationis. Ille vero videns, quam res prope esset ad totius Galliæ convulsionem, perstitit in suæ appellationis revocatione, datis etiam ad Romanum Pontificem Benedictum XIII. literis. Undique idcirco ab ipso etiam Rege Ludo-

dovico factæ ei sunt gratulationes. Noaillio paulo post mortuo etiam Carolus Ventimiglia illius in Archiepiscopatu successor strenue laboravit in eodem negotio. Sorbona quoque se subjecit Bullæ. Ad Parlamentum Parisiense, nondum cedere volens, ipse Rex ivit, et Bullæ acceptationem in tabulas referri jussit. *pag.* 325.

§. 48. *Quesnelliani* ad sectam suam fulciendam, et provehendam *miracula* comminiscebantur ad sepulcra, et per invocationem eorum qui strenui defensores Jansenianismi, et Quesnellianismi atque in hoc perstantes erant mortui. Hoc fecerant ad sepulcrum Gerhardi Rousse Canonici, hoc ad sepulcrum Francisci de Paris Diaconi, et Hieronymi. Tametsi vero detectæ essent fraudes, tamen illa prodigia eam fidem invenerant, ut se factio Quesnelliana iterum magnopere attolleret. Cum Episcopi, et Parochi Quesnellianis moribundis renuissent Sacramenta administrare, recursus iterum factus est Romam ad Benedictum XIV. non solum ab Episcopis, verum etiam a Rege. Pontifex docuit, qua ratione agendum esset jam illo extremo tempore cum suspecto super bulla *Unigenitus* cui renitatur, admodum benigna. In Gallia videbatur emarcere Jansenismus. At vero ex illo, velut semine, pullulavit ea subversio Religionis, quæ deinde secuta est, et quo Jansenismum tetendisse jam supra §. 45. demonstratum est. In Hollandia autem sub nomine *Parvæ Ecclesiæ* perstat etiam nunc publica professio ejusdem Jansenismi. Habent ibi Janseniani unum Archiepiscopum, et duos Episcopos. *pag.* 333.

§. 49.

§. 49. Cum Reges Galliæ *reditus* vacantium *beneficiorum* Ecclesiasticorum jam sibi applicuissent, sed nondum ubique, Ludovicus vero XIV. in his sibi retinendis ulterius processisset, multaque in nominationibus ad beneficia adversus priorem morem contigisssent, pluresque Episcopi reclamassent, vis autem ejusmodi adhibita esset; ut Joannes Cerles, Vicarius generalis Capitularis Apamiæ, damnatus ad gladium sit, et cum fuga elapsus esset, ejus simulacrum veste Ecclesiastica, et superpelliceo indutum ad furcam appensum sit, eo, quod Vicariatum suum tuitus esset adversus Vicarium alium, illegitime intrusum. Dum autem hinc non tantum Cleri, verum etiam populi ingens offensio secuta fuisset; Rex indixit a. 1681. *Cleri* generalem *conventum* Parisios. In hoc quoad jus *Regalium* decisio facta est in favorem Regis. At vero Innocentius XI. hanc decisionem Episcoporum rescidit. Altero anno subsequente 1682. denuo Rex Episcopos convocavit: sed ex 130. Episcopis, quos habebat Gallia, nonnisi quatuor, et triginta. In hoc conventu famosæ quatuor propositiones conceptæ sunt, quæ *Declaratio* Cleri Gallicani appellabatur. Etiam vero contra hanc declarationem iterum Innocentius XI. Breve ediderat. Eidem declarationi adversabantur aliarum regionum Episcopi, et improbabant, ipse etiam Georgius Szeleptsényi Primas Hungariæ. Ad literas Alexandri VIII. Pontificis Ludovicus idem Rex declarationem illam revocavit, atque in irritum misit. Episcopi quoque, qui illam declarationem fecerant, dolorem suum in literis ad Pontificem testati, eidem declarationi, quasi neque facta fuisset unquam, renunciarunt. *pag.* 340.

§. 50.

§. 50. Sorbona Declarationi Cleri Gallicani, de qua fuit sermo superiore §pho, fortissime se se opposuerat, et eadem, cum inter Acta Sorbonæ nonnisi per vim esset illata, deinde ex iisdem Actis erat sublata. Attamen Doctores ejusdem Sorbonæ brevi postea sententias illius declarationis cœperunt defendere suis etiam libellis, in vulgum sparsis. Erant inter eos, quemadmodum supra vidimus, multi principiis initiati Jansenismi, quæ quorsum tetenderint, est jam pariter declaratum. Ista vero ex Gallia etiam propagata erant in Germaniam. *Justinus Febronius*, vero nomine Nicolaus de Hontheim Suffraganeus Archiepiscopi Trevirensis eum in finem, quemadmodum ipse professus erat, ut Protestantes ad Ecclesiam Catholicam revocaret librum a. 1763. edidit: *De Statu Ecclesiæ, et legitima potestate Romani Pontificis.* In hoc asseruit, potestatem regendæ Ecclesiæ esse a Christo collatam ipsi Ecclesiæ, cujus tantummodo vices in administranda potestate hac Episcopi, atque ipse etiam Romanus Pontifex gerant: idem in potestate posuit omnes Episcopos esse æquales, et Romanum Pontificem, eum, quem inter hos Primatum gerat, non aliunde etiam habere, quam ab Ecclesia, et quem eadem Ecclesia ei, quandocumque placeret, possit auferre, et in alterius cujuscunque loci Episcopum transferre. Statim anno altero, postquam prodiit, hunc Febronii librum *Clemens XIII.* confixit. Idem ab aliis etiam Episcopis factum est permultis, etiam academiæ insurrexerunt adversus eumdem, calamos quoque undique viri docti strinxerunt contra illum. Febronius vero pergebat aliis super aliis libellis, pariter sub ficto nomine editis, tueri sententias sui libri. Clemens *Wenceslaus* Ele-

ctor.

ctor, et Archiepiscopus Trevirensis, tandem subodoratus Hontheimum suum Suffraganeum esse opificem istius Febroniani libri, cum illum comiter, et benigne appellasset, expertus est nimis modestum, et monitis suis statim obsequentem. Itaque literis etiam suis a. 1778. datis ad Pium VI. revocavit, et retractavit suas assertiones. In hac retractatione sua ipse Hontheimus exposuit, cur ipsius ille liber tam cupidos lectores, tamque pronos in suas sententias nactus sit, illud fuisse, *Quod novitatem spirassent, et excutiendæ Pontificiæ auctoritati ansam possent præbere.* Unde factum etiam est, ut quod avide arreptum est; idem neque velint dimittere ii, qui sententias Febronii etiam nunc mordicus tenent. *pag.* 349.

§. 51. Dum Romani Pontifices legatos suos jam identidem misissent ad Imperatores Constantinopolim in negotiis Ecclesiæ, *S. Leo*, cognomento Magnus, Pontificum primus erat, qui Julianum, Episcopum Coensem in aula Marciani Imperatoris habuerit, residentem, et quod fiebat etiam postea non tantum in aula Imperatorum, verum etiam aliorum Principum. *Apocrisiarii*, vel Responsales hi antiquitus vocabantur, deinde vero nomen iis datum est Nunciorum Apostolicorum. Post Concilium Tridentinum tres ejusmodi Nunciaturæ in Germania enatæ erant. Ad hos Nuncios causæ deferebantur, quæ secus deferri Romam debuissent, resque spectabant ad eorum facilitatem, et commodum, qui ad Sedem Apostolicam appellare volebant. Eo autem etiam hæ Nunciaturæ a Romanis Pontificibus dirigebantur, ut per hos Nuncios admonerentur, si quid ejusmodi contingeret, in quo cavendum,

et

et providendum esset Religioni: quod quam necessarium fuerit in Oriente præsertim, nemo ignorat, qui vel a limine historiam salutavit Ecclesiasticam. Romano vero Pontifici, cui in Sancto Petro dictum a Christo est: *Pasce oves meas*, incumbit excubare, et vigilare pro toto grege. Acciderat casus in Germania, ut is, qui Spiræ inter Canonicos officium Decani gesserat *Augustus* e Comitibus Styrum hocce Decani munere privaretur ab Canonicorum Collegio, repositus vero sit per Archiepiscopum Moguntinum *Frid. Carolum* de Erthal, ad quem appellaverat. At vero adversus hanc Moguntini Archiepiscopi sententiam Collegium Canonicorum, atque ipse etiam Episcopus Spirensis appellaverat ad Sedem Apostolicam. Hoc vero impatientissime ferens Archiepiscopus Moguntinus erexit se contra appellationes omnes e Germania ad Sedem Apostolicam, et contra Nunciaturas in Germania, in suasque partes etiam traxit *Clementem Wenceslaum* Archiepiscopum Trevirensem, *Maximilianum* Archiducem Archiepiscopum Coloniensem, et Hieronymum Colloredo Archiepiscopum Salisburgensem.

Dum a. 1764. Josephus II. eligeretur Rex Romanorum, concitatore eodem Moguntino, *actum* erat de *Nunciaturis*, et appellationibus e Germania ad Sedem Apostolicam prohibendis. Refragabantur vero ipsi etiam Protestantes, eo quod paci Westphalicæ, ubi constitutum sit, ut jura sua cuilibet Religioni integra manerent, adversaretur. Non eo minus iidem Archiepiscopi induxerunt Josephum II. ut Nunciis Apostolicis in Germania omnem potestatem interdiceret. Dum autem ad tres priores Nunciaturas adhuc etiam quar-

quarta accessisset in Bavaria ad petitionem Theodori Electoris, et iidem Archiepiscopi a Pio VI. quæsivissent, quid juris, et potestatis iste Nuncius novus habiturus esset; Pius istis respondit, adjuncto etiam volumine, in quo et jus Nunciaturarum, et appellationum suæ Sedi Apostolicæ vindicavit, idque adversus multas etiam scriptiones contra auctoritatem Romani Pontificis, in Germania procusas, et *conventiculum* ab iisdem Archiepiscopis *Emsiae* celebratum, in quo statuta fecerant ad Primatum Romani Pontificis penitus convellendum. Leopoldus II. dum Francofurti a. 1790. Rex Romanorum inauguraretur juxta formulam jurisjurandi sibi propositam spopondit, se id effectum daturum, quod in comitiis Ratisbonensibus de Nunciaturis factum judicium esset. Ille brevi mortuus est. Bella á Gallis Germaniæ illata aliorsum converterunt Germanorum mentes: sed neque Episcopi Germaniæ volebant consentire in eam subjectionem suorum Archiepiscoporum, ut ab his facultatem appellandi ad Apostolicam Sedem non retineant. Demum ipsi hi Archiepiscopi sibi arrogantes majora, quam ipsis competerent, amiserunt, Gallis prævalentibus in Germania, sua omnia. *pag.* 361.

§. 52. Nunciaturae Apostolicæ in aliis etiam regnis, et provinciis passæ sunt incommoda. *Leopoldus* Dux Magnus Hetruriæ *Nuncio* declaravit, se se illum deinceps nonnisi pro Status Ecclesiastici politico ministro habiturum. In Hispania quoque, Portugallia, et Neapolitano regno non erat Nunciis ea permissa auctoritas, quam prius exercebant. Febronius suo illo libro de Statu Ecclesiæ, et legitima potestate Romani Pontifi-

tificis omnes etiam seculares Principes concitaverat adversus eumdem Romanum Pontificem. Novam formam daturus regimini Ecclesiastico in Hetruria Magnus illius Dux imperavit Episcopis, ut synodum quisque diœcesanam celebrarent, argumenta rerum, quinquaginta septem capitibus comprehensa eis mittens, ut de his deliberarent. Solus tamen *Scipio de Ricci*, Episcopus Pistoriensis hanc *synodum* celebravit die 18. Sept. 1786. ceteri omnes citra synodum sensa sua super iis, quæ deliberationis gratia missa ad eos erant, declararunt. In synodo autem Pistoriensi istiusmodi statuta facta sunt: Nullis aliis diebus, quantumvis festis, nisi præcise solis Dominicis, ut abstineatur labore servili; Ecclesia quælibet, ut altare nonnisi habeat unum; Casuum conscientiae nulla ut sit reservatio, ut plura his similia prætereami. Innovabantur quoque sententiæ, et assertiones jam antea in Jansenio, Bajo, Quesnello, imo etiam Luthero, et Calvino damnatæ. Idem Magnus Dux provincialem etiam totius Hetruriæ synodum parabat celebrare. Omnes Episcopi Hetruriæ Florentiam convocati propositis sibi rebus, de quibus Magnus Dux agi volebat in synodo, quam in mente habebat, in his non convenerunt. Qua de causa abstinuit ab illa etiam Synodo. Pistoriensem vero synodum Pius VI. die 28. Aug. 1795. confixit, in Riccium quoque depositionis ex Episcopatu sententiam constituit, quo tamen cedere eousque noluit, donec a Ferdinando, qui Leopoldo patri successerat in Magno Ducatu Hetruriæ, ad hoc adactus fuisset. *pag.* 371.

§. 53. *Debes incunctanter advertere*, scribebat S. Leo M. ad Leonem Imp. Epist. 125. *Re-*

giam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam. Accidit vero his temporibus, ut pluribus in locis ultra mensuram quoad negotia Religionis suæ excesserint potestatis; quam utique a Deo acceperunt, a quo omnis potestas est, *Rom.* 13. *v.* 1. in ædificationem, et non in destructionem. 2. Cor. 13. v. 10. Febronius huc illis viam panderat. At vero quibusdam in locis hi suam potestatem ita exercere inceperunt, ut potestatem Ecclesiasticam vigere noluerint, atque in Religionis institutis, quæcunque ipsis viderentur, abolere, et novare adgrederentur, ipsius etiam Romani Pontificis non curata auctoritate. Hoc *Respublica Veneta* egerat, quamdiu mansit Respublica: cum illius libertate desierunt etiam ipsius novitates. In Hetruria, in qua supra jam vidimus Pistoriensem synodum, plura egerat Leopoldus Magnus Dux admodum utilia Religioni: dum autem, nec aliter par est credere, quam bona voluntate, se ductui permisit suorum consiliariorum, et credebat suæ potestatis esse, mutare Ecclesiæ instituta, multa non bene ceciderunt. Dum Josepho II. fratri suo mortuo a. 1790. successisset in omnibus provinciis hæreditariis Augustissimæ Domus Austriacæ, ipsi vero in Hetruria Ferdinandus filius; desitum etiam hic est ab iis, quæ erant novata. Nec provinciæ ceteræ hæreditariæ Domus Austriacæ, atque ipsa etiam Hungaria mansit expers istarum novationum. *Josephus II.* excelsi animi princeps erat, in quo jam puero exsplendescebat talis indoles, ut omnes ab eo sperarent omnia. Non deerant autem a quibus ei canerentur in aurem similia iis, quæ cantata etiam alibi, et inprimis in Gallia, inimica erant Religioni, sic vero colorata, ut speciem præ-

præseferrent magnæ utilitatis, atque boni. Non poterant hi subversores Religionis Josephum labefacere in Religione: attamen eo valuit ipsorum conatus, ut quod videret fieri jam alibi, ipse etiam Imperium adeptus, vellet idem, quasi bonum perficere in suis regnis, et ditionibus. *Pius VI.* Pontifex, spe magna ductus pro eo, quem noverat Josephi animum, effecturum se, ut a cœptis desistat, ipse die 22. Martii a. 1782. venit Viennam. At vero iidem, qui ei auctores ad novitates erant, eumdem induxerant, ne Imperator vel ad sermonem de iis, quorum causa Pontifex Viennam venerat, se vellet cum eodem Pontifice immittere. Cum Josephi autem obitu, qui quando acciderit, jam paulo ante dictum est, emarcuerunt novitates etiam in his Augustæ Domus Austriacæ ditionibus. *pag.* 386.

§. 54. Dum ista fierent, quæ modo exposita sunt in Statu Veneto, in Hetruria, Austriacisque ditionibus, jam in Gallia sæviebat tempestas, quæ spectabat ad ipsam subversionem omnis Religionis, per Deismum, et qui hinc, procedendo semper ulterius, evasit in ipsum etiam Atheismum. Jamque istis etiam in Gallia præluserant plures alii alibi. Petrus Pomponatius Mantuanus a. 1525. mortuus negaverat animæ immortalitatem, Dei providentiam, et irrisioni totam Religionem habuit. Idem fecerunt Andreas Cæsalpinus, et Cæsar Cremonini, Pomponatii discipuli. Ejusdem furfuris erat Benedictus Spinoza, docens, Deum esse non aliud, quam materiam, unde mundus, et omnia, quæ in eo sunt constent. Istud, quod Spinoza habuit, *Pantheismus* dictus est, quod Cæsar Cremonini, *Materialismus*, utpote, qui poneret animam hominis esse

materialem. His similes erant quidam etiam alii. Inprimis autem Deismi et Naturalismi merces ex Anglia venerant in Galliam. Circa medium seculi decimi septimi inducta in Angliam morum dissolutione deventum erat ad Religionis ipsius revelatæ abnegationem. Primas egerat Bollingbrokius: post hunc proximi erant Tollandus, Collinsius, Tindalius, Wollstanius, ut ceteros prætereram. Ex istis vero etiam Voltairus, Deistarum in Gallia princeps, et Deismi propagator præcipuus suxit errores suos. Sed hunc præcucurrerant in ipsa Gallia jam ipsi etiam Athei, Lucilius Vanini, et Stephanus Doletus, ambo idcirco vivi exusti in eadem Gallia. *pag.* 387.

§. 55. In Gallia autem Deismus, et Naturalismus facile conceperat, cum jam per Jansenismum illa huc præparata esset. *Voltairus* cum petulantissimis suis scriptis plures turpiter læsisset, et infamasset, ideoque jam ad Bastil missus fuisset, sæpiusque verberibus mulctatus, et ne denuo ad Bastil mitteretur, in Hollandiam, hinc vero in Angliam aufugisset, ibique libros, qui a Deistis in Anglia erant confecti, evolvisset, Deismumque ex his hausisset, eumdem reversus in Galliam spargere, et propagare instituit, sociis Alemberto, Dideroto, Damilavilleo, De Villevieilleo, et Helvetio, ipso quoque Friderico II. Rege Borussiæ, adjutricem manum Voltaero porrigente. Voltaerus irrepserat in Sorbonam, ejusque socius Diderot, quorum auctoritas ita deinde crevit in eadem Sorbona, ut nec munia illius, et dignitates, nec laurea doctoratus aliis, quam quibus isti faverent, conferretur. Præter eam cujusVoltaerus erat antesignanus, aliæ adhuc duæ erant Deistarum factiones, quarum alterius Joan.

Ja-

Jacobus *Rousseau* erat caput, alterius Franciscus *Quesnay*, quæ tertia etiam Oeconomistarum societas appellabatur. Earum quælibet habebat aliquid singulare; attamen omnes tres in id conspiraverant, ut tam Ecclesiasticam, quam Regiam potestatem subverterent. *pag.* 393.

§. 56. Deistæ dicti sunt *Clubbistae* a Gallico *Clubb*, quod conventiculum significat, et cujusmodi conventicula solebant instituere, itemque *Jacobini* ab eo illorum Clubb, quod habebant Parisiis in claustro Dominicanorum in platea, quæ S. Jacobi appellatur. Propagarunt societatem suam per Encyclopaediam, nec non per libros adversus Religionem, et Regiam potestatem directe scriptos; et per folia volantia, aliisque multis modis. Neque tantum in Gallia, verum etiam per alias omnes Europæ regiones eumdem Deismum disseminabant. Sicque hi Philosophi, istos enim se Deistæ vocabant, suspiciebantur ubique, ut viri Principes, et nobiles, male prospectum crederent educationi filiorum suorum, nisi quempiam ex eorum numero, et ex Gallia accersivissent. Iidem Deistæ ad celeriores alas addendas suæ sectæ, se se cum Liberis *Murariis* consociarunt. Hæc Murariorum liberorum societas enata est in Anglia, sed non satis certum, quo tempore, et auctore. Ex Anglia venerat in Galliam, et in alias Europæ provincias. Quocunque irrepserant, suspecti erant propter secreta conventicula: iidem jure jurando se se obstringebant ad arcana suæ societatis nemini pandenda. Ipsi de suis rebus aliquos libellos vulgaverant: sed non credebatur istis. Quomodo enim ultro explicuissent suas merces, qui se jure jurando solerent obstringere ad earum silen-

lentium, et apud quos violator istius silentii severissime puniretur, atque etiam mortis pœna plecteretur? Hanc societatem Regibus non fuisse propitiam inde cognosci potest, quod antequam Petrus III. Russorum Imperator a. 1762. throno, atque vita exutus esset, jam in Murariorum liberorum uno loge hoc adversus eum constitutum fuerit. Eorundem Murariorum consilia tendebant etiam ad tollendam e mundo omnem Religionem: quippe, qui dum assumerentur in societatem; et jusjurandum darent, super coronam alteram pedem collocarent, adversus alteram vero in ara positam dextra gladium vibrarent. Ingolstadii in Germania a. 1776. cum auctore Adamo Weishaupt, Professore Juris Ecclesiastici nova rursus societas exsurrexisset *Illuminatorum* (Aufgeklärte) quod ipsi sibi nomen sumpserant, atque ista se liberis Murariis primum consociasset, hi vero cum Deistis in unam societatem coivissent; Illuminati quoque ista ratione in unum corpus cum Deistis commigrarunt. In Gallia istis nomen jam Clubbistarum, jam Jacobinorum erat datum, in Germania autem Illuminati vocabantur, et quo nomine, utpote, quod ipsi sibi indiderant, etiam superbirent. *pag.* 400.

§. 57. In arce S. Clodoaldi, loco ex primariis uno, in quibus conventicula Deistae agitabant, cujus magnus Magister Philippus Dux Aurelianensis erat, *erupit* eorumdem Deistarum *conjuratio*, Parisiis autem deinde die 14. Julii a. 1789. jam palam populo explicata est, una eodem populo ad seditionem concitato. Idemque factum est alibi ubique in Gallia, in ipsis etiam Ecclesiis, et concionibus ad populum. Quæ dum fierent, jam ille nationis conventus erat incho-

choatus, de quo mox sequetur. Voltairus jam vita functus non perceperat oculis fructum istius rei, cujus ipse sator erat, neque primi ejus socii Alembert, et Diderot, pariter jam mortui. Omnes hi tres pœnitentiam, morte jam fores pulsante, indicabant, et Sacerdotem habere cupiebant; quem vero nequitia suorum sociorum obtinere non potuerant. Voltaerus præsertim cum summa desperatione decessit. *Comitia*, et conventum totius nationis ad diem 5. Maji 1789. Rex indixit, deliberandi causa, qua ratione populus levari posset tributis, quibus se nimiopere gravatum quereretur. In hoc Conventu omnium primo tertius status civium, primum Clerus, alterum nobilitas constituebat in Gallia, petebat, ut ipse solus tantum valeret auctoritate suffragiorum, quantum duo reliqui status conjunctim. Rex assensum præbuit inconsulte. Agitur deinde de tollenda Religione, tanquam cum ea neque libertas possit componi. Rex vult Conventum dissolvere; nihil boni ex eo sperans. Parent duo priores status, Cleri, et Nobilium. Opponit vero se tertius civium status, supremam potestatem dicens apud se esse, et insistit continuando conventui. Idem in hoc adimit bona non tantum Clero, verum etiam ipsi Regi, tantumque pensiones iisdem decernuntur. Conditur etiam *nova* regiminis *constitutio* de æqualitate omnium inter se, et ad jus jurandum de ea recipienda adiguntur omnes. Episcopi, et Parochi, qui subscribere renuerunt, ejiciuntur ex Episcopatibus, et Parochiis. Novos Episcopos, et Presbyteros ordinat Car. Mauritius Talleyrand Episcopus Augustodunensis (Autün.) At vero Pius VI. die 13. April. 1791. damnavit omnes has Ordinationes, præterea Episcopos, et Presbyteros, qui jus-jurandum dederant de servan-

vanda Constitutione, suspendit ab exercitio Ordinis, nisi intra quadraginta dies jusjurandum, a se datum, retractassent. *pag.* 410.

§. 58. Conventus idem, qui illam Constitutionem fecerat, et qui hinc dictus est *Constitutorius*, se deinde posuit esse *legiferum* nec tantum ad sancienda ea, quæ spectant ad negotia civilia, verum etiam Religionis, et Ecclesiæ, ipsique Romano Pontifici decreverat, nullam deberi subjectionem. Non enim aliud Ecclesiæ caput esse, quam Christum. Hunc autem ipsum, quem aliquem videbantur adhuc tenere sensum Religionis, abjecerunt etiam brevi penitus. Cum prius tantum privatio beneficiorum fuisset decreta in eos, qui ex Clero noluissent jurare Coustitutionem, jam nunc statuta in eos poena carcerum est, et exilii, mox vero in illos actum est etiam capitali poena, et crudelissimis suppliciis. Qui expulsi e regno sunt, aut sponte emigrarunt, ubique, quo venerant, magna humanitate, et benignitate suscepti sunt, in ipsa etiam Anglia. Rex deteriora metuens tentaverat fugam cum Regina cum filio Delphino, filia, et sorore: fratres, aliique ejus cognati jam se ex regno subduxerant. Interceptus vero et retractus ex fuga est, Parisiosque reductus, et ad arcem Tuillerien positus. Die 20. Junii 1792. turba hominum collecta e plebe amplius bis mille, ductore Santerre, coctore cerevisiæ, et pro vexillo habens perticæ appensas laceras caligas, et cor bovis sangvinolentum cum inscriptione: *Cor aristocratiæ, et subversio Tyranni* in arcem irrupit, Regemque interfecisset, nisi illum, qui circumsteterant ministri, etiam objectu sui corporis defendissent, atque vibratos in eum gladiorum ictus rejecissent.

Nec

Necdum duo menses intercesserant, et nova ag-
gresio facta est ad Regem cum tota familia Regia
e medio tollendum. Ille cum Regina, et reliqua
familia sua fugit ad Conventum nationis. Ubi ei,
postquam indignissime insultatum esset, abroga-
ta dignitas Regia, isque cum familia sua Regia
ad turrim quamdam conclusus est. Die postea
11. et 26. Decemb. tamquam capitalis criminis
reus productus ad Conventum est, judiciumque
de eo institutum, quo damnatus die 21. Januar.
anni subsequentis illo ferali mortis instrumento,
quod *Guillotine* appellarunt, caput ei amputatum
est. Brevi intervallo post Regina quoque eum-
dem casum subiit. Sed et Philippum Ducem Au-
relianensem non diu morata eadem pœna est, pro-
ditorem Regiæ familiæ, et teterrimæ, sceleratis-
simæque conjurationis auctorem, et machinato-
rem præcipuum. Affectaverat ipse dignitatem Re-
giam. Hoc cum observatum fuisset, capitis da-
mnatus est. *pag.* 416.

§. 59. Galli rebelles *novam* condunt *Con-
stitutionem*, qua Rempublicam sibi formant
una prohibendo, et exterminando, omnem Re-
ligionem, ipsumque etiam Deum abnegando. at-
que in hujus locum *Rationen*, quæ inest ho-
mini, substituendo. Consecratur velut quædam
divinitas hæc ratio, puella assumpta, et super, al-
tare collocata, ad repræsentandam deam hanc
rationis. Compelluntur Sacerdotes ad professio-
nem faciendam, omne, quod docuerint de Re-
ligione, fuisse non nisi fraudem, et deceptionem,
nec defuerunt, qui hanc præstiterint. In Deum
publice ex cathedris evomuntur horrendæ blas-
phemiæ. In derisionem Religionis festum cele-
bratur asino circumducto casula sacerdotali in-
du-

duto, cumque libro Evangeliorum ad caudam appenso, quod festum asinorum appellarunt. Iidem Ecclesiam S. Genovevæ Parisiis in Pantheon verterunt, in quo exuviæ ponerentur eorum, qui principes jam fuerunt istius religionis, quam sibi Galli assumpserunt, aut deinceps ad eam firmandam, et roborandam aliquid heroicæ virtutis edidissent. Tuendæ vero, et vindicandæ libertati, quam sanxerant, constituerunt judices, atque vindices Robespierreum, Maratum, et Dantonem: qui deinde crudelitate inaudita grassabantur in eos, in quibus indicium aliquod alicujus religionis, et signum advertissent, vel de quibus suspicionem habuissent, adhuc inesse ipsis aliquam religionem, neque tantum Catholicam, sed etiam aliam quamcunque. Horum sangvine, et immanissimis cædibus itaque redundavit Gallia tota. Quin ex carnibus etiam occisorum sibi fecerant fercula, et cibos. Jamque ipsos Jacobinos satietas, et tædium subierat istius tantæ crudelitatis; atque effusi sangvinis. Itaque Robespier cum septem aliis, quos præcipuos habuit administros suæ crudelitatis, tyrannidis incusatus ad illud genus supplicii, quod Guillotineum fuit dictum, condemnatus est. Maratum ex his jam paulo ante puella Charlotte, non ferens illius sævitiam, et miserata tot innocentes, quos ille peremerat, adacto in ventrem ferro sustulit, seipsam devovens exitio. Danton tertius ex illis triumviris judicibus æque capite minutus est. *pag.* 424.

§. 60. His sublatis triumviris, ipse etiam desiit triumviratus, successit autem ei *Regimen consulare*, quod sibi constituerunt Galli, constans e viris quinque, quos Directores appel-

pellarunt. Mox vero, et istis potestatem abrogarunt, et tres Consules crearunt die 15. Decemb. 1799. quorum primus fuit *Napoleo Bonaparte.* Gallis non erat satis, regiam apud se sustulisse dignitatem, et induxisse rempublicam, verum etiam ad idem faciendum instigabant omnes alios populos, suamque ad hoc missis in omnes partes excercitibus suam ipsis promiserant operam, atque vires. Hinc bella enata undique. Jamque multi ubique locorum ex libris Deistarum Gallorum virus hauserant effrænæ libertatis adversus ipsam etiam Religionem. Iidem Galli *Tribunatum* etiam instituerant, atque vim pecuniæ ingentem contulerant ad Deismum propagandum, et ad seditiones excitandas adversus Reges, et Principes. Quapropter multis in locis suscipiebantur non velut hostes, sed tanquam amici, et benefactores. *Pius VI.* cum ad provincias Status Ecclesiastici tuendas se quoque confoederasset cum aliis Principibus, succubuisset autem viribus Gallorum, pacem coactus est redimere vi ingenti pecuniæ, et plura e suis provinciis cedendo. Galli vero *Cisalpinam Parthenopeam*, et *Romanam* instituerunt rempublicam. At vero hæ nonnisi nomine erant respublicæ, oppressæ in tantum exactionibus, ut cum eas ferre non possent, contra Gallos rebellaverint. Quod cum factum esset etiam a Romanis, Galli vero iterum viribus prævaluissent, ab his Pius VI. exutus omnibus ditionibus suis est, jamque grandævus, annumque agens secundum, et octogesimum, atque etiam affectus ægra valetudine deportatus est in Galliam, ubi Valentiæ in Delphinatu die 29. Aug. 1799. obiit. *pag.* 433.

§. 61.

§. 61. Per Austriacos, et Russos, Gallis victis tota erat recuperata Italia. In hoc rerum statu Cardinales convenerunt Venetiis, et die 14. Mart. 1800. elegerunt *Pium VII.* qui die 3. Julii eodem anno Romam intravit, postquam etiam Romani renunciassent suæ reipublicæ. Bonaparte adhuc erat tantummodo dux exercitus, et erat tum in Aegypto, quam quærebat Gallis subjicere, sed nullo successu. Reversus, et factus *primus Consul* bellum adversus Italiam instauravit, et victor ad Marengo denuo Italiam sub Gallorum potestatem redegit. Etiam in Germania duce Moreau victi a Gallis sunt contra eosdem Gallos confœderati Germaniæ Principes. Per pacem, quæ secuta est Lunaevillensem, Gallis omnia usque ad Rhenum cesserunt. Principes Germaniæ, qui ditiones suas trans Rhenum habuerunt, in istarum compensationem acceperunt bona Episcopatuum, Abbatiarum, et istius generis alia in Rheni citeriore parte sita. *pag.* 438.

§. 62. Parisiis a. 1797. *Synodus* facta est illorum Episcoporum, et Parochorum, qui Constitutionem juraverunt primam a conventu Gallico factam. Erant ad hanc invitati etiam Episcopi, qui illud jusjurandum non dederant: qui vero venire, seque cum istis sociare noluerunt. Iidem cum deinde statuta sua ad Pium VI. misissent, nullum ab eo responsum obtinuerunt. Nam sublatis triumviris Robespierreo, et ejus collegis, cessatum etiam erat ab insectatione eorum, qui Religioni manserant addicti, et imprimis iis Sacerdotibus concessa erat libera illius professio, qui Constitutionem juraverant. Postquam autem Consulare regimen inductum est, per Consules Religioni Catholicæ etiam rediit plena libertas. Bona-

na-

naparte Consul primus *Concordatum* cum Pio VII. facit die 15. Julii a. 1801. quoad Religionis negotia. Idem, cum jam Consul factus fuisset perpetuus, scivit ita dextre rem tractare, ut Imperatoria etiam dignitas ei collata sit, cum jure eam in posteros transmittendi hæreditario. Ejus invitatu Pius VII. Parisios venit ad eum coronandum Imperatorem. Mediolani ferream coronam ipse capiti suo imposuit, seque Regem Italiæ fecit. *pag.* 441.

§. 63. Bonaparte Pontifici mittit postulata, eique denunciat, se Romam occupaturum, nisi illis postulatis acquievisset. Is causas exposuit, cur salva conscientia istud facere non possit. Bonaparte missis copiis occupat Romam. Hispaniæ Regem ponit Josephum fratrem suum, Carolo IV. Rege, et Josepho ejus filio submotis. Ferdinandum IV. Siciliæ utriusque Regem pariter exturbat e regno, illudque post Josephum ad regnum Hispaniæ occupandum missum, Joachimo Murat affini suo confert, similiter alibi facit. Fœdus condit Rhenanum. *pag.* 445.

§. 64. *Galli* duce Miollis *Romam* occupant. Castrum S. Angeli, palatium Quirinale, in quo residebat Pontifex, custodiis, et vigiliis cingunt, præsidiaque per omnia publica Urbis loca disponunt, abducunt a Pontifice negotiorum administros, ipsos etiam Cardinales, et scrinia, in quibus scripta conservabantur, effringunt, atque scripta auferunt, et per Urbem grassantur, grassandique licentiam omnibus dant, plebem quoque ad arma capienda adversus Pontificem sollicitant. Iidem invadunt provincias Urbini, Marchiæ, et Camerini, in Patrimonio S. Petri eji-

ejiciunt e claustris Religiosos, et sacras Virgines, vexant Clerum, et Episcopos laicorum potestati subjiciunt. Adversum ista tam Romæ, quam in provinciis Status Ecclesiastici acta, Pius VII. intercedit. Nihil vero proficit: refellit ea quoque omnia, quæ Bonaparte afferebat, atque unde jus sibi asserebat, ditionibus suis Pontificem exuendi. Pontifex opponit minas excommunicationis, atque eam etiam fert die 10. Junii 1809. *pag.* 449.

§. 65. Nocte quæ diem 6. Julii 1809. antecesserat, *Radetus* Generalis cum manu militum per fenestram effractam *irrumpit* ad palatium Quirinale, atque perfracto etiam muro penetrat ad conclave Summi Pontificis, et per eamdem fenestram illum educit, et currui impositum avehit. Quod ubi mane observatum Romæ est, moeror, et triste silentium fit tota urbe. Devectus est Savonam civitatem Liguriæ. Fit confluxus ad eum populorum, quacunque ibat. Nec in itinere, nec Savonæ quidquam acceptat a Bonaparteo, et Gallis: sed vitam sustentat iis, quæ ei gratuito erant oblata a Christi fidelibus. Savonæ ita servatur, ut cum nemine, nisi Gallo præsente, et ad hoc officium designato loqui posset: quin charta quoque, atramentum, et calamus ei ablata sunt. *pag.* 457.

§. 66. Supra §. 63. facta est mentio Postulatorum, in quæ Pius VII. Bonaparteo suum dare consensum noluerit. Petebat inter alia, ut Gallia suum Patriarcham habeat, non pendentem in potestate a Romano Pontifice. Hoc cum per consensum Pii VII. obtinere non potuisset, quæsivit via alia. *Concilium* Episcoporum totius

tius Galliæ, et Italiæ convocavit Parisios ad diem 9. Junii 1811. E centum, et sex partim Archiepiscopis partim Episcopis constitit, inter quos sex etiam Cardinales erant. Concilio præsedit Josephus Fesch Napoleonis avunculus Archiepiscopus Lugdunensis, et Cardinalis. Pius VII. renuit confirmare eos, qui erant nominati ad Episcopatum, donec libertati esset redditus, qui captivus etiam tunc tenebatur, nec tantum in Gallia, verum etiam alibi. Per hoc Concilium volebat statui, ut quamvis Pontifex sibi præsentatos noluisset confirmare, illi tamen consecrari possent, et obtinere Episcopatum. Super hoc cum Episcoporum judicium exquisivisset, hi autem declaravissent, ultra suam potestatem esse istud decidere, Concilium dissolvit, quatuor etiam Episcopis, qui maxime refragabantur in eam partem responsum dare, in quam istud voluisset Bonaparte, ad arcem Vincennes, eo jubente, ductis, et in carcerem positis. Tentaverat deinde Episcopos seorsim ut quem desiderabat, ab his assensum obtineret. Cumque res sic ei processisset, rursus Episcopos jussit convenire ad *concilium*. Hi secundum ea fecerunt statuta, quæ volebat Bonaparte, non tamen alia ratione, quam si ista approbasset Romanus Pontifex. Missi sunt ipsius etiam Bonaparte nomine Savonam ad Pium VII. novem partim Archiepiscopi, partim Episcopi, una cum sex Cardinalibus. Episcopi, functi legatione, Parisios non redierunt, sed quisque ad suam dioecesim reversus est, manifesto indicio, quod sibi cavere voluerint, ne cum nuncio alio, quam Napoleo exspectabat, in ejus conspectum venirent. *pag.* 462.

§. 67. Napoleo *bellum* intulit *Russis* ob portus apertos Anglorum navibus. Priusquam iret in expeditionem hanc, *Pium VII.* Savona curavit transferendum ad *Fontem Bellaqueum*, arcem in Gallia, edictum quoque fecit adversus incolas territorii Romani cujuscunque Ordinis, detrectantes ejurare fidelitatem Romano Pontifici. Jam Moscuam Bonaparte ceperat, et ingressus erat die 15. Sept. a. 1812. Quam vero relinquere coactus est, et reverti pressus rerum omnium summa inopia, Moscua incensa per Russum, et rebus omnibus etiam ex cuncta vicinia abactis. Ingenti frigore, quod subsecutum est, et inedia totus fere periit Gallorum exercitus. *Bonaparte* postquam rediit Parisios, ad *Pontificem* venit, conatusque est eum inducere ad consensum dandum iis, quæ volebat sanciri per Concilium illud, a se ante convocatum, de quo jam dictum est. Promisit Pontifex, se ei largiturum, quidquid potuerit, sed deliberaturum prius de his in consistorio cum Cardinalibus. Bonaparte autem per omnem Galliam, et Italiam promulgavit Pontificem consensum dedisse in illa postulata. Hic vero literis ad omnes Archiepiscopos, et Episcopos datis, declaravit, illum consensum se non dedisse, ipsi quoque Bonaparteo scripsit, questus de illius non bona fide. Bello instaurato, contra Imperatorem Russorum cum inter hunc, et Imperatorem Austriæ, Regem Borussiæ, aliosque Germaniæ Principes initum adversus Bonaparte fuisset fœdus, ille ad *Lipsiam* victus est die 18. Octobr. a. 1813. Iidem Confœderati veniunt usque Parisios. Bonaparteo abrogatur dignitas Imperatoria, et ad Regiam dignitatem reponitur familia Bourbonica, Pius quoque VII. in libertatem asseritur, et Romam revertitur. Bona-

par-

parte ad Elbam insulam relegatur. Unde erumpens Galliam invadit, et dignitatem Imperatoriam denuo. At vero a confœderatis Principibus rursum devictus, ad insulam S. Helenæ deportatur, et sub custodia ibidem Anglorum servatur, ubi die 5. Maji 1821. vitæ cursum peregit. *pag.* 475.

§. 68. *Deismus* ex Gallia transit in *Germaniam*, in Borussiaque primum, et Marchionatu Brandeburgico invenit receptaculum, et Deistæ, qui se in Germania *Illuminatos* appellabant, primique Protestantes erant, excutiunt frena ipsius etiam Lutheranismi, præseferentes nonnisi puram secundum rationem religionem. Nanciscuntur asseclas etiam e Catholicis. Propagatio Deismi fit per *Bibliothecam* Universalem Germaniæ a. 1766. Friderico *Nicolai* ejus præside. Excogitatur etiam nova phraseologia ad novos indendos sensus verbis, et sententiis Scripturæ. *Harlemi* in Hollandia (nam ex Germania ulterius etiam serpserat contagio proseminandi Deismum per Scripturæ interpretationem, repertam a Germanis) præmium fert, qui edito libello inficiatus est vera vaticinia de Christo. *pag.* 483.

§. 69. Iidem *Illuminati* ejusmodi *libros* procuderunt, quibus etiam artem interpretandi vellent docere. Horum præcipui, Eichhornius, Wilhelmus Rau, David Michaelis, Joannis Salomo Semler, et Fridericus Bahrdt. Iidem assumpserunt etiam lingvas Hebrææ lingvæ cognatas, et jactabant harum subsidio se as-

assecutos esse usum, et morem loquendi, qui fuerit antiquis Hebræis, atque una etiam rectam librorum Scripturæ sacræ significationem. *pag.* 489.

§. 70. Laurentius *Isenbiehl* vaticinium: *Ecce Virgo concipiet*, Isa. 7. v. 14. secundum eam interpretationem, quam ex Michaelisio hauserat, edit, et vulgat Moguntiæ. Joannes *Jahn* æque in Universitate Vindobonensi interpretationem Scripturæ sacræ amplectitur, quam literati Germaniæ nostri temporis fecerunt Protestantes in Germania, et quam inprimis ex Michaelisio suxit, Eichhornio, et Carolo Rosenmüllero, istiusque scholiis in libros Canonicos Veter. Testamenti. Idem inventum hoc magis etiam excoluit eum in finem, ut Catholicis etiam fieret ad imitandum proclivius. Inhibetur a suis sententiis cum assertione proponendis. Serpit nihilominus ejus doctrina, et diffunditur. *pag.* 493.

§. 71. Hæc sapientia Scripturæ S. interpretandæ etiam in Hungariam illapsa est, maxime per libros Jahnii. Cui vero statim restitum est etiam editis, et in publicum emissis operibus. Eamdem doctrinam Præsules Hungariæ ad tribunal suum, et judicium vocarunt, nec serpere siverunt. Libri Jahnii per Rescriptum etiam Regium amandati sunt ex prælectionibus in scholis Theologicis per totam Hungariam. Iidem inter libros prohibitos relati sunt etiam per Censuram Romanam. Cura fuit Synodo quoque Episcoporum Hungariæ, ne novæ istius literaturæ sententiæ serpere possent. *pag.* 500.

§. 72.

§. 72. Prodiit tamen in publicum Anonymus ad vindicandas sententias Jahnii, vindiciis illarum adornatis: quæ tametsi Lipsiæ in Saxonia typis excusæ fuerint; tamen partus fuerunt editus in Hungaria, neque tam Jahnium, quam seipsum Vindex studuit defendere adversum eos, a quibus impetebatur ob male olentem doctrinam, utpote, qui suas sententias ejusmodi conatus sit tueri, quas neque Jahnius duxerit ferendas esse: atque ubi etiam Jahnii defensorem agit, ab eo Jahnius non juvetur. Neque enim ad difficultates respondet nisi perplexe; atque verbis ita contortis, ut vix intelligi possit, quid dicere velit, dumque errores Jahnii, et assertiones falsæ, atque malæ ita in oculos clare incidunt, ut tegi, et excusari non possint, confugiat ad istos negandos, iis vero, qui istos notarunt mendacium, atque calumniam imponat, quam Jahnio fecerint, aliis etiam verbis contumeliosis, atque injuriosis illos insectans. Vindiciæ hæ Jahnii, statim ut prodierunt, per censuram Aulicam Viennensem prohibitæ sunt, neque aliter, quam erga schedam permissæ. Eaedem etiam Romæ ad indicem librorum prohibitorum die 5. Septemb. 1825. insertæ sunt. *pag.* 502.

§. 73. Seculo decimo octavo ad finem vergente ipsi Protestantes etiam insurrexerunt adversus novæ literaturæ hermenevtas, et exegetas veluti satores Deismi, et Naturalismi, et subversores omnis probitatis, atque bonorum morum. In synodo Episcoporum nationis Hungaricæ Posonii die 8. Septemb. 1822. habita ad mores, et disciplinam Ecclesiasticam instaurandam, cum et ista cura rectæ institutionis in Theologicis disci-

plinis adversus eamdem Exegeseos pestem eidem synodo fuisset, ut jam dictum est, tum insignis etiam cujusdam e Protestantibus calumnia contusa est, qui in Programmate Regiomonti a. 1820, a se edito vulgaverat quoddam symbolum Fidei, absurdissimis erroribus refertum, quasi cujus professio in Hungaria exigeretur ab iis, qui ex Augustana, vel Helvetica Confessione transirent ad Religionem Catholicam. Testabatur vero Synodus palam, tale symbolum Catholicis numquam fuisse, sicut revera neque fuit, ut mirum sit, tam impudens mendacium componi potuisse. *pag.* 513.

§. 74. Pius VII. postquam Bonaparteo, dejecto ex Imperio, Romam rediit, omnem sollicitudinem suam, et industriam intendit, ad reparanda damna, quæ Religio non tantum in Gallia, verum etiam in Italia, Germania, aliisque regnis passa est his temporibus, quæ tam adversa erant neque tantum Religioni, verum etiam civili regnorum saluti, et incolumitati. Post suum reditum superstes adhuc fuit usque ad d. 20. Aug. 1823. Leo XII. die 28. subsequentis mensis Septembris in ejus locum evectus ad summum Pontificatum est. Iisdem itineribus pergit, quibus Pius VII. iverat in instaurandis iis, quæ detrimenta illata sunt Religioni, ad illamque muniendam novis præsidiis. Hunc in finem Constitutionem etiam edidit, qua methodum Studiorum pro Status Ecclesiastici ditionibus ordinavit, et præscripsit ad juventutem tam scientiis informandam, quam pietate etiam et probis moribus excolendam, qua nihil esse potest magis elaboratum. Idem Summus Pontifex Leo XII. anno superiore 1825. III. Idus Martii edidit Literas Apostolicas, qui-

quibus sectæ occultæ, et clandestinæ damnantur, quæ typis hoc anno 1826 prodierunt. In his Constitutionem attulit jam a Clemente XII. et Benedicto XIV. editam contra Liberos Murarios, quæ a me etiam Institutionum istius Historiæ meæ Tom. V. pag. 407. memoratæ sunt, atque illam quoque, quam Pius VII. edidit contra Carbonarios, quod nomen assumpserunt sibi convenientissimum, qui in Italia secreta conventicula instituebant, in quibus exitiosa consilia, et machinationes tam adversus Religionem, quam Principum etiam potestatem, et regimen instruebant, neque re distincti, ab illis, qui in aliis regnis, et ditionibus sub aliis nominibus ejusdem generis clandestinos conventus pestilentissimos instituebant. Cum autem etiam adhuc sub Pontificatu ejusdem Sanctissimi Domini nostri Leonis non tantum exstincta esset illa secretorum conventiculorum licentia, sed novæ etiam istiusmodi societates pullularent, vigilantissimus Pontifex suis istis literis occurrit, aliosque omnes Præsules ad vigilantiam excitavit, nec non et Principum omnium auxilium, et diligentiam imploravit. Inter alias novas societates nominatim commemoravit eam, quæ *Universitaria* appelletur, *Quod sedem, et domicilium in pluribus studiorum Universitatibus habeat, in quibus Juvenes a nonnullis Magistris, qui eos non docere, sed pervertere student, ejusdem mysteriis, quæ iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur, et ad omne scelus informantur.* Cujus rei testes sint libri, quos de Religione, et Republica scribere non dubitaverint, qui his sectis nomen dederunt. Idem denique per Constitutionem suam concessit Jubilæum, illudque Romæ in vigilia Nativitatis Domini a. 1824. aperuit, celebrandum

ibi-

ibidem toto subsequente anno, quod deinde a. 1825. Quinto octavo Calendas Januarii in festo Nativitatis Domini ad universum Catholicum orbem extendit. Deus supremum Ecclesiæ suæ in terris Pastorem conservet sospitem, atque incolumem quam longissime.

APPENDICULA.

Vix meae Institutiones Historiæ Ecclesiasticæ secundae editionis prodierunt, haec Epitome autem nequidem adhuc ex integro edita esset, Anonymus Scriptum sub titulo *Brevium Animadversionum* in easdem Institutiones meas protrusit, nequidem trium philyrarum, Pesthini typis Landererianis excusum. Sic vero incipit: *Exspectare licuit a Viro, qui diutius Historiam Ecclesiasticam docuit, et jam ante annos 33, seu anno 1793, eam in Tomis 4. edidit, post navatam etiam deinceps huic studio operam, et prævios doctissimorum, qui postea vixerunt, virorum labores, in hac literarum luce, nunc tandem aliquid proditurum, quod sine dubio numeris omnibus absolutum sit. Interim memoratum ejus Opus, quod recenter prelum deseruit; tam multis, et gravibus nævis laborat, ut publicam circa eos attentionem excitare plurimum interesse duxerim, ne inter Lectores nihil simile suspicantes hæc contagio historica latius diffundatur.*

Est hoc grande, quod publicat, et denunciat, ne a me veniens contagio latius diffundatur. Sed si hoc tale est, quale dicit esse, cur hanc denunciationem in tam gravi contagionis periculo non sic fecit, ut se publico etiam exhiberet, et noscendum daret, quis esset? cur lucifugam, cur tenebrionem egit? Sunt ipsius Christi Domini verba: *Omnis, qui male agit, odit lucem, - - Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus.* Joan. 3. v. 20. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Eccle. 10. v. 11.

Pergit deinde ad illos tam multos, et graves naevos, quibus Opus meum laboret, demonstrandos, sic §. 3. loquens: *At dumtaxat ex Tomulo I-mo aliqua exempla instar speciminum adducam, quæ sola sat, superque suffectura existimo ad judicium de toto opere ferendum. Si enim omnes errores, et defectus, qui in his Tomulis 5. occurrunt, proferre vellem, in hac incredibili lapsuum ubertate aliquot Tomos conscribere deberem, ad quod mihi aliis occupato nec otium, nec animus est.* Sunt iterum verba grandia, sed etiam non nisi verba. Paulo ante dixerat, tam multis, et gravibus naevis laborare Opus meum, ut publicam circa eos attentionem excitare plurimum interesse duxerit, ne contagio historica latius diffundatur. Jam nunc aliis occupatus, nec otium, nec animum habet ad id perficiendum, quod tamen tantopere publicae salutis adversus tantum periculum contagionis interesse prius proclamaverat. Bene autem dixit, meorum lapsuum incredibilem esse ubertatem: cujus verbis, nec os suum ostendere audentis, ne-

nemo prudens credet, et nec ille ipse credit, qui quominus illos aliquot Tomos, quos implerent mei lapsus, conscribat, prætendit sibi nec otium, nec animum esse, sibi conscius, illud, quod ventosis verbis, et insolenter jactavit, se non posse præstare.

At vero aliqua etiam exempla instar speciminum adducit, quae sola sat, superque, suffectura existimet ad judicium de toto opere ferendum. Sunt autem exempla, quae adducit, ista: *Primum* meum istud affert, quod Prolegomenor. *Cap.* 1. *de Critica pag.* 24. dixi de Eusebio Caesareensi, in illo tanquam in exemplo ostendens, quomodò de Scriptore judicium instituendum sit, ad videndum, bonæne fidei, vel secus sit. *Non desunt, qui hunc ita suspiciant, et laudent tanquam etiam parentem Ecclesiasticæ Historiæ. Hoc ei elogium competere potest, quatenus primus est ante eos, quorum monumenta historiarum vetusta habemus, non quasi bonae fidei historicus semper, et ubique fuisset.* Idemque istud primum est, quod Anonymus inter graves Historiæ meae naevos posuit, contagionemque historicam vocavit. *Alterum* est, quod *Tom. I. pag.* 116. docui, et asserui de Simone Mago per S. Petrum ex aere, quo volando conscenderat, præcipitato. *Tertium*, Inter S. Stephanum Papam, et S. Cyprianum Episcop. Carthagin. de valore Baptismi administrati per hæreticos, nullam exstitisse controversiam, atque hac de re ad hoc usque fere tempus vulgo credita, praestantium Criticorum esse jam nunc aliam sententiam. *Tomul. I. pag.* 211. rem hanc tracto, et argumenta illius profero. *Quartum*

Anonymi exemplum, quo multos, et graves Historiæ meae naevos vult probare, est visio Crucis e luce efformatae in caelo, et Constantino Imperatori oblata: quam rem narro *Tom. I. pag.* 249. *Quintum* est, quod in exemplum Anonymus adduxit, est mea assertio *Tom. I. pag.* 379. de multo pluribus decretis a Nicæno I. oecumenico Concilio factis, quam ea sint, quæ continentur viginti illis Canonibus, quos habemus Nicænos. Ista Anonymus, nec plura adfert exempla, quæ sola sat, superque suffectura dixit, ad judicium de toto opere ferendum, quam hoc multis, et gravibus nævis laboret, et propter quos existimaverit plurimum interesse, ut publicam circa eosdem naevos attentionem excitaret, ne hæc contagio historica latius diffunderetur. *Parturiebant montes.*

Nam istine naevi sunt tam formidolosi, ut ab illis contagio metuenda sit? An non licet in re historica, quæ testimoniis nititur pure humanis, disputare, et sentire in utramvis partem? *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas* est aureum monitum S. Augustini Epistola ad Januar. 54. alias 118. Et Anonymusne istius miserabilis Scripti confector, nec se ausus prodere, et delitescere quærens, omnibus aliis legem scribet, ut ita sentiant, quemadmodum ipse vult sentiendum esse? Et ideone illa in Historia pro nævis habenda erunt, quia sic ille censet, et vult? Quomodo homini huic istud vel in cogitationem venire potuit? dicerem hoc tam arrogans, et stultum, nisi proposuissem mihi abstinere omni ejusmodi vocabulo in Anonymum, quod posset duriusculum videde-

deri. Quid, si his meis sententiis, quas vocat gravibus nævis affectas, ipsius potius falsitate laborant, quæ adstructae non bonis argumentis sunt, et etiam quaedam tendunt ad id labefactandum, quod firmum in Ecclesia, et Religione esse debet?

Resumamus nunc illa exempla, et videamus, cujusmodi sint, atque in his, ut me in invidiam vocet, Institutionesque Historiæ meæ infamet, et commaculet, quibus artibus ad fallendum utatur. In exemplo primo §. 3. me carpit, qui dixerim Photium dixisse in Bibliotheca sua Eusebium plane sui similem fuisse in libris de Vita Constantini Imp. qui perinde, ut in Historia sua Ecclesiastica dissimulaverit, quæ ei fuissent dicenda de Ario. Photius quidpiam etiam de similitudine stili dixerat in istis ambobus Eusebii Operibus. Hinc vero Anonymus, *En quomodo*, inquit, *similitudinem stili Eusebiani in Vita Constantini M. cum stilo in aliis ejus libris a Photio assertam ad similitudinem dissimulationis, quae ei fuissent dicenda de Ario trahit! Cur Auctor* (me intellexit) *hanc similitudinem*, sic explicando, verba, et sensum Photii corrumpit? Ego vero solummodo rem, quam Photius habet de Eusebio, meis verbis retuleram, neque hanc ex illis verbis Photii sumsi, ex quibus me Anonymus arguit sumsisse, verum ex istis, quæ ibidem citato loco sunt. Describam hunc totum locum, quamvis non nihil longior sit, ut eo magis appareat, egone hic subleste vel Anonymus egerit. *Afferuntur loca plurima in his quatuor libris* (de Vita Constantini) *ex universa ejus decem librorum Ecclesiastica historia. Refert ergo*

go hic Nicomediae baptizatum Magnum Constantinum, hactenusque lavacrum distulisse, quod in Votis haberet in Jordane baptismo tingi: quis vero baptizarit, silentio prœterit. De Ariana insuper haeresi prorsus nihil manifeste commemorat, neque an Constantinus illi aliquando adhaeserit, neque an eam abjecerit, sed neque an recte, aut secus senserit Arius, tametsi necessitas eum compelleret horum meminisse, quando et magna pars fuit Synodus rerum a Magno Constantino gestarum, et alioquin illa ipsa vicissim postularet exactissimam his de rebus historiam. Itaque dissensionem quidem ortam Arium inter, et Alexandrum commemorat, sic nimirum haeresim appellare, et tegere apparet (ἀποφαίνεται) *ac dissidii hujus gratia valde indolentem, pientissimum Imperatorem adlaborasse cum per Epistolam, cum per Hosium Cordubensis Ecclesiae Episcopum, ut missa contentione illa mutua, et hujusmodi quaestionibus,* ad *amicitiam, concordiamque dissidentes adigeret: atque ubi non persvasit, Synodum undique convocasse, et natam contentionem pace permutasse. Quœ tamen neque accurate, neque perspicue ab eo scribuntur. Quare prœ pudore hic Arium, et a Synodo factum contra illum decretum publicare noluit, et nec ejus erroris socios, aut simul expulsorum justam ultionem, quin neque illam, quam divinitus sumtam omnis oculus vidit justam Arii vindictam: quando horum nihil in lucem proferens, Synodi ipsius, rerumque, in ea gestarum historiam obiter tantum percurrit,* παρέδραμε, penes eam tantum transcurrerit. Hoc Eusebium fecisse idem Photius dicit etiam in narratione de Eustathio, et Athanasio, qui et Arianis se fortissime opposuerant, et quos isti insecta-

ctati sunt atrocissime, ac demum hac in re quomodo Eusebius se gesserit, Photius sermonem concludens: *Quin fere* ait, *quotiescunque Episcoporum inter ipsos de fidei capitibus contentiones, vel aliae denique dissensiones fuerunt, eumdem servat, in narrando celandi modum.*

Hoc ego dixi de Eusebio ex Photio, Anne ergo sensum verborum Photii non recte expressi? Aliudne, quam ille dixi? Suntne ista dicta a Photio tantummodo de similitudine stili, quæ sit in libris Eusebii Historiæ Ecclesiasticæ, et de vita Constantini? Statne igitur istud Anonymi? *En quomodo similitudinem stili Eusebiani in vita Constantini M. cum stilo in aliis ejus libris a Photio assertam ad similitudinem dissimulationis, quae ei fuissent dicenda de Ario, trahit! Cur Auctor hanc similitudinem sic explicando verba, sensum Photii corrumpit?* An non ille ex vero fecit, quod mihi falso, et arte veteratoria affinxit? Falsum igitur etiam illud est, quod repetiit *pag. subs.* suarum Animadversionum: *Photius Eusebii Historiam Ecclesiasticam nullius dissimulationis arguit, adeoque nec illam similitudinem dissimulationis instituit.* Potestne magis effrons, et impudentior aliqua esse negatio?

Post Photium testem productum de Eusebii fide Historica, deinde Socratem allegaveram, qui eundem Eusebium vocaverit bilingvem. In hoc quoque accusor ab Anonymo. *Socrates* ait, *loco per Auctorem citato non ex sua, sed tantum aliorum sententia Eusebium bilingvem appellat, dicens: Bilingvis a plerisque existima-*

tus

tus est, *propterea*, *quod Arianus esse putaretur. Cur Auctor sensa aliorum de Eusebio a Socrate, ipsi Socrati adscribit? non est haec iterum corruptio verborum Socratis? imo Socrates contra supra dictam criminationem Hist. Eccl. l.* 2. *Cap.* 21. *pro Eusebio Apologiam scribit*, *et in fine haec verba subjicit: Atque haec obiter a me dicta sint, ut Eusebii obtrectatoribus respondeam.* Ergo tamen Eusebius bilingvis est habitus, et quidem a plerisque ipso etiam testante Socrate. Illud est in quaestione, num bonæ fidei scriptor fuerit Eusebius. Socrates dicit, a plerisque bilingvem existimatum esse. Haec plerorumque existimatio majoris ponderis est, quam si ea esset solius Socratis. Ipso igitur etiam Anonymo concedente, tenemus Eusebium fuisse bilingvem ampliore etiam, quam si istud solius Socratis esset, testimonio. Et Anonymus poteratne ignorare, quod is, qui testimonium allegat pro re, quam refert, illud, quod in testimonio est, suum etiam faciat. Secus enim nec adferret. At vero Socrates istud refutavit, qui etiam apologiam pro Eusebio scripsit. Apologiam scripsisse Socratem pro Eusebio, verum est. In quo autem, ut illum defenderet? istud vero non nisi Arii dogma est, in quo *libr.* 2. *Cap.* 21. Socrates laboraverit in Eusebio defendendo, et quam defensionem concludendo illa verba subjecit: *Atque haec obiter a me dicta sint, ut Eusebii obtrectatoribus respondeam.* Ergo Anonymus haec eo transtulit, de quo in Socratis defensione hac tota ne gry quidem est. Annon ergo hæc iterum mala fides Anonymi est? Annon versutiloquus fuit, et cujus infidelitatis in testimoniis citandis me solet insimulare, ipse in hoc genere egregius artifex est?

Post

Post ista duo testimonia ex Photio, et Socrate protuli deinde Nicænæ II. Synodi oecumenicæ de eodem Eusebio non solum testimonium, verum etiam judicium. Quod solum nemo dubitabit ejus auctoritatis esse debere cuique, ut fidem certissimam, nihilque ambiguitatis relinquentem faciat. Succincte, et nec stricte secundum verba istud attuleram, quemadmodum et superiora sumpta ex Photio, et Socrate. At vero istud hic ad verba referam, et proponam non solum de Eusebii sensis in re dogmatica, verum etiam fide historica. *Quis enim* (responsum datum iis est, *Act.* 6. qui illius testimonio impugnatores cultus sacrarum Imaginum niti volebant) *fidelium Ecclesiæ, et eorum qui veræ fidei dogmatum scientiam perceperunt, ignorant, quod Eusebius Pamphili in reprobum sensum traditus ejusdem opinionis et sensus fuerit cum his, qui Arii impietatem secuti sunt? In omnibus quippe suis libris creaturam, Filium, et Verbum Dei vocat, et ministrum, et secundum adorabilem. Si vero quidam hunc defendentes dicunt subscripsisse Synodo, concedamus ita fuisse: sed labiis suis veritatem honoravit, cor autem longe fuit ab ea, ut ostendunt libri ejus, et epistolæ omnes. Cum ergo aliter, atque aliter, secundum tempus, et caussas conspersus sit, atque mutatus, aliquando laudans ea, quæ sunt Arii, aliquando vero veritatem simulans, apparet eum fuisse virum duplici animo.* Ad superiora testimonia de fide, cujusmodi fuerit Eusebii, satis loquaculus, ad istud ex Nicaeno Concilio simpliciter tacuit, et factus elinguis est. Non habuerit animum, vel aliis occupatus non habuerit otium ad istud etiam testimonium impugnandum. Sed nisi istud everterit, omne aliud,

aliud, quod garriverit pro Eusebio, inane erit. Et num Anonymus occultando istud testimonium tam ad rem dijudicandam idoneum, atque meum hinc ductum argumentum silentio prætereundo, et dissimulando satisne bene Eusebium æmulatus est in agendo non sincere? Egone, quemadmodum mihi impegit, aut ille est homo sublestae fidei?

Anonymus cum istud ex Nicæno concilio praeteriisset summo silentio argumentum, nec tentasset ullum assultum in illud facere, tamen adhuc institit arguere meam fidem in iis referendis, quae dixeram de Eusebio, ejusque in narrando non semper, et ubique bona fide. Alteram harum dixeram esse eam, quæ attineret ad Arium, alteram ad Romanum Pontificem, cujus auctoritatem Ariani, utpote molitionibus suis contrariam, invitissime ferrent. Quoad istud alterum etiam quaepiam de narratione Eusebii non sincera, imo de rebus etiam solummodo fictis exempla produxeram speciminis gratia. Ex his erant, Jacobo, qui ex Apostolis Jerosolymorum erat Episcopus, fuisse ab Judaeis concessum, ut Sanctum sanctorum posset toties, quoties vellet, intrare, quando ipsi Judæorum Summo Sacerdoti eo intrare non licuit, nisi semel in anno in festo Expiationis, eundem et Joannem Apostolum in fronte laminam auream gestasse, sicut haec gestabatur a Summo Sacerdote Judæorum, eundem ab Apostolis, tametsi Dominus Petrum, Jacobum, et Joannem (Jacobus iste alter erat ab illo Jerosolymorum Episcopo) ceteris praetulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum Jero-

rosolymorum Episcopum elegisse: quæ vero eo dirigebantur, ut cuique facile est perspectu, non Petrum, sed Jacobum hunc fuisse collocatum in supremo gradu dignitatis in Ecclesia, tantumque per Apostolos, et qui proinde ipse etiam gradus venerit ab instituto Apostolorum. At Anonymus etiam in his falsiloquum me facit, nec esse omnia ex vero dicta, etsi quæ tamen dicta ab Eusebio sint, ista tamen illum non ex sua propria, verum ex Hegesippi, et Clementis Alexandrini sententia dixisse, et retulisse.

Est rursum hic primo illud, quod jam supra fuit notatum, sententiam, quam quispiam post alios refert, esse etiam illius, qui eam refert. Igitur ista, quæ Eusebius refert post Hegesippum, et Clementem, ipsius etiam sunt Eusebii. Nec aliud hinc Eusebio acquiritur patrocinium, quam quod falsum scripserit et tradiderit post alios. Quin a Criticis non inaniter, et sine fundamento, ipsius tantum Eusebii existimatur esse, quod se accepisse dicit ab Hegesippo, cujus fallaciæ jam ex aliis ejus rebus essent cognitae, ne videlicet sine auctore proferre videretur, res, quas ipse suo solummodo composuit ingenio, ut posset fallere. Lacessit me Anonymus etiam in eo, quod dixerim Eusebium scripsisse, idque quasi secundum Hegesippum, ab Jacobo susceptam esse, quasi universalem administrationem Ecclesiæ, quam vocem *Universalem* non sit reperire in Eusebio: quasi vero dixissem, me hoc etiam secundum verba Eusebii dixisse, qui hac tota in re brevitati studens narrationis sensum meis verbis expresserim, non

ver-

verba etiam semper attulerim eorum, de quibus locutus sum. Anne de universali administratione Ecclesiæ, et cura, quæ se extendat ad universam Ecclesiam, et quam gerit Primas totius Ecclesiæ ab ipso Christo sibi demandatam, non sonant ista Eusebii verba quasi post Clementem Alexandrinum: *Quamvis Dominus Petrum, Jacobum, et Joannem ceteris praetulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse; sed Jacobum Jerosolymorum Episcopum elegisse?* lib. 2. H. E. Cap. 1. Eludere conatur Anonymus ista Eusebii verba dicens, in his non esse primum honoris gradum, de quo Apostoli inter se non contenderint, sed δοξην quae vox gloriam significat, et esse malam versionem, meque arguit cum illo, qui male vertit, etiam textum Eusebii corrupisse. Sed bona cum venia, Anonymus vocabulum Graecum δοξα non intellexit. Nam istud non semper qualemcumque gloriam significat, verum etiam adhibetur ad significandam dignitatem, honoris splendorem, ejusque majestatem. Itaque istud in Epistola Judæ Apostoli v. 8. δοξας βλασφημοῦσιν, etiam Latinus interpres vertit *Majestatem blasphemant:* et primam in Ecclesia dignitatem Eusebium voluisse intelligi, ex eo etiam cognoscitur, quod istius summi Pontificatus Jacobo asserendi caussa, etiam eidem Jacobo affinxerit laminam auream, quam in fronte gestaverit ad similitudinem Summi Sacerdotis Judaeorum, eandemque etiam Joanni Apostolo dederit pari nequitia, ut potestatem supra universam Ecclesiam in Petro collatam Romano Pontifici dispergeret in alios etiam Episcopos, atque sic Arianis compararet audaciam ad subjectionem excutiendam erga Romanum Pontificem. Quid omnino Ariani

ani hac in re egerint, est a me commemoratum Institutionum Hist. Eccl. *Part. I. pag.* 433. Jam, quemadmodum vidimus, antiquitus Eusebius non est habitus semper in Historia sua bonæ fidei, et ad ista usque incusatus est malæ fidei a Criticis, et novissime a Volfgango Froelich Monacho Benedictino Ratisbonensi, sed qui extremos vitae suae annos in Monte Pannoniae in Hungaria transegit in *Critica disquisitione in Eusebii Caesareensis Historiam Ecclesiasticam,* quae anno 1808. Posonii typis Belnayanis edita est, et 26. philyras replevit erroribus, quos ex decem libris Historiae Ecclesiasticae Eusebii collegit. Permultum igitur idem Eusebius obstrictus esse debet Anonymo, quem tamen adhuc patronum nactus sit. *Causa patrocinio non bona, pejor erit.*

Antequam transeam ad alterum, quod Anonymus in exemplum meorum gravium nævorum, et lapsuum ubertate incredibilium attulit, nolo ejusdem Anonymi illud differre, quod etiam adhibuit §. 5. ad meos demonstrandos errores in Historia mea: siquidem *pag.* 25. Photium testem citans quemadmodum supra fuit, scripserim illud, quod attuleram, habere Photium Bibliothecæ *Cap.* 127. non codice, sicut facere me oportuisset, et perinde me fecisse arguit, atque si quis Scripturam Sacram citans diceret: *Regum Tomulo* 1. *C.* 2. *vel Matthaei Articulo* 3. *C.* 4. ac deinde Fors Auctor (me designavit) Photium non vidit. Nae istud erratum ingens, et grande est! Idem fecit §. 11. ubi citans Epistolam S. Hieronymi, quae est ad Marcellam, tamen sit positum ad Marcellum. Lector autem non prae-

oc-

occupatus aliquo malo adfectu istud nequidem alicujus considerationis reputabit; deinde quae nequidem ipsi auctori imputanda veniant, sed referenda sint inter errata in typographia commissa, et quae quantacumque diligentia Correctoris, tamen incorrecta semper aliqua manent. Anonymus non aliud debebat facere, quam ire ad finem cujusque tomuli Historiae meae, ibi reperisset plura ejusmodi errata, jam adnotata, si animus ei fuit etiam hinc me carpendi. Viderit vero, si quod in me contulit de non viso forte a me Photio, recidat in ipsum Anonymum. Photius sic facit, et procedit in Bibliotheca sua. In fronte ante quemlibet Scriptorem, quem recenset, ponit nomen Scriptoris, et argumentum, de quo scripserit, in margine autem habet positas literas α, β, γ, δ, et sic ulterius ad numerum designandum suae recensionis, quo hujus Scriptor quisque sit. Praeter istas vero literas, qui Graecis numerorum etiam loco esse solent, nihil habet ipse Photius, sed solummodo ejus Interpres Latinus Andreas Schottus e S. I. latinae versioni numeris jam Romanis istud *Cod.* quae prima syllaba est vocis *Codex* adjecit, idque dumtaxat in numero primo, nec ulterius in ceteris, qui universe sunt 280. Quamobrem ego citans Photium sic etiam locutus sum: *Photius Bibliothecae suae num.* 88. id quod etiam feci in Historia mea Tom. I. pag. 380. aliisque pluribus locis secutus id, quod esset juxta Graecum ipsius Photii. Sed et morem citandi per Codices non abnui, siquidem nihil positum esset in re, dum id fieret ab aliis et in hoc loco non Codicem dixi, sed caput 127, quia videram etiam sic citatam a nonnullis Bibliothecam. Sub eodem autem numero Photius habet saepe plura

Scri-

ptorum opera, quæ proinde pluribus codicibus continebantur, nec jam secundum codices numerum notando manebunt illi 280 codices, quem tamen numerum habet Bibliotheca Photii. Aestimet itaque quisque, an vel satis congruens sit per Codices Photium e Bibliotheca citare, et Anonymi, quam profunda sit, et gravis, quam hic fecit animadversionem.

Jam nunc pergamus ad alterum exemplum, speciminis caussa prolatum meorum in Historia mea gravium nævorum. Ego asserui Simonem Magum cum tentasset volare in Coelum, Petri Apostoli precibus esse praecipitatum. Suas animadversiones in meam Historiam se edidisse Anonymus professus est, ut publicam attentionem excitaret, ne errorum meorum contagio latius diffunderetur. Hinc ne vero aliqua contagio esse poterit? Sed est falsum istud. Nempe quia Anonymus hoc habet pro falso, tametsi non tantum a me, verum ab aliis etiam historicis asseratur, et defendatur, et testimoniis veterum Scriptorum, ipsorum etiam Sanctorum Patrum confirmatum sit. Qui hoc negant, plerique Protestantes sunt, perpauci e Catholicis, quorum tamen numerum nunc auxit Anonymus. Hi negantes non aliud suae negationis argumentum habent, quam quod S. Justinus Apologia sua prima de Simone Mago loquens, tamen istius praecipitationis nullam mentionem faciat, nec Lactantius scribens adversus Gentiles, sed neque Gentilium Historicorum ullus illam meminerit. Ego testes citavi novem, qui hoc perhibeant. Ex hoc numero quatuor testimonia conatus est Anonymus infringere, ac deinde jactavit se mi-

hi

hi detraxisse testes quatuor. Ergo tamen adhuc mihi manserunt testes quinque pace ipsius etiam Anonymi. Et num quid quinque testes non sufficiunt ad faciendam fidem, etiamsi illi quatuor, quos dicit se mihi detraxisse, abessent? Habet ne notionem Criticæ? secundum cujus leges argumentum ductum ex aliquorum silentio nihil virium, nihil ponderis habet adversus testes, si graves, si fide digni sint, qui rem affirmant? Res igitur perfecta est, etiamsi tantum quinque testibus niteretur. Ceteros vero quatuor testes non vult agnoscere, verum etiam non fundate, tantumque ideo, quod minus expresse rem de Simone præcipitato memoraverint. Sic Eusebius loquens, cujus verba sunt: *Simon* (de Simone autem Mago locutus est) *a Petro tandem deprehensus debitas poenas dedit.* Hist. Eccl. lib. 1. C. 1. Si non illa poena praecipitationis intelligitur, dicat velim Anonymus, et doceat, quamnam aliam poenam Simon per S. Petrum incurrerit? Sed historici alii aliis in subsidium vocantur ad rem in eo, qui illam minus clare expressit, distinctius intelligendam. S. Augustini Epistola ad Casulanum verba, quorum testimonio usus sum ad confirmandam praecipitationem ex aere per S. Petrum sunt ista: *Est quidem et haec opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quod Apostolus Petrus cum Simone Mago die Dominica certaturus propter ipsum magnae tentationis periculum pridie cum ejusdem urbis Ecclesia jejunaverit, et consecuto tam prospero, gloriosoque successu eumdem morem tenuerit, eumque imitatae sint nonnullae Occidentis Ecclesiae.* Expendat, quæso, unusquisque, num opinionem esse plurimorum, et quam falsam esse perhi-

hibuerint plerique Romani, dixerit S. Augustinus de jejunio Romæ die Sabbati instituto, vel de praecipitato per Apostolum Petrum Simone Mago, quo Anonymus verba S. Augustini traxit. Sincere ne ergo egit? Egone ergo male adduxi hoc testimonium ad probandam præcipitationem Simonis Magi, vel Anonymus illud alio detorsit, vel subdole, si verba S. Augustini intellexit, vel inscienter, si non intellexit? Sic ne igitur mihi testes detraxit, quos citaveram in rem hanc de praecipitato per Apostolum Petrum Simone Mago? Quod attinet ad testimonium ex Eusebio sumptum de præcipitato Simone Mago, et quem aliis etiam in rebus testem cito, Anonymus §. 14. *Existimavi*, ait, *quod Eusebio Auctor in sua Historia nec usurus sit, utpote historico bilingvi, versipelli, falsario, subdolo*, meque traducit pluribus, suarum Animadversionum locis velut bilingvem. Mea autem verba de Eusebio ista fuerunt pag. 24 jam etiam supra producta. *Non quasi bonae fidei historicus semper, et ubique fuisset.* Explicui etiam pag. 25. in quibus rebus suæ Historiae non sincerus Scriptor fuerit, videlicet in iis, quæ attinerent ad Arium, et ad Romanum Pontificem, cujus auctoritatem Ariani suis molitionibus contrariam invitissime ferrent. Egone igitur non mihi constans, sed bilingvis fui, vel istud tantummodo Anonymus falso, et cum procacitate suae lingvæ in me contulit? Hæc, credo, sufficient, non tantum ad videndum, quomodo Anonymus probet meos naevos graves, et contagiosos, verum etiam qua falsitate, et malignitate suas Animadversiones fecerit, et adversum me instruxerit.

In tertium exemplum meorum naevorum gravium, et adversus quorum contagionem ad publicam attentionem excitandam proclamationem per suas Animadversiones Anonymus fecit, est mea assertio de Baptismo per hæreticos administrato, et in quo argumento Historiae Ecclesiasticæ in sententiam transivi Criticorum in hac altera editione Historiae meae, quorum opera haec res majorem lucem accepit ad dispiciendum, quid verius habendum sit, cum in priore editione contrarium ipse etiam secutus fuissem. Quia vero Anonymus non dispexit adhuc argumenta, quibus istud demonstratur (aliis nempe occupatus, ad hoc nec otium, nec animum habuerit) sic non tantum me, verum etiam omnes illos doctissimos Criticos cavillatur: *Circa hanc controversiam mundus diu in tenebris fuit. Ii, quos auctor sequitur, velut novi Promethei, igne de caelis rapto, et ad terras delato tenebras ex parte dispulerunt, et crepusculum introduxerunt. Auctor residuis adhuc tenebris supervenit, et natam, sed adhuc teneram lucem in plenam meridiem vertit.*

Argumenta, quibus dijudicatur hæc controversia, exhibui succincte in Institutionibus Historiae meae, *Part. I. pag.* 211. plenius vero Dissertatione V. in selecta argumenta Historiae Ecclesiasticæ. Hæc ergo cuique patent ad judicium ferendum de re: ad ea vero, quibus Anonymus solet resistere meis argumentis, non existimo necessarium respondere, ut patefaciam, quam sint frivola, falsa, et malis artibus adstructa ad me denigrandum, meumque laborem, quem in elaboranda Historia posui,

sui, vituperandum, et lacerandum. Eo Anonymus direxit suas Animadversiones, ut publicam attentionem excitaret ad videndum, quam gravibus erroribus sint refertae Institutiones Historiae meae, et quantum intersit curare, ne earum contagio serpat, ut sic contagiosas illas proclamaverat esse, et infamaverat. Docere, et defendere nullam inter S. Cyprianum, et S. Stephanum Papam intercessisse discordiam, nullum dissidium, nec exstitisse ullam controversiam, et quæ tantum a Donatistis conficta sit, ut quasi exemplo S. Cypriani et Episcoporum omnium Africae tuerentur suam scelestissimam rebaptizationem ipsorum etiam Catholicorum transeuntium ad illorum sectam, habet ne aliquid mali, et non potius sententia contraria praebuit argumenta ad discissionem Ecclesiæ, et ad contemnendam Romanæ Sedis Apostolicae auctoritatem, et potestatem? Namque ex hac agendi ratione S. Cypriani, et Episcoporum omnium Africae, ut in hac controversia positum est, heterodoxi, quorum aliquos etiam nominatim protuleram in Institutionibus Historiae meae, et in Dissertatione mea de eadem hac controversia, conclusionem fecerunt, non esse necessarium, communionem, et conjunctionem servare cum S. Petri Apostolica Sede, ut simus in vera Christi Ecclesia, si quidem ut ex controversia eluceat, excommunicationem, quam Cypriano et Africanis Episcopis minatus erat Stephanus Papa, hi non curaverint, seque adversus hanc comminationem etiam magis adhuc obfirmaverint, et Febroniani quoque isto utantur exemplo ad deprimendam Romani Pontificis et Apostolicae sedis auctoritatem. An non ergo Anonymi potius huic, quod ego defendo, contraria sententia habet, quae

non

non conducat ad unitatem servandam Ecclesiae, et ad obedientiam exhibendam, quæ debetur Romano Pontifici, et Apostolicae Sedi? Hoc est, quod viri insignes tam pietate, quam doctrina, et eruditione se posuerint, ad rem istam quae intercesserit inter Cyprianum, et Stephanum diligentius investigandam, atque hac in investigatione operae pretium fecerint. Anonymus §. 1. praedicat, me post editam ante annos tres et triginta Historiam, navasse operam etiam deinceps huic studio, ac deinde post doctissimorum virorum prævios labores in hac literarum luce §. 1. alteram fecisse editionem. Lucem itaque etiam ipse in Historia agnovit esse accensam per doctissimorum virorum labores. Hi doctissimi viri lucem accenderunt ad hanc etiam dispiciendam controversiam. Laudat hanc lucem; me vituperat, qui illam secutus sim, omnesque illos doctissimos viros irrisioni habendo, et cavillando, dixit novos Prometheos esse. Cavillis et obtrectationi intentus nec sibi ipsi constans mansit, nisi in illis tenebris, in quibus esse coepit, dum rudimenta posuisset Theologiae non habens otium, nec animum ad emergendum e tenebris post doctissimorum virorum labores, et tantam lucem per hos obortam, et refulgentem. Est autem etiam in tractatione istius exempli Anonymus sui simillimus. Argumenta, quæ ego affero ad hanc controversiam dijudicandam, aliqua tantum vellicat, neque alia ratione, quam fecerit ad exempla superiora, ubi, cujusmodi ea sint, quæ attulit, pleraque etiam veteratoria arte ad fallendum, exhibitum est; cetera dissimulat, non attingit, quamvis illis vis inesset ad demonstandum præcipua, par quoque ubique est dicacitas, cavillatio, mordacitas, et fallaciloquentia,

tia, nihil minus, quam homini morato conveniens. Dum illud solummodo in quæstione est, num Institutiones meae tales sint, qualem illis Anonymus inussit infamiam, nec aliud opus est, quam istam depellere; imo indignum esset descendere cum ejusmodi adversario in disputationem ultra, quam necesse sit, eum in finem, ut rei falsitas appareat, quam ille sola malignitate ductus mihi impegit.

In exemplo quarto, ad quod nunc transeo, illud quoque in Anonymo videbimus, quo se ridendum etiam magis præbuit. Nam, quod adduxit eum in finem, ut meos naevos graves ostenderet, et caveret, ne illorum contagio se latius diffunderet, tamen deinde declaravit, in hoc se ejusdem, cujus ego sim, sententiae esse. Est haec Visio Crucis in caelo e luce efformatae supra solem Constantino Imperatori, istiusque visionis deinde per somnium nocte subsequente facta divinitus eidem Constantino declaratio. Omitto, qua ratione ductus Anonymus meam narrationem de hac Crucis apparitione, facta Constantino lacessiverit, ex silentio illius apud Lactantium, tametsi eam ipse Constantinus etiam jurejurando testatus esset, quemadmodum in illius vita refert Eusebius, dum ad eam rem nihil conferat, de qua inter me, et illum agitur, sit ne historia mea ejusmodi naevis affecta, ut ex illa metuenda sit contagio. Satisne homo consideratus fuit, ut ex eo meos naevos probaret, eosque graves, et contagiosos, quod ipse deinde suae etiam sententiæ esse confessus est.

Ul-

Ultimum Anonymi exemplum restat ex iis, quibus demonstrare voluit meos esse graves errores in historia, et adversum quos, ne labem dent, sollicitus, attentionem sibi existimaverit excitandam esse publicam. Est vero hoc rursus tale, quale illud, exstiteritne controversia inter Cyprianum et Stephanum de Baptismo administrato per haereticos. Vulgo in Collectionibus Canonum, tantum 20 ponuntur Canones Concilii Nicaeni I. A viris eruditis recentiore aetate protracta in lucem sunt complura statuta, in Concilio Nicaeno I. facta, quae non continentur illis viginti Canonibus, quos habent Collectiones Conciliorum. Sententiam hanc de pluribus statutis, quam ea sint, quæ continentur illis viginti Canonibus, posui in Hist. mea *Tom. I. pag.* 379. eandemque asserui *Dissertatione mea* VII. in Selecta argumenta Historiae Ecclesiasticae, evidentibus testimoniis, et exemplis Canonum, ac Statutorum, quæ facta in Concilio Nicaeno I. sint, nec tamen exstent inter illos viginti Canones, quos nostrae habent Collectiones Conciliorum. Vellicat Anonymus rursus hanc assertionem de pluribus Canonibus, et statutis a Concilio Nicaeno I. factis, quam sint illa viginti. Res, quas attuli, et argumentis docui esse statutas in hocce Concilio, Anonymus non impetit, imo de quibusdam neque negat, ut de die, qua celebrandum sit Pascha: attamen negat plures, quam sint illi viginti, a Concilio Nicaeno I. Canones esse constitutos. Qua istud Anonymus cum ratione faciat, non contendam cum illo, nihil enim attinet ad rem, de qua in præsentia agitur, tantum iterum adverti volo, anne asserere esse plura statuta Concilii Nicæni I. quam quæ continentur illis viginti Canonibus, et ejusmo-

modi rerum, adversum quas nec ipse quidquam habet, sit in nævis ponendum, quorum contagio sit pertimescenda, et quæ ne serperet, publica fuerit attentio excitanda. Hucusque sunt quinque exempla meorum naevorum, quae ex Institutionibus Historiae meae adduxit Anonymus gravium, et formidolosorum.

Idem praedicavit §. 3. in mea incredibili lapsuum ubertate aliquot Tomos se debere conscribere, si omnia, quae in Tomulis meis quinque occurrunt, omnesque errores, et defectus proferre vellet; sed ad quod sibi aliis occupato nec otium, nec animus sit. Is vero ad omnes meos libellos excurrit, atque ex illis exempla errorum, et lapsuum conquisivit, ut illis etiam meis operibus obtrectaret. In fronte habet positum: Animadversiones suas se facturum adversus Institutiones Historiae meae. Quid igitur attinebat ad alia etiam opera mea se ingerere? Si enim aliquot tomos conscribere debuisset ad omnes errores meos proferendos, ex quinque Tomulis Historiae meae, annon ex his ei abunde suppetivissent errorum exempla, si plura proferre voluit? Cui ad ista proferenda ex Tomulis Historiæ quinque, quos perlegere debebat, dum iis tantam errorum ubertat[illegible] tribuit quantam dixit, nec aliis occupato [illegible] nec animus fuit, quomodo tamen et o[illegible] animum habuit ad scrutandos omnes alios meos libros multo plures? Aliudne hoc est, quam quod omnia undique conquirens, quibus mihi obtrectaret, et me infamaret, nec in Historia mea ista reperiret, dum illis quinque etiam exemplis, quae ex ea produxit, nullomodo probavit illos naevos, quos posuit in Historia mea; se verterit ad maligne

scru-

scrutanda omnia alia etiam opera mea. Neque vero magis etiam hic res ei successit? quam in his naevis producendis ex Historia, nisi, quod suum cavillandi, et obtrectandi animum adhuc etiam magis, et luculentius exhibuerit. Voluit me his etiam deridendum dare; viderit vero, si propterea ipse in deridiculum venerit sua vaniloquentia.

Meam mordens Scripturae Interpretationem dicit §. 18. Nabuchodonosorem in physicum bovem a me versum esse. Hac de re sic est a me scriptum Institution. Hermenevt. V. T. Tom. I. pag. 307. *Hodierni Interpretes de sola phantasia, et imaginatione Nabuchodonosoris intelligendum esse censent per mentis perturbationem ex pure naturali aliqua caussa. Nec ego jam in mea Scripturae interpretatione ad hunc locum istud aliter sumpseram, cum ea tamen differentia, quod cum Neoterici hunc iterum pure naturalem casum faciant, ego rem affirmaverim, et nunc affirmem, accidisse non ex caussa naturali per machinae corporeae in capite perturbationem, unde secuta mentis alienatio sit.* Ac deinde probavi, fuisse hanc Nabuchodonosori poenam divinitus inflictam citra causam naturalem. Anonymus, qui studuit mihi fidem auferre in Historia [illegible] nunc illius ipsius rursus qualis est fides? Itaque ut meam etiam nequiter traducat interpretationem Scripturae sacrae?

Idem §. 24. ad carpendam Scripturae sacrae Interpretationem meam, et cavillandam eam de-

declarationem, quam feci illius visionis, per quam se Deus quatuor Cherubinis quatuor faciebus praeditis, hominis, leonis, bovis, et aquilae vectus Ezechieli exhibuit, protulit, idque ex Institutionum mearum HermenevticarumEditione 1. tam videlicet solers in conquirendo, unde me lacessere, atque mordere posset. Non retulit autem rem integre, sed tantummodo aliquid inde decerptum, ut re non visa tota ei succederet, ut sperabat, obtrectatio. Per illas enim facies animalium quatuor, quas habebant etiam animalia quatuor, quae Joannes vidit in Apocalypsi; delineatum erat quis Christus esset, Deus videlicet, idemque homo, et quos in humana natura labores, et quam patientiam subiturus esset, et quae ejusdem futura esset fortitudo ad mortem vincendam, ex qua se excitavit. Quare in eadem Apocalypsi etiam est: *Vicit Leo de tribu Juda*, Apocal. 5. v. 5. et de quo eodem Joannes Baptista: *Ecce*, ait, *Agnus Dei*, *ecce*, *qui tollit peccatum mundi.* Joan. 1. v. 29. Ad hoc autem Anonymus, inquit: *Ego bovi eum honorem exhibere non audeo, ut ex illo comparationem ad Christum, et Ecclesiam instituam.* Non videtur Anonymus intelligere. [illegible] comparatio. Non enim bovis facta es[illegible] cum Christo, ut per ludificationem [illegible] est, sed solummodo ducta simili[illegible] ve ad Christum, quemadmodum eti[illegible] a Leone, a petra, a vite et ab [illegible] ebus permultis in Scriptura sacra fit. [illegible] ergo Anonymus, et subsannet omnia ista. Idem eam, quæ non nisi imago aliqua, et similitudo est non a me excogitata, sed Dei Spiritu expressa in Ezechiele, appellat argumentum, quod ego a bove petierim.

 Ego

Ego vero non soleo petere argumenta a bove, sed si loquamur non cum ratione, sed insulse, hoc potest habere convenientiam cum eo, quod bovis magis sit, quam hominis.

Jam anni plures, quam quadraginta sunt, quod optusculum ediderim, cui titulum indideram Cogitationum Philosophicarum de Immediato corporum contactu Theoriam Cl. Josephi Rogerii Boscovichii respicientes. Ad istud quoque Anonymus ivit, et ex eo quæsivit aliquid eo serviens, (hunc enim scopum habuit suarum Animadversionum) unde naevos graves, et contagiosos errores Institutionibus meae Historiae Ecclesiasticae compararet, et imponeret. Sarcasmum vero ex isto Opusculo sibi Anonymus formavit §. 28. in eo, quod in historia docui de controversia, quæ de Baptismo ab hæreticis administrato, nulla intercesserit inter Cyprianum, et Stephanum Papam, sic loquens de me: *Qui et aliena jam territoria victricibus signis vastavit, et jam ante plura lustra ex giganteo contra celeberrimum Boscovichium bello in astronomica regione, ac velut in coelis gesto triumphator excessit, et spo[illegible] nustus opimis.* Non erat vero Boscovi[illegible] fessione Astronomus, sed Professor Ma[illegible] Archi-Gymnasio Sapientiae Romanae. [illegible] ur illius sarcasmus ex re, quae neque fu[illegible] formatus non est, levis alioquin, et a gravitate hominis docti alienus.

Pos-

Possem plura adhuc proferre, quae sunt ejusdem farinae, cujusmodi sunt, quæ jam vidimus, ad obtrectandum mihi, meisque laboribus, quos impendi elucubrandis meis opusculis. Si Anonymus existimavit illa quinque exempla, quae attulit ex Historia mea, sat, superque suffectura ad demonstrandos naevos graves, et perniciosos, quibus laboret eadem historia mea, credo sufficient etiam ista, quæ ego exhibui adversus Animadversiones Anonymi, ipsumque Anonymum noscendum, qui in hoc scripto suo non nisi cavillatorem, et obtrectatorem meum agere voluerit haud decore, nec non qua eruditione, et acumine ingenii istud quæsiverit effectum dare, et qui eo artes suas omnes direxerit, ut non tantum Institutiones Historiae meae, verum etiam Scripturae Sacrae studuerit in praeceps agere, et si facere posset, eas proscindendo, ab earum lectione omnes avertere: Quid non agit sinister affectus! Ista duo solummodo adhuc dicturus, et exhibiturus sum, deinde conclusionem facturus. Ex eo, quod docuerim nullam intercessisse controversiam inter Cyprianum, et Stephanum Papam me arguit (incredibile videretur, sed verum esse q[illegible]d fecit, nihil ambiguitatis habet ex ipsius [illegible] [illegible]3.) me ista ratione *argumentum pro* [illegible] *[illegible]mani Pontificis subvertisse*, et ob [illegible] [illegible]sta verba dein in me conjecit: *Tu* [illegible] *hæreticus*, *et schismaticus es.* Imp[illegible] [illegible] etiam turpis lucri cupiditatem §. 41. qu[illegible] [illegible]us ego Institutiones Historiae meae composuerim, et ediderim, qui sentirem, *quod Axioma habet: Bonus odor lucri undecunque veniat.* Ita homo iste non tantum in meos libellos, verum etiam in vitam meam, et

et mores impudenter invasit. Finit suas Animadversiones profitendo, se dum causam in his impugnavit, amicum, et cultorem personae meæ non desiisse esse. *Non diligamus verbo, neque lingva, sed opere, et veritate.* 1. Joan. 3. v. 18.

Errata in Epitome.

Pag.	lin.	Errata		corrige.
35.	24.	perfectuum	,	perfecturum
38.	17.	Maximino	*adde*	similis
50.	ult.	asseruisset		asseruisse
101.	6.	dedebunt		debebunt
126.	22.	e contrario	*adde*	condemnantur
137.	18.	Scythae		Scythas
161.	33.	Psasidis		Phasidis
181.	10.	sententiarum		scientiarum
187.	6.	Tarsius		Tarasius
215.	2.	aliter		non aliter
270.	3.	Frangipanes	*adde*	metuisset
—	5.	illam		illum
277.	25.	in omnes		omnes
299.	15.	Hieronymitaram		Hieronymitarum
321.	23.	pedentis		pendentis
—	26.	rutilantis		rutilantibus
324.	20.	insulsima		insulsissima
334.	2.	dhuc		adhuc
336.	4.	Perisii		Perusii
—	20.	potestata		potestate
—	26.	priorum		priorem
340.	31.	a Pragensi		in Pragensi
347.	8.	de Neuhas		de Neuhaus
366.	32.	literis		literas
410.	31.	Guisio		[illegible]isii
421.	pen.	habiti		[illegible]tis
433.	6.	[illegible]	*a*[illegible]	[illegible]75.
449.	1.	ternas		[illegible]
473.	25.	Rationen		[illegible]












EPITOME

INSTITUTIONUM

